



OTIUM SINE LITTERIS MORS EST
4
12.80
JOAQUIN GARCIA ICAZBALCETA



JOANNIS GENESII SEPULVEDAE OPERA.

VOLUMEN PRIMUM.

JOANNIS
GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
OPERA,
CUM EDITA, TUM INEDITA,

ACCURANTE

REGIA HISTORIAE ACADEMIA.

VOLUMEN PRIMUM.



MATRITI.

EX TYPOGRAPHIA REGIA *DE LA GAZETA.*
ANNO M.DCC.LXXX.

CAROLO III

REGI OPTIMO

PATRONO SUO INDULGENTISSIMO

HISTORIAE ACADEMIA

PERP. FEL.

Cujusnam potius, Rex Augustissime, quam sacri nominis tui majestati consecrata prodire oportebat Sepulvedae opera, quae quidem nobis edenda credidisti? Enimvero ea profecto amplissima laus semper est

est habita, quaeque de optimo Principe praedicari et possit, et debeat, si ei contingat, ut posteaquam praeclaris facinoribus nomen numquam intermoriturum sibi comparaverit, qui ipsi in imperio praecesserunt, praeconiis non modo non detrahat; sed etiam eorum res gestas ornare et amplificare studeat. Quod TIBI sane evenisse, Academiam TUAM congratulari par est, qui, ut cetera omittamus, cum CAROLI Caesaris et Hispaniae Regis Historiam, quae ab eloquentissimo et diligentissimo illius Scriptore sincere contexta, miseranda oblivione obruta jacebat, auspiciis TUIS evulgari jussisti, ejusdem Principis factis, jam sua magnitudine illustribus, novam quasi facem accendere visus es; adeoque hunc paene intentatum hactenus ad immortalitatem aditum TIBI ipse aperuisti. Uno siquidem, eodemque praeclarissimo PROVIDENTIAE TUAE nutu, tum domi militiaeque praestantis Imperatoris, Proavi TUI, tum etiam celeberrimi Historiographi, qui Academiae nostrae in conscribendae Regum nostrorum Historiae munere antecessit, gloriam magis magisque propagasti, propensae etiam TUAE erga Litteras voluntatis insigne testimonium, pretiosissimis Codicibus partim typorum ope posteritatis memoriae nunc denuo commendatis, partim etiam

fe-

fere ab interitu vindicatis, praebuisti; et, quod initio testabamur, et fieri jam posse non existimabatur, amplissimae meritorum TUORUM famae et splendori cumulum veluti quemdam adjecisti. Adde quod certe TIBI ob insitam modestiam numquam animum subiit, Academia tamen totius rei caput esse, et non casu, sed singulari Dei consilio accidisse autumat, ut Sepulvedae scilicet opera hoc tempore evulgarentur, ea praesertim, quae adeo illustria et paene incredibilia Hispanae gentis in utroque Orbe summique Imperatoris facinora complectuntur. Nam quem TU, CAROLE REX, ut nomine refers, ita etiam bellica laude jam pridem aemularis; eumdem non justitia modo, mansuetudine, et temperantia, sed etiam effuso in optimas, et humano generi fructuosas Artes Scientiasque patrocinio, invicta in secundis adversisque rebus aequanimitate, praestanti denique in populos TUAE curae et clientelae commissos beneficentia, ceterisque virtutibus, quae Regem vere deceant, non tam suae, et interdum inani gloriae, quam publicae utilitati servientem, longe etiam omnium judicio antecellis. Quae cum ita sint; Maximi Principis, cujus famae praeconia totum ferme terrarum orbem pervaserunt, rerum gestarum vivam quamdam imaginem in manus hominum,

TE

Te regnante, praemittere, quid aliud demum est nisi viam quasi sternere, ut consiliorum TUORUM, et egregie factorum narrationi, quam incorrupte quidem Academia officio suo functa aliquando, et utinam sero (quod vehementer optamus), persequetur, fides a posteris, qui alioquin ob earum magnitudinem fortasse de TUIS verissimis laudibus dubitarent, remota omni vanae credulitatis suspicione planius et uberius habeatur? Deus igitur, quod reliquum est, et assiduis ab eo votis comprecamur, TE sospitem servet, CLEMENTISSIME PRINCEPS, ut Academiae, laudum TUARUM imperiique MAJESTATIS studiosissimae, hisce TUIS virtutibus amplam jucundamque scribendi materiem ad immortalem Borbonii nominis celebritatem, ad posteritatis exemplum quam diutissime praebere pergas.

Mantuae in Carpetanis, pridie Idus Decembris M.DCC.LXXX.

EDI-

EDITORUM PRAEFATIO.

NOnnulla JOANNIS GENESII SEPULVEDAE opera, quae variis typis pluries evulgata assiduis doctorum hominum manibus per haec duo postrema saecula versabantur, vehementem adeo tanti viri exspectationem, et doctrinae ejus plausum celebritatemque excitaverant, ut ingens omnium animos desiderium incesseret ceterarum clarissimi Scriptoris elucubrationum, quas quidem pari eloquentia et industria elaboratas Genesium ipsum posteris edendas reliquisse cum ex Nicolai Antonii Bibliotheca, et ejusdem Sepulvedae litteris, tum praecipue ex ea, quae ad Jacobum Neylam missa huic primo volumini tamquam optima Auctoris Praefatio praemittitur, *epistola* constabat. Plures tamen eaedemque gravissimae rationes obstiterant, quominus illa scripta vivo adhuc Genesio et primis illis temporibus, quae ipsius obitum consecuta sunt, praeterlabentibus in vulgus emanarent, uti memoratam epistolam legentibus luculenter apparebit. Heredum itaque, successorumque Sepulvedae negligentia, aliisve de causis factum fuerat, ut exemplaribus autographis distractis, aut in manus incuriosorum hominum translatis vix tenuis ad nos eorum fama pervenisset, et de illis aliquando evulgandis, non sine acerbissimo eruditorum omnium moerore paene desperatum esset; cum felici nescio quo fato evenit, ut *Joannes Antonius Ximenius Alfarus*, ex eorum virorum numero, quibus vetustiorum characterum rite ac legitime legendorum et notioribus litterarum signis exscribendorum munus a supremo Castellae Senatu demandatum est, *de rebus gestis*

Caroli V. Historiae, a Sepulveda XXX. libris contextae, ipsiusque manu perpolitae exemplar, alios varii argumenti nulliusque maximam partem pretii Codices pulvere obsitos, jam jamque tinearum, blattarumque escam futuros, evolvens, quos sibi Presbyter recognoscendos tradiderat si forte instrumenta aliqua ad causarum defensionem, quae ipsi intendebantur, peti inde possent, in magnam Reipublicae litterariae utilitatem sub initium anni M.DCC. LXXV. detexit.

Tanto thesauro gestiens Alfarus, qua erat probitate animique candore praeditus, continuo Presbyterum adiit, et quid esset rei, ostendit. Ille, receptis ceteris Codicibus, Sepulvedae exemplar, exiguum, ut existimabat, laboris pro se suscepti atque exantlati praemium, quo tantopere Alfarum delectari animadvertebat, eidem libentissime donavit. Qui quidem, posteaquam illud, qua maxima potuit, diligentia descripsisset; nihil potius habuit, consilio et opera gratiaque usus viri cl. *Eugenii Llaguni Amirolae*, veteris nostri in Academia Sodalis, humanitate simul et bonarum artium fovendarum studio praestantis, quam ut CAROLI REGIS, indulgentissimi litterarum Patroni, voluntati et patrocinio autographum exemplumque submitteret.

REX, munifice remunerato Alfaro, Codicem MS. benigne accepit, eumque cum sua sponte, tum etiam *Josephi Mognini, Comitis Floridablancae*, viri Regi a sanctioribus consiliis, secretisque, et dignitate aeque ac doctrina admodum spectati, adeoque doctorum hominum gloriae propagandae studiosissimi cohortationibus incitatus, REGIAE HISTORIAE ACADEMIAE pro suo munere et diligentia edendum mandavit. Praeerat tunc temporis Academiae qui nunc ei quo-

quoque praeest, *Petrus Rodericus*, *Comes Campomanesius*, quem virum nominare laudare est. Is ex omnium Academicorum numero, ceteris universis suffragantibus, quatuor delegit, *Antonium* scilicet *Murillum*, *Antonium Barrium*, *Casimirum Ortegam*, et *Franciscum Cerdanum*, queis opus digerendi, illustrandi, edendi negotium recte committi posse existimavit.

Peropportune autem accidit, dum haec agitabantur, ut *Franciscus Cerdanus* Academiae renuntiaret, aliud Sepulvedanae Caroli V. Historiae exemplar in Bibliotheca asservari *Comitis Torrepalmae*, quem olim Academia nostra praefectum habuisse gloriatur, quod ejus successor et non minus in litteras propensae voluntatis quam avitae laudis heres *Marchio Truxillensis*, Academicus quoque noster ornatissimus, eidem non satis laudanda liberalitate cessit.

His auxiliis praesidiisque muniti nos operi accinximus, et Alfari MS. exemplum, quod typographo committendum erat, quam diligentissime fieri potuit, contulimus non modo cum Codice *Regio*, sed etiam cum *Truxillensi*: inter quos sane id praesertim interesse discriminis animadvertimus: hunc nempe antiquiorem et veluti primis curis elaboratum plurimas auctoris ipsius manu nonnullorum verborum et phrasium emendationes prae se ferre: adde etiam integri fere XXIX. libri correctionem, qui de rebus Britannicis agit, ut pote quem *Reginaldo Polo*, *Cardinali*, emendandum a Sepulveda missum constat ex epistola XIV. lib. VI. edit. nostrae: illum vero quamvis Genesii limae nonnullis etiam in locis vestigia ostentantem, longe nitidiorem esse, ex priori expressum et res Britannicas fusius et uberius complectentem.

Absoluta Codicum collatione, *Caroli V. Historiae* XV.

 li-

libros priores PRIMO VOLUMINE, XV. posteriores ALTERO excudi curavimus; utroque quidem *Summariis*, quae per singulos libros et capita digesta insigniorum factorum brevem quamdam imaginem ob oculos sistunt, et rerum memorabilium locupletibus *Indicibus* illustrato.

Quoniam vero ad calcem operis superius memorati reperiebatur quoque in utroque Codice Commentarius de *rebus Hispanorum gestis ad novum Orbem Mexicumque*, qui lucem hactenus neutiquam viderat, VII. libris comprehensus, et auctoris etiam correctionibus interspersus; eumdem TERTII VOLUMINIS partem constituere opportunum nobis visum est, *Summario* et *Indice* locupletatum, eique adjicere *Philippi II. Hispaniarum Regis Historiae Libros III.* quam ab anno M. D. LVI. ad M. D. LXIV. diligentissimus Historiographus extrema senectute fuerat persecutus, et cujus exemplar ACADEMIA sibi comparaverat beneficio litteratissimi viri *Joannis de Santander* et *Zorrilla*, Regiae Matritensis Bibliothecae, in qua ineditum exstabat, praefecti. Hujus etiam liberalitati acceptas referre debemus epistolas, ineditas itidem, II. videlicet *Melchioris Cani* ad *Sepulvedam*, et alteram ejusdem *Sepulvedae* ad *Canum*: quas quidem cum epistola I. *Sepulvedae* ad *Canum*, et ejusdem I. ad *Sepulvedam* ex Academiae nostrae MS. Cod. descriptis, aliaque *Pauli Manutii* ad *Genesium* ex selecta viri supra omnem laudem, quem honoris causa nominamus, *Emanuelis Rodae*, Bibliotheca, quae posteritatis memoriae commendarentur, dignas existimavimus.

Sed cum haec omnia nondum ad justam magnitudinem TERTIO VOLUMINI conciliandam sufficerent; tunc demum egregia CAROLI REGIS erga litteras beneficentia factum est, ut *Sepulvedae opera* jam alias evulgata cum

va-

variis in locis seorsim, tum simul Parisiis per Jacobum Colinaeum et Coloniae per Arnoldum Mylium, denuo recudi decerneretur, quo omnes ejusdem Auctoris elucubrationes tam editae, quam ineditae, illae cum vetustioribus, quarum plerasque consulere contigit, editionibus accuratissime collatae, hae vero ad utriusque Codicis MS. fidem expraessae, in unum veluti corpus coalescentes, quod viris eruditis gratum accidere vehementer optamus, editionem hanc nostram exornarent atque complerent.

In idem igitur TERTIUM VOLUMEN Sepulvedae *Epistolarum libros VII.* conjecimus, ea potissimum ratione adducti, quod in ipsis reliquorum Genesii laborum mentio saepe fit, adeoque non parum ad eorum illustrationem conferre posse videbantur. Epistolarum vero Salmanticense exemplar nacti, in quo *Joannes Fernandez Franco*, Sepulvedae concivis et familiaris, notulas quasdam manu sua vernacule exaraverat; illas profecto, prout sunt apprime eruditae, et ad propositum nostrum egregie facientes, continuo post Epistolas, triplici *Indice*, *Auctorum* nempe, locorum *editionum* Salmanticensis, Coloniensis et hujus nostrae invicem collatarum, *rerumque et verborum memorabilium* instructas edi curavimus.

Cetera denique opera jam antea edita, quae TERTIUM VOLUMEN non ceperat, copiosiori quam olim *Indice* illustrata, QUARTO VOLUMINE complecti statuimus.

Interea propter viri praestantiam et celebritatem ACADEMIA etiam e re fore existimavit, si Auctoris vitam, ab aliis adumbratam, uberius describere conaremur. Quibus adjumentis id aggressi simus, in limine ejusdem *Commentarii*, qui quidem hanc *Praefationem* et *Elenchum* proxime sequitur, indicavimus. Illud tamen hoc loco animadvertere de-

debemus, nobis prae summa festinatione non licuisse, fervente prelo, *Commentario* huic perpoliendo, quam optabamus, diligentiam adhibere. Veremur itaque, ne quaedam viris acriori judicio praeditis omnino non satisfaciant, quae nos per temporis angustias vix iterum legere, nedum emendare potuimus. Sunt etiam nonnulla, quae fusius fortasse, quam par erat, tractata quibusdam videbuntur. Hi si didicerint, cum haec primum commentaremur, nondum a CAROLO III. REGE OPTIMO, decretum, uti Auctoris opera etiam jam edita evulgarentur; certe non admirabuntur nos in iis recensendis, eo quod rarissima essent et paucis nota, diutius immoratos. Sed facile veniam ab aequis lectoribus impetratum ire confidimus, qui animo perpendere non gravabuntur, quantum laboris subeundum nobis fuerit, ut obscurissimis rebus lumen aliquod inferremus. Quod si non aliud, hoc sane *Commentarii* ope assequemur, ut qui de rebus Sepulvedae in posterum scribant, vigiliis nostris qualibuscumque se nonnihil adjutos sentiant.

Quoniam vero anno M.DCC.LXXV. Matritensibus typis recusa sunt *Aristotelis Politica* a Sepulveda in latinum conversa; supervacaneum duximus illud opus in hac editione iterum exhibere. Sed quia in prima hujus operis editione, quae Parisiis ex officina Vascosani 1548. prodiit, quamplurima irrepserunt menda, quae forte ansam cl. Danieli Huetio dedere, ut de Interprete nostro minus aeque judicaret; operae pretium duximus omnia illa errata cum *Emendationibus* post memoratum *Commentarium* evulgare: id quod facili a nobis negotio praestari potuit, quoniam primae hujus editionis exemplar auctoris vel etiam ejus librarii manu emendatum in promtu habuimus; quod *Antonius*

Bar-

Barrius Academiae nostrae dono liberaliter dederat. Emendationum autem aliae Aristotelis sensum spectant, quem typothetae naevis suis misere inverterant. Aliae sunt quibus Sepulveda priorem interpretationem ad incudem quibusdam in locis revocat, perficitque. Pleraeque typographica errata continent. Reliquae vitiatam omnino periodorum interpunctionem restituunt. Quibus omnibus non leve pretium tribuunt *Additiones* quaedam et *Emendationes* ad scholia jam edita, minime illae quidem contemnendae.

Ad extremum, coronidis loco, quod neutiquam videbatur praetereundum, *Doctorum hominum*, quotquot reperire potuimus, *de Sepulveda testimonia, et elogia*, in vestibulo hujus PRIMI VOLUMINIS adjicienda existimavimus, ut quantus vir fuerit, non modo nostratium, sed etiam exterorum judicio posteris testatum relinquamus.

ELENCHUS OPERUM,

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

DE VITA ET SCRIPTIS

JO. GENESII SEPULVEDAE CORDUBENSIS

COMMENTARIUS.

INTER viros celeberrimos, qui saeculo XVI. magnum sibi apud Hispanos in litteris nomen peperere, sane non ultimum occupat locum J. G. Sepulveda, cujus vitam et in litteris merita tum ex ipsius auctoris lucubrationibus, tum ex aliis monumentis illustrare operae pretium duximus.

Natus est igitur Sepulveda in oppido *Puteo albo*, quod apud nostrates *Pozo blanco* nuncupatur, et caput est *Petrocciarum*, sive tractus illius, qui vernacule audit *los Pedroches*, estque sub ditione civitatis Cordubensis; quae causa fuit, cur se *Cordubensem* Sepulveda pluribus in locis nuncupaverit.

Quo autem anno ortus sit, minime convenit apud omnes. Auctor [1] vitae Sepulvedae, quae operibus ejus Coloniae Agrippinae junctim editis in officina Birckmannica anno 1602. in 4° praemittitur, quamque Andreas Schottus, cujus eruditio ac bene de Hispanis scriptoribus merendi studium nemini notum non est, totidem verbis in suam *Bibliothecam Hispaniae* tribus post annis Francofurti sub A. Peregrini nomine prelo commissam transcripsit, natum illum asseverat anno 1491. Propius ad veritatem accedit claris. vir [2] Nicolaus Antonius, qui in sua *Bibliotheca N.* circa ann. 1490. editum conjicit. Nos vero hoc ultimo natum arbitramur haud levibus ducti conjecturis. Prima desumitur ex epistola 90. editionis Salmanticensis, quae est 87. editionis Coloniensis, prid. Non. Mart. ann. Christ. 1555. exarata, in qua Ferdinando Valdesio Antistiti Hispalensi ac supremo Fidei Exetastae se excusat, quod nihil jam pridem ad eum litterarum dederit, propterea quod aestate superiore gravissimo ac periculoso morbo, medicis jam de ejus salute desperantibus, oppressus decubuerit, nec vires adhuc satis recipere quiverit, cum jam ab initio morbi nonus mensis ageretur: subjun-

[1] Auctor vitae hujus videtur fuisse Arnoldus Mylius, cujus sumtibus Sepulvedae opera prelo sunt commissa.

[2] Vol. 1. p. 533. col. 1.

gitque annum se jam sexagesimum quartum numerare; tametsi non defuerint ex amicis saluti ejus metuentibus, qui suspicione ad sexagesimum tertium revocarent, annum scilicet climactericum traditione medicorum infamem. Hinc facile ex ipsis auctoris verbis innotescit, eum aestate ann. 1554. Junio fortasse, aut Julio, quo morbum incurrit, κλιμακτῆρα *communem seniorum omnium tertium et sexagesimum* (verba sunt auctoris) *evasisse*. Igitur si ex hoc annorum numero quatuor et sexaginta demas, haud inepte Genesii natales ad ann. 1490. revocabis.

Altera conjectura, qua in hanc opinionem vergimus, eruitur ex epistola auctoris 102. editionis Salmanticensis et 99. Coloniensis, ad Guilielmum Malinaeum Carolo V. a consiliis exarata Kal. Jun. ann. Christi 1557. in qua refert incommodam valetudinem se contraxisse tum ex longi ac totius Hispaniae difficillimi itineris labore, tum ex temporis inusitate saevientis injuria, cum mense Martio illius anni ex Baeturia in agrum Placentinum venisset, ut Carolum Caesarem longo quatuordecim annorum intervallo viseret (tamdiu enim hic abfuerat ab Hispania) et venerabundus ad eum secessum salutaret, quem sibi ad radices Orospedae montis, qua meridiem et occidentem solem spectat, opportuno loco, amoeno, et salubri ad vitam privatam peragendam delegerat. Quibus incommodis homo id aetatis, *septimum annum agens et sexagesimum* (verba sunt auctoris) cum par esse non posset, incidit paulatim in morbum sane quam molestissimum. Hinc etiam certa ratione deducitur, Sepulvedam anno 1490. in lucem editum, cum ad 1557. sexaginta septem anni numerentur.

De die autem natali, deque mense nihil nos certi eruere potuimus neque ex auctoris epistolis, nec aliunde. Quare ineptum esset in re tam obscura et non adeo magni momenti conjecturis indulgere.

Parentes [1] sortitus est honestos illos quidem et non ignobiles, Genesium Sepulvedam Sanctium Cordubae natum, quique originem ducebat ex Montoro atque Adamuzio, et Mariam Ruiziam

1 Quae de Sepulvedae parentibus hic memorantur, desumta sunt ex erudita ac eleganti epistola, quae a Rectore atque alumnis Collegii Hispanorum Bononiensis transmissa est VII. Kal. Maj. ann. 1778. ad V. Ill. doctrinae juxta ac litterarum patrocinio de rep. optime meritum D. Petrum Rod. Campomanesium Regi Catholico a Consiliis in utroque Castellae Dicasterio, Regiaeque hujus Academiae Moderatorem, ubi non pauca afferuntur, quae ad Sepulvedae vitam ac scripta illustranda non mediocre nobis auxilium suppeditarunt.

ziam Sepulvedam, qui urbe illa relicta sedem fixerant in Puteo albo.

Post emensum humaniorum litterarum stadium in urbe Cordubensi, quae, ut Martialis verbis utamur, *duos Senecas, unicumque Lucanum facunda loquitur*, Complutum se transtulit celeberrimum tunc temporis scientiarum omnium Athenaeum, ubi triennium summo animi conatu in Philosophiam incubuit sub Xancto Miranda et Carranza, Artium [1] et Theologiae doctore eruditissimo, uti a Genesio vocatur, quique in ea terrarum orbis celeberrima Academia dialecticam et physicam doctrinam, deinde Theologiam tanta cum nominis sui gloria docuit, ut solus paene in scholis regnare videretur.

Quantos in philosophicis studiis progressus fecerit Sepulveda, quantamque de se in omnium animis excitarit exspectationem, documento esse poterit, quod in Seguntinum Divi Antonii Collegium communi suffragio fuerit cooptatus; quod Collegium ad normam Bononiensis institutum est a Jo. Lupo de Mitina, viro summo et numquam satis laudato, qui in Ecclesia Seguntina Archidiaconus fuit Almazanensis, ter denis scholasticis studia Theologiae aemulantibus: *cujus nos adolescentes* (ut Sepulvedae verbis utamur [2]) *aliquam partem fuisse non modo non poenitet, sed etiam gloriamur*.

Jam vero quamquam non parvam sibi et in philosophicis et theologicis disciplinis doctrinae supellectilem apud nostrates comparaverat, nihilominus cum ardentiore in dies animo in studia litterarum ferretur, Bononiam tamquam ad scientiarum omnium domicilium cupidissime se contulit, ut locum, Hispaniae alumnis vacuum in illo Collegio relictum, et in quem fuerat a Francisco Ximenio Cisnerio, Toletano Antistite, Sanctaeque illius Ecclesiae Capitulo suffectus, adimpleret. Itaque magna omnium approbatione sui voti factus est compos VII. Kal. Quintil. ann. 1515. Rectore Jacobo Arrehaga, viro utriusque juris doctissimo, cujus meminit Sepulveda tum in *descriptione Collegii Hispanorum Bononiensis*, [3] tum in epistola ad eumdem Jacobum scripta.

Quo tempore Sepulveda in Bononiense Collegium cooptatus est, insignitus jam erat in Hispania baccalaurei honore; num in Philosophia, an Theologia, nobis incompertum. Illud certe constat,

[1] Digna lectu sunt, quae de praeceptore suo Miranda litteris consignata reliquit Sepulveda in *descriptione Collegii Hispanorum Bononiensis*, pag. 84.

[2] Descript. Colleg. Hisp. Bon. p. 8.

[3] Pag. 80.

stat, Sepulvedae eam addiscendi provinciam fuisse demandatam, quae non nisi Theologis patebat. Scimus tamen, Philosophiae eum operam dedisse sub Petro Pomponatio, [1] qui eam in Bononiensi Academia edocuit ab anno 1515. ad ann. 1527. Sed quoniam probe vir prudens intelligebat, vix posse quemquam progredi tum in Philosophia, tum in scientiis sacratioribus sine Graecae Latinaeque orationis studio haud mediocri: nihil prius sibi faciendum existimavit, quam, si quod a reliquis studiis supererat temporis, totum in hac exercitatione impenderet. Quare tantam sibi brevi in utroque sermone facultatem comparavit, ut vertendis e Graeco in Latinum exponendisque quibusdam Aristotelis aliorumque Graeciae Philosophorum voluminibus, jam tum licet juvenis magnum sibi nomen fecerit apud posteros, ceu testantur id genus lucubrationes, [2] quae in lucem emissae ad aetatem nostram pervenere, quasque suo loco, servata annorum serie, quibus e prelo exierunt, copiosius recensebimus.

Quamvis Sepulveda non uno in loco *Doctorem* se *Theologum* appellitet, minime tamen constat, eum Bononiae aut Magistri Artium, aut Doctoris Theologi lauream suscepisse, dum inter illius Collegii alumnos censeretur. Quamobrem verisimile existimamus, honores illos Romae adeptum: nam in authentico instrumento ibi asservato, ex quo plane constat, Sepulvedam anno 1536. Collegium invisisse, et in libro rationum eodem anno exarato reperitur Sepulvedam alibi *Magistri*, alibi *Doctoris in Philosophia et Theologia* honoris gradum sibi adscribere. Sunt qui existiment, Sepulvedam Theologiae professorem fuisse designatum in Academia Bononiensi; verum de hoc altum apud probatos scriptores silentium.

Sed quoniam temporis rationem, quae commodissima omnium visa est, sequendam nobis, quantum quidem licebit, proposuimus tum in auctoris vita describenda, tum in ejus operibus recensendis: res postulare videtur, ut de Aegidii Albornotii, cujus auspiciis et sumtibus Bononiense Collegium honestis nostri generis juvenibus litterarum studia aemulantibus est conditum, historia a Sepulve-

1 Fuit Pomponatius hic Mantuanus, cujus exstat liber *de animorum immortalitate*, rarissimus ille quidem, et ob atheistarum dogmata famosus, de quo videndus Joannes Vogt in *catalogo librorum rarior.* et Bael. in *Lex. critic.*

2 Memorat has interpretationes suas auctor in praefatione ad libros rerum gestarum Aegidii Albornotii, in Antapologia, in epistola ad Philippum II. praemissa libris Aristotelis de Republica, et passim in epistolarum fasciculo.

veda conscripta, et anno 1521. in lucem edita, sermonem instituamus, et quae ejus scribendae fuerit occasio, paulo accuratius explicemus.

Cum Aegidii Cardinalis, qui belli pacisque artibus vivens summam sibi nominis claritatem comparaverat, praeclara facinora nemo nisi avare, et dum alias res ageret, tradidisset, tanti viri ac de se optime meriti memoriam ab ea injuria vindicare conantes Collegii Hispaniensis sodales, quosdam velut commentarios rerum ab eo gestarum haud mediocri labore confecerant. Hos autem in historiae formam redigendi Joanni cuidam Garzoni [1] Bononiensi, qui temporibus illis haud infimum inter litteratos nomen obtinebat, provinciam demandarunt, oblata satis honesta conditione. Ita factum est, ut Aegidii nomen, quod paene oblivione oppressum jacebat, in apertam lucem emergeret. Verum scriptor ille disertus, ut putabatur, tam negligenter munus suum obivit, ut multa intacta reliquerit, multa alieno loco, nec satis explicata tradiderit, nulla saepe vel temporum vel locorum habita ratione. Unde nec historiam, nec optimos Latinae linguae auctores umquam legisse appareret. Hanc indignitatem minime ferentes Aegidiani Collegii sodales, Sepulvedam, qui in eo scientiarum Athenaeo ingenii sui praestantiae haud obscura documenta praebuerat, summa ope exorarunt, ut rudem et barbaram historiam in mitiorem cultum et elegantiorem formam redigeret. Ille vero cum ex Tullio probe didicisset, historiam nec institui nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolvi posse, diu equidem est reluctatus, sacrarum litterarum et Aristotelicae doctrinae studio severiori, quo multos jam annos flagrabat, occupatus. Sed ne tam honesta petentibus et praeclara meditantibus quidquam negare videretur, accedente etiam Bernardini Carvajalis S. R. E. Cardinalis auctoritate, victas tandem manus

1 Joann. Garzonis commentarii asservantur in Collegii Bononiensis tabulario manu exarati, et minio ornati a Hieronymo Pagliaroli ann. 1506. ut discimus ex epistola superius laudata Rectoris ejusdem Collegii, a quo etiam admonemur, verum eorum auctorem fuisse Rodericum Bivarem collegam, qui ibi saeculo XV. ad extremum jam vergente florebat. Nam sub initium codicis legitur: *Incipit liber per Joan. Garzonem civem Bononiensem, collectusque sudore, labore, industria Roderici Bivaris Hispani.* Quare in dubium revocare amplius jam non licet cum Nic. Anton. vol. 2. *Bibl. Hisp.* p. 209. verum Aegidianae historiae auctorem fuisse Bivarem: cui si foetum suum perficere licuisset, minime dubitandum est, quin egregie muneri suo satisfecisset, nam ex epistola ad Alfonsum Carrillum Episcopum Abulensem operi praefixa haud obscure apparet, eum et stili elegantia, et dicendi ordine Garzoni longe multumque praecellere.

nus dedit, et succisivas horas, quas litterarum Graecarum studio, in quo diu multumque fuerat versatus, impendere consueverat, huic operi conficiendo destinavit. Quod opus Ludovico Carrillo Albornotio [1] jure optimo dicandum statuit, viro non solum inter Hispaniae proceres generis nobilitate et omni virtute praestantissimo, sed etiam Albornotiane familiae principi, ac proinde gloriae ac laudum Aegidii legitimo heredi. Sepulveda candide fatetur, multum se operae posuisse non modo ut orationi Latinae aliquem nitorem adderet, sed multo magis in revolvendis illis scriptis, quorum fidem, sed praepostere, secutus fuerat Garzo, ut aliqua saltim locorum ac temporum ratio constaret, et quae desiderabantur, expleret.

Ceterum tam cumulate muneri suo satisfecit, ut ex hac prima Sepulvedae lucubratione satis luculenter appareat, quantum fuerit ejus ingenium, quantaque in optimis Latinae linguae auctoribus imitandis facultas.

Excusum est hoc opus Bononiae primum typis Hieronymi de Benedictis ann. 1521. cum hac inscriptione: *Rerum gestarum Aegidii Albornotii Carrilli Conchensis S. R. E. Cardinalis, et Archiepiscopi Toletani, ducis clarissimi libri tres, in quibus, qua ratione tyrannica oppressam servitute Italiam in libertatem asseruit, Ecclesiaeque restituit, et Pontifices Avenione exsulantes Romam reduxit, legisse operae pretium fuerit.* Ad calcem hujus historiae Aegidianae adtexitur: *Brevis Bononiensis Collegii Hispanorum descriptio, et quorumdam, quae ad ipsum pertinent, commemoratio.*

Prodiit iterum ac tertio Bononiae *Aegidiana historia*; nempe ann. 1559. fol. typis Antonii Giaccarelli ac Peregrini Bonardi, sumtus suppeditante Collegio, cui tum praeerat Michaël Salazarius, postea Judex provinciae Calabrensis in regno Neapolitano; deinde ann. 1628. ibidem typis Clementis Ferronii. In editione vero operum Jo. Genesii Sepulvedae, quae junctim prodiere Coloniae Agrippinae ex officina Birckmannica sumtibus Arnoldi Mylii ann. M. DC. II. in 4° [2] primum obtinet locum.

Cum

1 Ludovicus Carrillus fratrem habuit Gomezium, qui *magno animo magnaque sapientia* (verba sunt Sepulvedae in praefatione ad opus, de quo loquimur) *Conchensem Ecclesiam Thesaurarius moderatur, quoque alumno Collegium nostrum gloriatur,* quemque, ait, litteris a se consultum multa e fidelibus monumentis suppeditasse ad hanc historiam pertinentia.

2 Quoniam crebra a nobis mentio hujus editionis non cuivis obviae in progressu ope-

Cum tanta sit operis hujus praestantia, tanta rerum, quae in eo tractantur, dignitas atque majestas, mirum non est, si ad ejus interpretationem in linguas vernaculas Hispanam et Italicam adornandam viri docti ac Bononiensis Collegii alumni sponte sua excitarentur, quo tantus thesaurus omnibus pateret. Itaque Antonius de Lantadilla et Vela Sepulveda approbante versionem suam Toleti in lucem emisit ann. 1566. apud Jo. de Ajala octuplici charta. [1] Eamdem quoque provinciam suscepit Doct. Franciscus Antonius

operis est injicienda, juvabit aliquam ejus notitiam hic praemittere. Inscripta est: *Jo. Genesii*, &c. Sequitur Mylii Epistola ad Marcum Velserum II. virum Augustanum, *Elenchus operum* auctoris, et lucubratiuncula *de vita scriptisque Jo. G. Sépulvedae Cordubensis e scriptis ejus et epistolis collecta*, cui inter elogia auctoris locum dabimus, una cum Mylii epistola. Elenchus operum ejusmodi est:

De vita et rebus gestis Aegidii Albornotii, Cardin. libri tres, pag. 1.
Descriptio Collegii Hispanorum Bononiensis, pag. 63.
De Regno et Regis officio libri tres, pag. 71.
Epistolarum libri septem, pag. 119.
De correctione anni et mensium Romanorum, pag. 289.
Dialogus de appetenda gloria, qui inscribitur Gonsalus, pag. 310.
De honestate rei militaris, qui inscribitur Democrates, *libri tres*, pag. 339.
Apologia pro libro de justis belli causis suscepti contra Indos, pag. 423.
Oratio ad Carolum V. ut bellum suscipiat in Turcas, pag. 446.
Dialogus de ratione dicendi testimonium in causis occultorum criminum, qui inscribitur Theophilus, pag. 460.
De ritu nuptiarum et dispensatione libri tres, pag. 492.
De fato et libero arbitrio contra Lutherum, libri tres, pag. 536.
Antapologia pro Alberto Pio Comite Carpensi in Erasmum, pag. 594.

1 Integra versionis epigraphe hujusmodi est: „Historia de los hechos del Ilustrissimo Señor Cardenal D. Gil de Albornoz Arzobispo de Toledo. El qual puso en libertad a Italia, opresa casi toda en tiranica servidumbre, y la restituyó a la Iglesia, y volvió a Roma los Pontifices que estaban como desterrados en Aviñon. Escripta en latin por el doctissimo Juan Genesio de Sepulveda Cordoves, Coronista del invictissimo Emperador Carlos V. traducida en Castellano por el Maestro Antonio Vela con el testamento del dicho Señor Cardenal, y la instruccion de lo que han de hacer los que pretendieren colegiar en su Colegio en Bolonia, corregida por el mesmo Juan Genesio de Sepulveda.“ I. vol. 8° Vides hic, L. B. Antonium Velam operis interpretem disertis verbis pronuntiari: ceterum folio sequenti legimus: *Yo Juan Fernandez de Herrera, Secretario del Consejo de Su Magestad, doy fe, que haviendose visto por los Señores dél un libro que Diego Vazquez de Contreras, Racionero en la Santa Iglesia de Toledo, tradució de lengua Latina en Castellana, intitulado*: La historia del Cardenal D. Gil de Albornoz, *Arzobispo que fué de Toledo, se le dió licencia para lo poder imprimir, el qual lo truxo impreso*, &c. Hinc alium historiae Aegidianae interpretem fuisse merito quis arguet, Didacum nempe Vazquium, eumdem fortasse, qui Nic. Ant. teste vol. 1. B. N. Hispanice vetit prosa oratione *el Orlando furioso* Lud. Ariosti. Verum enim vero cum Regia facultate ad opus typis eudendum legatur: *Por quanto por parte de vos Diego Vazquez de Contreras, Racionero en la Santa Iglesia de Toledo, y Capellan de nuestra Capilla Real de los Reyes nuevos, que está en la dicha Santa Iglesia, nos ha sido fecha relacíon, que vos haviades hecho escrevir y traducir en lengua Castellana la historia del Cardenal Don Gil de Albornoz, Arzobispo que fué de Toledo, que estava escripta en Latin por el Doctor Juan Ginès de Sepulveda, Coronista que fué del Emperador y Rey mi Señor*

y

nius Docampus Guiral, Collega item Bononiensis, qui Aegidianam historiam [1] Hispanice loquentem in lucem protulit Bononiae typis heredum Jo. de Roxo ann. 1612. in 4° dicatam Zapatae S.R.E. Cardinali Hispaniae ac Collegii patrono.

Versionem Italicam duplicem etiam habemus: priorem elucubravit Doctor Franciscus Stephanus Velezius Bononiensis quondam Collegii praefectus, postea Canonicus Placentinus in Hispania typis Joannis Rossi expressam Bononiae ann. 1590. dicatamque Petro Dezae Cardinali, adjectis ad finem supremis Albornotii tabulis. Alteram debemus Francisco Savaro, Ecclesiae Miletanae Archidiacono, et Canonico, ut vocant, Poenitentiario. Accessere huic editioni nova atque amplissima Collegii descriptio, varia in laudem ejus conditoris poëmatia, et regia aliquot diplomata. Omnia haec simul Bononiae prodiere ex officina Jacobi Montii ann. 1664. cum interpretis ad Collegium epistola, et altera Collegii ad Senatum populumque Bononiensem.

Prius quam ad alia progrediamur, operae pretium nos facturos existimamus, si mentionem injiciamus libelli cujusdam ab Andrea de Pitillas et Ruesga exarati, Collegii Bononiensis quondam

y nuestro, &c. vero similius existimamus Vazquii tantum hortatu opus versum, ejusque cura et forte etiam sumtu Toleti editum. Quoniam versionem Sepulvedae ipsius calculo probatam diximus, juvabit ejus verba huc adducere. „ Digo yo, *inquit*, el Dr. „ Juan de Sepulveda, Coronista, que leí, y me hice leer este libro, en el qual se con- „ tiene la historia de los hechos de D. Gil de Albornoz, Arzobispo que fué de Toledo, „ y Cardenal de la Iglesia Romana, trasladada en Romance Castellano de la que yo „ escribí en Latin en Bolonia, siendo Colegial en el Colegio de los Españoles insti- „ tuido y dotado por el dicho Arzobispo y Cardenal. Y por mandado del Consejo de „ S. M. le vi y consideré; y cotejado con el original impreso en Bolonia, me parece „ que está bien y comodamente trasladado; y que será bien que se imprima y publi- „ que en lengua Castellana, así por la honra y fama entre los de su nacion de varon „ tan excelente, a quien España debe mucho, como por los exemplos singulares de su „ prudencia, Religion y grandeza de animo. En el qual libro yo no hallé cosa que fue- „ se escandalosa, ni agena de la catholica verdad, sino muchas dignas de ser sabidas e „ imitadas. Y en el mismo libro se contiene el testamento del dicho Cardenal, cosa „ de singular exemplo. Y porque es verdad lo firmé de mi nombre en Pozoblanco, Villa „ y termino de Cordova, á 14. dias del año del Señor de 1566. El Dr. Juan de Se- „ pulveda.“

1 Docampus versioni suae Aegidianae historiae viri hujus clarissimi *testamentum* adjunxit, sed omisit Collegii descriptionem. De Sepulveda haec habet in praefatione: *Entre los quales* (nempe viros illius sodalitii praeclarissimos) *no merece el ultimo lugar, porque fué doctissimo en la facultad de Teología, como muestran bien sus obras, y tan elegante en el arte de la Retórica y Filosofia, que sin ofensa de los de Cordoba pienso cierto que no han tenido en aquella Ciudad quien le excediese despues de su antiguo Seneca, que en los primeros siglos floreció tanto; y porque desde entonces acá han salido tan insignes hombres de este Colegio, que fuera casi imposible hacer mencion dellos sin mucho tiempo y trabajo.*

dam alumno, qui Philosophiam in Academia Salmanticensi, et Theologiam in Bononiensi professus, Abbas primum Complutensis, deinde Canonicus Toletanus, postremo juridici conventus Valdolitensis Praeses est designatus. Impressus est Bononiae formis Jacobi Montii ann. 1678. cum hac inscriptione: *Appendix ad caput ultimum historiae Aegidianae.* [1] Totus in eo est auctor, ut Sepulvedam a quorumdam criminationibus vindicet, qui virum clariss. in assignando Albornotii anno emortuali turpiter lapsum asseverabant. Itaque primum statuit Sepulvedam in editione sui operis principe, anni nempe 1521. recte Albornotii mortem ad annum 1367. diemque 23. Sextilis retulisse: sed in posterioribus [2] annorum 1559. et 1628. typothetarum sive imperitia sive oscitantia millesimum trecentesimum sexagesimum quartum irrepsisse; postea Sepulvedae sententiam multis comprobat argumentis ac testimoniis, queis fidem denegare nemo sanus ausit.

Sed redeamus ad Sepulvedam Bononiae ingenii sui famam longe lateque in dies propagantem. Anno 1522. pridie Kalendas Februarii Carpum se contulit; [3] oppidum ditionis Mutinensis, rediitque XVI. Kalendas Aprilis. IX. Idus ejusdem mensis iterum e Collegio secessit, abfuitque ad quartum usque diem Aprilis anni sequentis 1523. Denique pridie Nonas Maji ejusdem anni impetravit ab Antonio Zarate et a Consiliariis, uti duos menses abesse liceret; sed cum neque illo temporis intervallo, neque post quatuor alios menses in Collegium revertisset, neque illinc abesse ultra annum et dimidium ex legibus a conditore praescriptis liceret, e Collegarum albo exemtus est IX. Kalendas Quintiles.

Etsi minimè ex auctoris operibus inferre fas sit, ubinam gentium

1 Hoc Andr. Pitillae opusculum quatuor constat capitibus. Duobus prioribus annus mensisque, quibus Aegidius extremum clausit diem, invictis argumentis extra omnis dubitationis aleam ponitur. Tertio quot natus annos Aegidius obierit, disquiritur. Quarto tempus, quo Collegii aedificium absolutum, inque illud Collegae fuere admissi, explanatur.

2 In priori editione disertis verbis dicitur: *Vitam cum morte commutavit anno gratiae millesimo trecentesimo sexagesimo septimo.* In editione an. 1559. legitur: *Sexagesimo quarto.* Andr. Pitillas aliquid in hac editione de *titulo dedicationis* ademtum asseverat, uti et de Collegii descriptione. In editione an. 1628. post verba illa: *Sexagesimo quarto* additur. 3. *Kal. Octobris*, citato ad marginem Mariana in lib. 17. c. 7. Sed quod gravius est, editor integras ademit partes, integrasque absque necessitate mutavit, tum in historia, tum in Collegii descriptione, teste Pitilla.

3 In libro tertio, ubi eorum nomina describuntur, qui inter Collegas cooptantur, scriptum reperitur manu Jacobi Poncii Legionensis: *Recessit iturus in oppidum del Carpo.*

tium degeret, quamdiu e Collegio abfuit, conjectari tamen haud inepte licet, versatum eum fuisse apud Albertum Pium [1] Carporum Principem, qui Sepulvedam Bononia ex Collegio Hispanorum propter summam, quam de studiis ejus habebat opinionem, ad se sponte sua vocatum (ut vir doctissimus hominum non indoctorum familiari consuetudine delectabatur) tam humanè semper tamque amanter multos annos tractavit, ut nihil vel honoris, vel benignitatis, vel denique favoris cuiquam suorum tribuerit, quod illi nonfuerit sane lubens impartitus. Ibi studia sua ac lucubrationes doctorum hominum consuetudine perfecisse putandus est Sepulveda, ex quo discimus, [2] Albertum domi semper viros Italiae in omni genere litterarum doctissimos habuisse, quibus partim praeceptoribus, partim sociis studiorum ad litterarias exercitationes uteretur. Horum in numero fuere Aldus Manutius, Pii quondam in litteris humanioribus institutor, Tryphon Byzantinus, Marcus Musurus, viri utriusque linguae cognitione praestantes, Petrus Pomponatius Sepulvedae præceptor, Joannes Monsdocus Hispalensis, summi viri in doctrina peripatetica, quorum ille Bononiae, hic Theologiae quoque cognitione praestans, Pisis atque Patavii, maximis praemiis publice propositis, Philosophiam docuerunt; Andreas Barrus, magnus item Philosophus, aliique *Magnanimi heroës nati melioribus annis.*

Horum consuetudine, si Nicolao Antonio credimus, totus exarsit ad Philosophi principis doctrinam ex ipsis Graecae linguae adytis perscrutandam, pluresque ejus libros atque ejusdem enarratorum fideliter ac philosophice non Ciceroniane vertendos. Sed ut superius innuimus, jacta jam fuerant hujus studii vertendique Aristotelem semina in Collegio Bononiensi: ex quo sane ostenditur, Sepulvedam ibi Philosophiam non ex hominum indoctorum scriptis, sed ex ipsis limpidissimis fontibus exhausisse. Tanta jam tunc in eo erat ingenii vis discendique flagrantissimum desiderium.

Quamdiu vero apud Carporum Principem fuerit versatus, nobis incompertum est. Illud certe affirmare possumus, anno 1526. Romae eum fuisse, quo tempore Hugo Moncada cum Hispanorum peditum circiter septingentorum Neapoli confecta manu, et ex castellanis finium Columnensium ad mille quingentis coactis Ro-

1 Ita ipse quodammodo testatur initio Antapologiae pro Alberto Pio in Erasmum. Ibi etiam nos docet fuisse se in domesticis Carporum Principis.

2 Loco citato.

Romam mense Septembri profectus, trajecto Tiberi, vicum suburbanum, qui *Burgus* dicitur, primum occupavit, deinde Urbe potitus est nemine prohibente. Nam postquam narravit lib. VI. *de rebus gestis Carol. V.* [1] quae eo die gesta fuere, subjungit: *Me, qui cum mei ordinis et nationis amicis in Burgum spectandi gratia processeram, conspiciente ex fenestra scilicet et audiente.*

Nos sane cum Sepulvedam, ex quo Bononiensi Collegio valedixit, apud Carporum Principem diversatum fuisse existimemus, facile quoque adducimur, ut credamus, Romam eum anno 1525. una cum hoc viro praeclarissimo contendisse, qui propter plurimum rerum usum et veterem nobilitatem singulari doctrina cumulatam, a Francisco Rege [2] legatus ad summum Pontificem missus, non modo Gallorum sed et suas res procurabat, infenso in Carolum Caesarem animo propter Carpensem principatum, quo fuerat a Caesarianis dejectus. Hoc quidem luculentius apparebit, si auctoris nostri verba perpendamus, qui libro VII. §. 10. pag.221. Romanae urbis expugnationem ann. 1527. enarrans: *Nam et ego*, inquit, *ex aula pontificia me in arcem receperam cum Alberto Pio, cujus eram non negotiorum administer, sed studiorum, quemadmodum ipse dicere solebat, socius, ut vir ille doctissimus nulla re aeque ac doctrinarum studiis et hominum non indoctorum consuetudine delectabatur.*

Dum Romae Genesius versaretur, tantam ibi nominis claritatem sibi peperit, ut Clemens VII. P. O. M. ac litteratorum fautor egregius, magna de ejus studiis praecepta opinione, provinciam ipsi demandarit in Latinum vertendi Aristotelis ejusque Graecorum enarratorum, [3] ceu postea latius explicabimus. Ceterum cum ab eo studio aliquantulum vacaret, tumultuaria [4] opera subcisivis horis libellum lucubravit, qui prodiit Romae mense Junio ejusdem anni sub hac inscriptione: *Jo. Genesii Sepulvedae Cordubensis, Artium et Theologiae Doctoris* de fato et libero arbitrio *libri tres: quo in opere dogma nefarium Martini Lutheri de cunctarum actionum eventorumque necessitate tum naturalibus, tum theologicis rationibus doctissime ac elegantissime confutatur.*

1 Vol. I. lib. VI. §. 40. pag. 203.
2 Vid. lib. VI. de reb. gest. Car. V. §. II. pag. 173.
3 Ita auctor noster tum in epist. ad Clementem VII. praemissa Alexandri Aphrodisiei commentariis, tum in epist. ad Joann. Ruizium: de quibus inferius.
4 Verba sunt laudatae epistolae ad Ruizium.

1. tom. in 4.° Recusus est iterum primo loco inter alia auctoris opuscula Parisiis typis Simonis Colinaei ann. 1541. in 8° itemque Coloniae a pag. 536. ad 594. In editione Romana attexitur ad calcem Sepulvedae epistola ad Joannem Ruizium Canonicum et Scholasticum Cordubensem Romae conscripta postridie Nonas Junii, quae omissa plane est tam in posterioribus hujus libelli editionibus, quam inter reliquas auctoris epistolas. In ea primum nos docet, monitum se a Ruizio, ut Joannem Toletanum, Episcopum Cordubensem litteris saltim, quando coram non daretur, aliquando salutaret; fore namque ejus epistolam optimo Praesuli, quique diu in studio litterarum cum laude fuisset versatus, nec mediocrem de Sepulvedae studiis ex quibusdam ejus libellis opinionem percepisset, non injucundam. Quare amici precibus victus Sepulveda munusculum hocce *de fato et libero arbitrio* ad eum transmisit gravissimo et amplissimo Praesuli reddendum. Deinde quibusdam e nostris respondet Sepulveda, queis non satis commode locutus videbatur, quod in ipsa operis inscriptione dixerit *ad Joannem Toletanum*, [1] *non a Toleto* contra receptam Hispanorum consuetudinem et nonnullis illustrissimae hujus familiae viris probatam.

Nunc de opere ipso pro instituti ratione aliquid adjiciamus.

Scripserat infensissimus ille religionis hostis Lutherus *de servo arbitrio* librum in Erasmum Roterodamum, cum hic *de libero arbitrio* lucubrationem docte et eleganter, ac perinde religiose in lucem protulisset, quo Lutheranum errorem ac impiam temeritatem scienter ille quidem et peracute, sed justo tamen modestius insectatus est. Ceterum cum totam causam complexus haud fuisset, et quid natura rerum humanaque ratio poscat, omisisset, sententiam suam testimonio dumtaxat sacrarum litterarum confirmasse contentus: suarum esse partium duxit Sepulveda quaestionem, cujus discrimine maxima et morum et religionis momenta versantur, paulo altius repetitam latius etiam explicare, ut Lutherano furori effrenate sese in dies jactanti cunctis rationibus, quantum studio et labore consequi posset, obviam occurreret. Nam cum cetera illius nebulonis impia et nefaria dogmata viri singulari tum doctrina tum et-

1 Editio Romana hanc praefert inscriptionem: *Ad amplissimum Patrem et principem illustrissimum Joannem Toletanum, Episcopum Cordubensem Jo. G. Sepulvedae de fato et libero arbitrio liber*. Unde male in editionibus Parisina et Coloniensi scriptum non semel *Toletum* pro *Toletanum*.

etiam gravitate praediti multi singula libris editis cohibuerint: hoc, quod non solum Christianae religioni, sed omni divino cultui, libertati hominum, cunctis denique legibus humanis et divinis latenter insidiatur, merebatur sane non minus multorum hominum testimonio ac scriptis refelli. Hinc tres libros Genesius elucubravit *de fato et libero arbitrio*, quorum argumentum his verbis ab auctore nostro explicatur: *Primum igitur in hac quaestione tum Philosophorum tum Theologorum rationibus causam nostram confirmabimus: deinde adversariorum Philosophorum argumenta secundo libro proponemus, eademque ut Philosophi refutabimus: tum in tertio incommodis, quae ejusmodi errorem communiter consequuntur, explicatis, Martini captiones privatim, ut ratio poscit Christianae religionis, refellemus.*

Sed antequam ad rem sibi propositam explicandam progrederetur Sepulveda, non alienum putavit, qui fons tantorum malorum, et quasi caput exstitisset, aperire, et de moribus et flagitiosis artibus Lutheri pauca breviter commemorare; ut a quibus initiis profecta nefaria scelestissimi hominis molitio vires paulatim sumendo processerit, intelligeretur. Illudque pro comperto affirmat, quod mirum cuipiam fortasse videbitur, studium eloquentiae humaniorumque litterarum Germanis hanc perniciosissimam pestem invexisse. Quamdiu enim Germania gravioribus disciplinis intenta rebus rerumque solidae congnitioni, non verborum inani garrulitati ac sermonis lenociniis studebat, provenere in ea viri et pietate simul et doctrina praestantissimi. Postea vero quam, optimis his disciplinis relictis, coeptum est a leviculis quibusdam hominibus Graeci Latinique sermonis cognitioni ac dicendi facultati accuratius indulgeri; exorta est prava hominum quorumdam pestis, qui maledicorum impiorumque librorum commercio facile omnem impietatem caninamque maledicentiam imbiberent, ac mores omnino corrumperent. Itaque non hominum tantum, sed etiam Dei contemtores effecti, quantulamcumque dicendi facultatem comparaverant, hac ad omnem religionem funditus evertendam abuti coeperunt scriptis libellis, quibus Germanae juventuti clam venenum propinabant. Quidquid de hac re sit, illud certum est, brevi temporis intervallo totam fere Germaniam impiorum quorumdam et audacissimorum hominum, praesertim Martini Lutheri, artibus veram religionem et sanctissima Christianorum instituta proculcasse.

Se-

Sepulveda in hoc opere non modo se insignem praestitit Theologum acerrimumque Religionis propugnatorem, sed et egregium Philosophum, et in antiquorum placitis summo opere exercitatum, cum nihil eorum intactum relinquat, quae de fato ab illis tradita sunt. Unde, Michaële Medina teste, in hoc opere *Ciceronis eloquentiam, et Aristotelis philosophiam, et quod prius est, Christiani pectoris integritatem invenias.*

Erasmus in *Ciceroniano*, ubi eos recenset, qui Latinae eloquentiae principem sunt imitati, de Sepulveda loquens, eum edito Romae libello (isto nempe *de fato*) praeclaram de se spem praebuisse affirmat. Quod testimonium licet Genesio perhonorificum visum fuerit, cum laudari a laudato viro magni sit habendum; tamen aequo animo ferre non potuit, spem dumtaxat in homine jam propemodum quadragenario quique sexdecim jam annos litterarum causa in Italia moraretur, laudari: quare Erasmum levioris hujus lapsus per [1] litteras admonuit.

Eodem hoc anno 1526. Sepulveda Romae in lucem emisit libros Aristotelis *de ortu et interitu* Latine ab se versos: quos videre nobis non contigit, ut de iis judicium nostrum interponeremus, aut aliqua inde ad hanc historiam illustrandam decerpere liceret. [2]

Sub anni insequentis initium [3] prelo subjecit Sepulveda *Alexandri Aphrodisiei commentaria in duodecim Aristotelis libros de prima Philosophia* cum Latina interpretatione ad Clementem VII. Pont. Max. Romae in aedibus Marcelli Silver, alias Franck anno Domini M.D.XXVII. mense Februario, ingenti volumine [4] in folio.

Ag-

1 Litteras hasce minime insertas reperimus inter editas a Sepulveda.

2 Sepulveda in epistola ad Clementem VII. praemissa interpretationi commentariorum Alexandri Aphrodisiei in libros Aristotelis XII. de prima Philosophia, dum de penuria queritur interpretum, qui Philosophorum principis enarratorem latio donaverint: *Pudet*, inquit, *dicere, quanta caecitate, quod alias testatus sum, Latini exponendis Aristotelicis hallucinentur*: forte hoc argumentum pertractavit in opere, quo de agitur.

3 Clementis VII. litterae, quibus ad hanc editionem perficiendam facultas datur Demetrio Ducae Cretensi, Graecarum litterarum in alma urbe Roma publico professori, signatae sunt die XXII. Januarii M. D. XXVII. pontificatus Clementis VII. anno IV. Nicolaus Antonius dicatum hoc opus tradit Adriano VI. Pont. Max. qui anno M. D. XXIII. vivere desiit. Quare Bononiensis Collegii fructum hunc fuisse facile licet existimare.

4 Constat enim 600 foliis.

Aggressus est laborem hunc tam arduum, tot difficultatibus implicitum nutu atque auspiciis Julii Medicis, cum nondum ad supremi Pontificatus fastigium pervenisset, ascito sibi Clementis VII nomine. Nam cum summus ille vir pro insito Mediceae familiae in litteras amore jam tum quosdam haberet foveretque, qui suae aetatis res gestas accurate ac diligenter memoriae mandarent, alios qui Medicorum, alios qui Philosophorum Graecorum commentaria Latinitate donarent, postremo huic muneri obeundo Sepulvedam parem existimavit. Itaque optimo consilio statuit, ut ab eis potissimum commentariis caperetur exordium, quibus Alexander Aphrodisieus τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ Aristotelis enarravit. [1] Cujus interpretis tanta fuit tum apud Graecos, tum apud Latinos auctoritas, tunc cum studia Peripateticorum vel maxime florerent, ut nemo Peripateticus haberetur, qui non esset idem Alexandreus.

Quantum molestiae, quantumque laboris in hac interpretatione adornanda Genesio fuerit subeundum, praestat ejus quam nostris verbis exprimere. Sic enim se habent: [2] *Ad hoc igitur munus obeundum, cum tibi non aliena meorum studiorum opinione praecepta, me ministro uti placuisset, voluntatem tuam secutus libenti et grato animo difficillimam provinciam suscepi, inviam scilicet et inaccesam, et quam nisi labore Herculeo obiisse non licuit. Quasi enim parum esset in ipso opere tenebrarum, quod sine controversia totius Philosophiae obscurissimum est, et quod nemini, quamlibet in ipsa exercitato, non dico apte convertere, sed ne intelligere quidem liceat absque pertinaci studio, et perpetuis lucubrationibus: innumera librariorum errata, quae passim scatebant, quatuor exemplaribus conferendis per laboriosum examen mihi fuerunt castiganda, tum multa exprimenda Latine, quae cum a Romanis numquam fuerint tractata, Latinis vocabulis omnino carent; prorsus ut vel novis fue-*

1 Inter omnes Aristotelis enarratores merito princeps locus Alexandro Aphrodisieo tribuitur, quamvis eum paulo iniquiorem in Platonem judicet Simplicius lib. 2. *de caelo.* Posteriores ad unum omnes Alexandrum libenter sequuntur, non Graeci modo, ut Themistius, Ammonius, Philoponus, Olympiodorus, Simplicius, Michaël Ephesius; et Latini, ut Boëthius; sed Arabes quoque, ut Averroës. Hinc κατ' ἐξοχὴν ab illis vocatur ἐξηγητὴς, *explanator*, *seu quod omnes Aristotelicos libros exposuerit, seu quod excellentissime, seu quod utrumque*, ut Francisci Patritii verbis utamur t. 1. *Discuss. Peripatet.* pag. 138. Vide etiam egregium de hoc opere Sepulvedae testimonium epist. 23. ad Rodericum Manricum.

2 In laudata epistola.

fuerint nuncupanda, vel unius graeci verbi intellectus multorum Latinorum circuitione explicandus. Quod ut saepe res ipsa factitare suadet ratioque Latinitatis, sic interdum tam molestum est et importunum, ut orationem, quae alias fuisset illustris, implicitam reddat, et tenebris offuscet. Ita fit plerumque, ut si quis se Philologis commendare studeat, Philosophis parum satisfaciat, cum quibus monstris tam duro certamine depugnavi, ut saepe manus fuerim daturus, nisi cujus jussa administrarem, meminissem. Quae postrema verba egregie consonant cum iis, quae inferius scripta reliquit. *Scio*, inquit, *huic quoque operi paratos esse obtrectatores, qui meo nomini, quacumque ratione possint, officiendi, measque cujusque generis lucubratiunculas calumniandi occasiones diligenter arripiunt.*

Ad eloquentiam quod attinet, Sepulveda candide profitetur non aliam a se adhibitam, quam quae extemporanea facultate, quantulamcumque usu sibi comparaverat, suppetebat. Id enim omni ope annisus est, primum ut sermo esset Latinus quidem, sed non fucatus nec ambitiosus: deinde ut orationem, quantum res pateretur, illustraret: tum in primis ut auctoris non modo incorruptas sententias sed verba etiam, quatenus sermonis Latini ratio patitur, transferret.

Libro VI. hujus operis praemissa est *ad Clementem VII. Pont. Max. Jo. Genesii Sepulvedae praefatio in Alexandri Aphrodisiei enarrationem posteriorum librorum Aristotelis de prima Philosophia*. In ea nos docet auctor opinionem per Italiam longe lateque disseminatam, Alexandri enarrationem quintum librum haudquaquam excedere, neminemque jam esse, modo Graecis scriptoribus dignoscendis paulo fuisset curiosior, cui error hic non esset in primis persuasus. In hanc sententiam ex Academia Bononiensi amicorum litteras acceperat, in hanc ex Gymnasio Patavino. Hoc sibi Romae doctissimus quisque asseverarat. Qua de re judicium ferre tamdiu distulit, donec posterioribus libris, de quibus quaerebatur, perlectis, totum opus accuratissime consideraret. Qua provincia diligenter obita, opus integrum eidem auctori tribuendum, diserte pronunciavit quatuor inductus rationibus, queis nemo sanus modo non assentiatur. Prima est inscriptionum antiquitas: quatuor enim antiquissima exemplaria, quorum fidem in versione secutus est, Alexandri nomine sine ulla distinctione inscripta erant at-

atque notata. Secunda, dicendi character sive dictio tam est in utraque parte similis, ut lac non sit lacti similius. Tertia, constantia opinionum: cum non solum quae in hoc opere ab Alexandro disputantur, utrobique sint consentientia, sed etiam quaedam ejusdem dogmata, quae ab Averroë ceterisque Peripateticis celebrantur, et in aliis Alexandri operibus apparent, in his potissimum libris, de quibus quaeritur, reperiantur. Quarta, testimoniorum ratio, qua maxime inscriptio supposititia convinci atque refelli poterat, si quis forte Alexandro posterior, aut ipse Alexander, quod in primis oportebat, citatus reperiretur. Ast omnes, qui post Antoninum et Severum floruere, unum Alexandrum in ore semper ferunt, ut Jo. Philoponus, Simplicius, Ammonius. Quare ineptum foret alium ab Alexandro Aphrodisieo auctorem comminisci.

Praeter Romanam Alexandri commentariorum editionem, quam nobis examinandam praebuit vir cl. Ferd. Jos. Velascus supremi Castellae dicasterii Senator, vidimus et aliam in Regia Bibliotheca Matritensi Venetiis excusam ann. M. D. XXXXIV. in f. Jo. Albertus Fabricius [1] duas alias memorat editiones, alteram Paris. 1536. [2] alteram Venetiis. 1561. utramque in f.

Idem Fabricius observavit, in quatuor Sepulvedae codicibus defuisse Alexandri Aphrodisiei praefationem, quam e codice alio M.S. Graece et Latine dedit Antonius Possevinus libr. XII. *Biblioth. sel. c.* 29: desiderari quoque extremam partem in librum X. *Ceterum ejusdem Aphrodisiei sive scholia, sive paraphrasis Graeca M.S. in XIII.* et *XIV. librum Metaphysices Aristotelis* (verba sunt Possevini t. 2. p. 74.) *in lucem nondum, quod sciam, prodiit, quamvis earum exempla exstent tum apud Petrum Fonsecam nostrum, tum apud Fredericum Pendasium publicum Philosophiae in gymnasio Bononiensi professorem, cui probata sunt, quique in exemplari*

1 Biblioth. Graec. vol. IV. p. 68.

2 Parisiensis istaec editio forte debetur Roderico Manrico, qui hoc opus ibi recudendum in se recepit: nam in epistola ad eum missa a Genesio Roma Idib. Jul. ann. 1534. haec legimus: *Illud autem a te peto, vehementerque rogo, ut si hoc opus Lutetiae, quemadmodum te facturum ostendis, excudendum curaveris, des operam, ut id accurate diligenterque fiat; ad cetera enim mala, quibus fama interpretis est opportuna, accedit librariorum negligentia, qua si quid peccatum fuerit, hoc quoque plerumque solent obtrectatores interpretibus assignare.* Videtur nobis hic auctor prudenter ominatus esse, quod sibi postea accidit. Nam cum Aristotelis Politicorum versionem Parisiis excudisset ann. 1548. Vascosanus, tam foede tamque oscitanter eam repraesentavit, ut ex hac unica causa Sepulvedam tamquam malum interpretem Cl. Petr. Dan. Huetius traduxerit. Qua de re suo loco.

quaedam emendavit, quae exstant apud me. Quamvis vero idem cap. 25. scholia ista Aphrodisiei dictionem et stilum sapere contendit, quae manu exarata fuere etiam in aliis bibliothecis, ut in illa Jo. Vincentii Pinelli teste Andrea Schotto in vita Aristot. p. 160. tamen commentaria haec in Metaphysicorum libros Alexandro Aegaeo, vel alteri cuicumque, aut Michaëli Ephesio tribuere maluerunt Franciscus Patricius et Antonius Scaynus. Haec ex eruditissimo Fabricio ideo huc adduximus, quia a proposito praefationis Sepulvedae paulo ante a nobis commemoratae non aliena esse visa sunt.

Capta expugnataque urbe Roma anno 1527. ut superius innuimus, Albertus Pius, qui Gallorum partibus favebat, non expers fuit illius calamitatis, sed hostium manibus elapsus Galliam secessit, saluti suae atque incolumitati consulturus. Sepulveda patrono suo orbatus Neapolim se contulit [1], ibique aderat quo tempore a Philippino Doria terra marique obsidebatur, cum Thoma Vio Cardinale, viro singulari religione, et theologica doctrina claro: *Nam*, ut nobis testatur ipse auctor [2], *post urbis Romae direptionem, is* (Thomas Vius) *Cajetam urbem patriam, cujus etiam Ecclesiae Antistes erat, ego Neapolim me receperam, unde ab ipso studiorum gratia inter initia belli hujus sum evocatus, ut ex sacra novi Testamenti scriptura, quam scripto tunc enarrabat, obscura et ancipitia loca ad normam Graecam me adhibito (nec enim ipse Graecè noverat) dirigeret ac explanaret.*

Cajeta Romam forte revertit Sepulveda, et in Francisci Quignonii [3] Cardinalis contubernium est admissus. Nam et ipsum Genuam est assectatus, quo simul cum Alexandro Farnesio et Hippolyto Medice Legatus de more a Clemente Pontifice fuerat missus ad Carolum Caesarem, qui post Idus Augusti ejus anni, qui fuit Chri-

1 Sepulveda lib. 8. *de reb. gest. Carol. V.* §. 16. p. 256.

2 Loc. citat.

3 Franciscus Quignonius Legionensis, ex antiquissima Comitum de Luna familia procreatus, Franciscanorum institutum amplexus, ob singularem virtutem, nec minorem doctrinam totius ordinis praefectus est constitutus Burgis anno 1522. Carolo V. confitenti aures praebuisse dicitur, a quo ad Clementem VII. Romam missus, atque inde a Clemente ad Carolum rediit, ut pax inter utrumque conciliaretur. Tam bene utrique acceptus fuit ob res praeclare gestas, ut Pontifex eum inter purpuratos Patres elegerit: nec diu post Cauriensis ecclesiae, annuente ac supplicante Caesare, praefecerit. Obiit Romae mense Octobri ann. M. D. LX. Exstat viri hujus praeclarissimi *Breviarium Romanum* Clementis hortatu confectum, Paulique III. judicio probatum, quod non semel lucem aspexit. Usus est in eo concinnando opera Didaci Neilae, ceu discimus e Sepulvedae epistola centesima.

Christi nati millesimus quingentesimus vicesimus nonus, illuc appulerat.

Carolum e Genua Placentiam [1] digressum secutus est Sepulveda simul cum Quignonio Cardinali. Namque, ut ipse testatum reliquit [2] in epistola ad Albertum Pium, *Meteorologiam* Aristotelis in Latinum conversam [3] Carolo Caesari dicavit, et Placentiae dedit. Paulo post eumdem ad bellum in Turcas Viennam obsidentes oratione est adhortatus, quam amicorum hortatu in lucem emisit.

Et *Meteorologia* quidem non nisi aliquot post annis lucem vidit, si prima ejus est editio Parisiensis ann. 1532. cujus meminere Fabricius, [4] et Nicolaus Antonius.

Cohortatio vero *ad Carolum* [5] *V. Imperatorem invictissimum, ut, facta cum omnibus Christianis pace, bellum suscipiat in Turcas*, excusa est primum *Bononiae in aedibus Jo. Baptistae Phaelli ann.* M. D. XXIX. in 4° deinde in collectione Colon. De hujus orationis argumento haec habeto.

Capta a Turcis Buda, iisdemque ad Viennae obsidionem properantibus, cum bellum toti orbi extimescendum, ac praecipue religioni exitiosum imminere animadverteret Genesius, suarum esse partium duxit, Imperatorem, qui paulo ante optimis auspiciis ac Christiano populo salutaribus Italiam appulerat, quae sibi solicite de Christianorum rebus et imminenti periculo commentanti non inutilia visa essent, de summa rerum consultantem admonere. Itaque dicendum sibi auctor proposuit, primum de genere belli, deinde de Turcarum nostrorumque viribus ac facultatibus. Priori parte posteaquam justas aliquot belli sive inferendi sive propulsandi causas enumeravit, nihil aequius esse putat, quam si bellum, quo Christiani homines a barbara Turcarum immanitate infestantur, pro-

1 *Sepulveda in Antapologia* haec habet: *Memini enim Placentiae, cum eo pervenisset Franciscus Quignonius S. Crucis Cardinalis, quem litterarum ac omnis virtutis fautorem egregium Stunica et ego sequebamur, in legatione illa, qua cum duobus collegis ex more a Clemente Pontifice Max. obviam Carolo Caesari mittebatur, litteras quasdam tuas vidisse, quibus viro erudito, tuique studiosissimo, Alfonso Valdesio Caesaris a secretis, ad eam epistolam respondebas, in qua ipse ad te paulo ante scripserat in mentione doctorum hominum Stunicam et Genesium se Placentiae convenisse.*

2 Epist. ult. lib. 1. quae licet caret inscriptione, eodem anno 1529. videtur exarata.

3 Mirari subit, cur nullum hac de re verbum fecerit Genesius in Caroli historia, quin Placentinum ejus iter paene omisit.

4 Bibl. Graec. t. 2. p. 127.

5 Asservatur prima hujus orationis editio Matriti in selecta Patrum Benedictinorum monasterii D. Martini Bibliotheca, pluteo 177.

pulsetur: *Non enim*, inquit, *de gloria certamen est*, *in qua* legendum puto *in quo*) *vinci sit indecorum*, *non de imperio et facultatibus*, *quibus spoliati solam inopiam*, *nec eam turpem aut servilem incurrant*, *sed pro patria*, *pro liberis*, *pro aris et focis*, *ad summam pro salute et libertate*, *proque ipsa religione pugnandum est*. Ut vero, quanta ex Turcarum dominatu mala impendeant, ostendat; eorum mores, immanitatem, duramque Christianorum, qui sub eorum potestate degunt, conditionem graphice depingit, demonstratque, nullum apud eos libertatis vestigium; ingenuarum doctrinarum cognitionem lege prohibitam, quae solet in primis mortalium animos ad veram religionem et libertatem excitare, omnia denique per tyrannidem exerceri. Hinc concludit, quantum Christianorum interesset tam immanem hostem cervicibus suis impendentem propellere. Deinde totus in eo est Sepulveda, ut pestilentem eorum sententiam refutet falso Christianismi colore praetextam, non esse Christianae tolerantiae Turcarum violentiae ferro et armis repugnare, sed hoc tamquam Dei flagellum bono animo suscipiendum. Quare multis ex historia sacra depromtis argumentis atque exemplis, justissimum id esse bellum evincit, quod pro religione sarta ac tecta conservanda suscipiatur.

Postquam de genere belli auctor copiose disputavit, altera orationis parte, eaque postrema, probare aggreditur hostis infirmitatem ac Caesaris vires ad eum suis armis debellandum. Ut vero eorum eluat errorem, qui non genere ac virtute militum, sed copia et numero robur exercitus metientes, timide judicabant de Caesaris hostiumque suorum viribus; multa ex Graecorum Latinorumque monimentis bella commemorat, quae ab hominibus nostri orbis, hoc est, ab iis, qui Europam incolunt, cum illis Asiaticis nationibus gesta sunt, ex quibus fere confusus commistusque erat Turcarum exercitus, queis probare nititur, maximas saepe illorum copias parva nostrorum manu fusas fugatasque fuisse, nec ignavorum hominum quamlibet magnam multitudinem fortium virorum justo modo exercitui parem, ullatenus pertimescendam. Ad extremum Italorum, Hispanorum et Germanorum in bellis gerendis strenuitatem ipsi Caesari longa experientia cognitam meritis effert laudibus. Quare eum totis viribus hortatur, ut, foedere cum Christianis Principibus inito, bellum hoc Christiano nomini gloriosissimum suscipiat.

Mi-

Mirari subit, orationem istanc, quae omnibus eloquentiae luminibus ornata est, insertam non fuisse in collectione *Orationum Turcicarum*, sive opere inscripto: *Consilia bellica a summis Pontificibus, Imperatoribus, ceterisque S. R. Imperii Electoribus, Principibus ac Statibus, nonnullis etiam aliis hominibus doctissimis, proximis duobus saeculis, pleraque in summis Christiani orbis Conciliis atque Comitiis contra Turcam explicata*: anno 1603. edita ex officina Grosiana in 4°

Carolo Caesare in Germaniam digresso, ut Viennensibus a Turca obsessis opem ferret, videtur Sepulveda Romam revertisse una cum Quignonio Cardinali: ibique consuetam studiorum rationem pari ardore atque diligentia prosecutus est, ceu testatur *Antapologia pro Alberto Pio in Erasmum*, cujus scribendae occasio paulo erit a nobis diligentius extricanda.

[1] Erasmus in epistola ad Coelium Calcagninum, III. Id. Maj. exarata ann. 1525. questus erat, Pium Romae in curia spectatum ex litteris et Oratoris Caesaris munere, in publicis et privatis colloquiis praedicasse, Erasmum nec esse philosophum, nec quidquam omnino tenere solidae doctrinae. Hinc VI. Id. Octob. ejusdem anni Basilea ad ipsum Principem eadem de re scribendum putavit. Albertus Pius non epistola sed spisso volumine respondit Roma Id. Maj. anni sequentis, totisque viribus in Erasmum est invectus. At vir ille non statim sibi respondendum putavit, sed postquam accepit, Pium Roma a Carolo expugnata profugum, bonis occupatis, Principatuque erepto, in Galliam secessisse, ibique operis editionem parare, brevem ad illum scripsit epistolam Basilea X. Kal. Januarii ann. M. D. XXVIII.

Quo tempore hic Erasmi liber apologeticus lucem aspexit, Albertus Pius, [2] vir ut sapientia et doctrina, omni denique humanitate praeditus, et animi magnitudine ceterisque virtutibus ornatus, sic rebus gestis praeclarus, diem postremum jam obierat procul a patria, paterna ditione atque opibus iniquitate fortunae dejectus: quam calamitatem non parum auxerat diuturnus morbus articularis, quo atrociter idem et frequentissime fuerat vexatus. Sepul-

1 Hujus inter Erasmum et Pium controversiae historiam late persecutus est Herm. Vonder Hardt in *hist. litter. reformationis*.

2 Verba sunt Sepulvedae in epist. ad Rodolphum Pium Episcopum Faventinum praemissa *Antapol. in Erasm.*

pulveda ut eorum conatibus occurreret, qui technis et calumniis Alberti Pii famae insidiantes, Erasmum virum alioquin et probum, ut Genesius inquit, et moderatum, falsis delationibus ad scribendum compulerant; officii sui ac pietatis potius erga Principem, suum patronum esse multis justisque de causis existimavit. Illorum igitur calumniis respondere, ac Erasmi querimoniis satisfacere constituit, edita *pro Alberto Pio Principe Carpensi Antapologia in Erasmum Roterodamum*, quam Rodulpho Pio Antistiti Faventino nuncupavit. In ea primum Erasmo exprobrat, quod oblitus theologici decori ac Christianae caritatis, iis conviciis et contumeliis Principem gravissimum et doctissimum incesserit, quae vix cadant in semissem ac dissolutum hominem, leviculum et ab omni litteratura abhorrentem. Deinde causas commemorat, quae nostrum, ut pro Alberto scriberet, adduxerunt: *Primum*, inquit, *quia nemo me familiarius A. Pium coluit, nemini major fuit occasio mores illius et doctrinam cognoscendi. Deinde quoniam, cum illi principi multi multa debeant, ego nihil me non debere profiteor, qui me Bononia e collegio Hispanorum propter nonnullam fortasse, quam de studiis meis habebat opinionem, ad se sponte sua vocatum tam humane semper tamque amanter multos annos tractavit, ut nihil vel honoris vel benignitatis, nihil denique favoris cuiquam suorum tribuerit, quod mihi non fuerit sane lubens impertitus . . . . . . Postremo, quod caput est, quoniam ubi tu conaris ingenii ejus atque doctrinae laudem ad alios torquere, aliquot te nominare posse, nimis artificiose dixisti, sed me unum nominasti, cujus ille abuteretur opera ad fabulam istam peragendam, nempe ad alienum libellum suo nomine publicandum.*

Sepulveda in hoc opere id probare annixus est, recte Pium quaedam in Erasmi scriptis notasse, quae falso, aut non satis vel graviter vel constanter, quaeve minus catholice essent dicta. Sed priusquam hoc efficiat, extra dubitationis aleam ponit, Albertum nec aliorum hortatu scribendi provinciam suscepisse, nec aliena opera indiguisse ad opus suum numeris omnibus absolutum conficiendum: denique se stili expolitorem, uti Erasmus suspicabatur, minime fuisse, cum Sepulveda Placentiae degeret, et ante ac post Romae perseverasset, quo tempore Pius in Erasmum Lutetiae scriberet. Hinc ad ea confutanda progreditur, quae reprehensione digna offendit in Erasmo tum in dialogis, tum etiam in aliis ejusdem

dem auctoris operibus.

Ex hac Sepulvedae lucubratione illud elucescit, exaratam nempe eam fuisse, cum jam propemodum quadragesimum aetatis annum attingeret, ac sextumdecimum in Italia ageret: unde anno 1531. scriptam fuisse patet. Prima hujus operis editio videtur fuisse Parisiensis, cujus meminit auctor in epistola [1] ad Erasmum, quae est prima libri primi, ubi aliam etiam commemorat Romae procuratam, ac certis in locis emendatam. Quantum haec Sepulvedae Antapologia Erasmi animum perculerit prostraritque, ex eo satis apparet, quod cum alios adversarios levibus saepe de causis, ac futilibus argumentis lacessiverit, tacere potius duxerit, quam ad eam respondere. Qua de re legenda est Erasmi epistola ad Sepulvedam. [2]

Eodem anno 1531. Bononiam venit Sepulveda [3] Clementem Pontificem Max. secutus, quo tempore hic Roma profectus, et Carolus Caesar ex Pannonico bello reversus, de summis videlicet rebus colloquendi gratia in eam urbem convenerunt. Romam reversus Non. Septembr. scripsit [4] ad Jo. Valdesium de portentis nonnullis, quae Romae mense Augusto proxime elapso visa fuerant, iisque ex veterum philosophorum sententia explicandis eruditionem suam prodit. Ex hujus epistolae initio discimus, Sepulvedam a Valdesio conventum, quasi de portentis commentatiunculam promisisset. Sepulveda vero de cometis ut aliquid scriberet, a quibusdam se rogatum esse asseverat; scripturum nemini propter ingentes suas occupationes promisisse.

Hic velut obiter per transennam animadvertendum nobis est, in editione epistolarum Sepulvedae Salmanticensi, ubi legitur IV. Non. Septemb. itidem noctu secunda post solis occasum hora fuisse conspectam, legendum esse IV. Kal. Septemb. ceu epistolam ipsam legenti luce clarius apparebit.

Valdesius hic, ad quem scripta est superior epistola, idem ille videtur esse, qui postea deserta Christiana religione ad Lutheranorum castra transivit, frater germanus Alfonsi Valdesii Carolo Caesari a secretis, cujus sunt [5] litterae ad Genesium transmissae Bru-

1 Exarata Romae Kalend. Aprilis ann. 1532.
2 Lib. I. epistol. 2.
3 In praefatione Democrat. I.
4 Epist. 22. edit. Salmant.
5 Epist. 20. edit. Salmant.

Bruxellis XVIII. Kalend. Novemb. ann. 1531, &c. quem idem Sepulveda inclementer sugillat [1] quod Erasmi praeter modum admirator eos graviter accuset, qui adversus virum hunc, doctum licet, attamen arrogantem ac tantum non Religionis hostem infensissimum calamum strinxerunt.

Anno 1531. cum magno studio magnaque doctorum virorum contentione quaestio de divortio agitaretur, haud equidem ex officio se facturum putavit, si in tantis clamoribus conticesceret, Quignonio eum praesertim ad scribendum hortante atque impellente. Itaque non tantum onus, quod sibi a gravissimo illo viro imponebatur, sponte suscepit, sed vagari latius, et totam de ritu nuptiarum disputationem, quatenus res matrimonium impedientes attingit, paulo accuratius, sed strictim tamen obire constituit; simulque haud paulo impeditiorem quaestionem de dispensatione disserere. Itaque Romae edidit *De ritu nuptiarum et dispensatione libros tres* ad Franciscum Quignonium S. R. E. Cardinalem Presb. tit. S. Crucis in Jerusalem, Episcopum Cauriensem.

Libro primo impedimenta nuptiarum, hoc est, eas res, quibus antecedentibus matrimonium non consistit, et quo res quaeque jure impediat, latissime auctor explicat. In secundo disseritur, quid sit dispensatio, et quam necessaria ad leges, quibus humana societas et religio conservatur, moderandas: legum quoque genera quae, et qualia habeantur, et quibus datum sit eas vel condere vel interpretari, aut in ipsis quoquomodo dispensare, docetur: ad haec in legum quocumque genere dispensationem boni et aequi interpretationem esse declaratur. Tertius liber totus est in impedimentis matrimonii recensendis, et quatenus in singulis dispensationi sit locus. Sed in ea quaestione maxime haeret Sepulveda, quae tunc temporis praecipue agitabatur, de dispensatione matrimonii cum defuncti fratris ac sine liberis decedentis vidua, quam nec sacris litteris, nec juri naturae, nec priscorum Pontificum consultis adversam esse, justa causa suppetente, totis viribus asserit. Quare eorum improbat consilium, qui nuper Henrico Britannorum Regi optimo et religiosissimo scrupulum injecerant, ne contra religionem facere videretur, si Catharinam Reginam, pudicitiae rarum ac omnis virtutis exemplum, quam a fratre Arcturo viduam relictam duxit, reti-

1 Epistol. sequenti.

tineret: quamquam ille moriens non modo sine liberis ipsam, sed etiam inviolatam reliquisset: quod et Regina semper est professa, nec Henricus ignorabat, aut inficiabatur.

Hoc opus editum est primum Romae ann. 1531. in 4.° teste Nic. Antonio *Biblioth. Hisp. tom. I.* pag. 535. recusum deinde Parisiis typis Simonis Colinaei ann. 1541. in 8.° cum aliis Sepulvedae opusculis: et Londini 1553. [1] in 4.° denique in collectione Coloniensi ann. 1602.

Diversum ab hoc opere existimamus, quod a Sepulveda scriptum, et ad Henricum missum discimus ex libro XXVIII. Histor. de rebus Caroli V. §. XLIV. [2] cujus haec sunt verba: *Deinde librum alterum Clementis VII. Pont. Max. voluntate* de Ecclesiae Romanae Pontificisque potestate *conscripsi*, *misique ad eumdem Henricum ab Ecclesia Catholica deficere incipientem.*

Anno 1532. Kal. Aprilis Antapologiam suam Romae jam pridem excusam misit ad Erasmum Sepulveda, idque se quamprimum praestare voluisse asseverat, sed obstitisse honestissimorum quorumdam, sed nimis cautorum hominum diligentiam, qui librum jam impressum minime in lucem exire passi sunt, prius quam esset certis in locis ex ipsorum sententia emendatus: *Quod te*, inquit, [3] *volui non ignorare*, *ne*, *visis lituris*, *rei novitatem*, *aut discrimen demireris*, *si locis integris ex impressione Parisiensi liber ad manus tuas pervenerit.* Utinam editionem Romanam nancisci nobis licuisset, quo eam cum [4] Parisiensi, quam nobis suppeditavit v. cl. Michaël Maria Nava, in supremo Castellae ac Camerae Regiae Consilio Senator, comparare potuissemus. Ad extremum subdit auctor, Didaci Stunicae observationes in Erasmum inchoatas tantum et impolitas esse penes Franciscum Quignonium Sanctae Crucis Cardinalem, cui eas moriens testamento reliquerat.

Harum Annotationum, quae adversus Erasmi in novum Testamentum observationes exaratae fuerant, exemplar transmissum ad eum scimus ann. 1533. a Cardinali Mendoza ex epistola Sepulvedae Id. Augusti: [5] quamquam ipse Sepulveda in altera ad Erasmum

 epi-

1 Adducitur haec editio a Th. Hyde in catal. impress. libr. Biblioth. Bodlejanae in Academia Oxon. e Theatro Sheld. 1674. in fol. p. 156.

2 Tom. II. pag. 469. 3 Epist. 1.

4 Praestitum id quidem jam est a Bononiensis Collegii Rectore ac Sodalibus: qua de re in limine Antapologiae dicemus.

5 Epist. 17. edit. Salmant.

epistola [1] X. Kal. Novemb. conscripta easdem Annotationes *superioribus diebus*, inquit, *ad te ex urbe Bononia misimus.* [2]

Cum haec epistola ad Erasmi manus pervenit, multo jam ante acceperat Antapologiam Lutetiae excusam, in qua scriptoris ingenium et eloquentiam est admiratus; verum quia perspiciebat ex hujusmodi librorum reciprocatione nihil nasci posse praeter dissidia, consultius arbitratus est non respondere, ceu discimus ex epistola [3] Friburgi exarata prostridie Virginis assumtae ann. 1532, in qua gustum aliquem Stunicae observationum in D. Hieronymi opera a quodam ad se missum innuit, fateturque ingenue nonnulla eis inesse, quae sibi usui forent. Quare Stunicae animadversiones in annotationes suas in novum Testamentum ad se mitti postulat. [4]

Fuit Didacus hic Lopezius Stunica vir Graece Latineque doctus, sacrarum ecclesiasticarumque rerum peritissimus, et egregius pietatis cultor, in quibus laudibus pro virili exaggerandis multus est Sepulveda tum in Antapologia adversus Erasmum, tum in epistola editionis Salmanticensis XVI. ad Inechum Mendozam Episcopum Burgensem, in qua Stunicam paulo ante e vivis ereptum deflet, moresque ejus atque ingenium brevi quodam, sed eleganti epigrammate depingit ejus tumulo inscribendum, quod minime hic videtur praetereundum. En illud:

Flete virum, Charites, jacet hic virtutis alumnus
Stunica, secli laus delitiaeque sui.
Vos quoque lugete heu, Musae, nam utrumque colebat
Ille chorum sancte, gratus utrique fuit;
Virtutumque gregi carus: languere videntur
Doctrina et probitas, cumque pudore sales.

Epistola isthaec Sepulvedae caret subscriptione, sed ad annum 1530. referenda videtur, quo mortuum Stunicam arbitramur Neapoli, quo paulo ante alieno et periculoso tempore ab urbe profectus fuerat, uti Schottus refert. Multa hujus viri celeberrimi exstant monu-

1 Ep. 4. edit. Salmant.
2 Vid. epist. 6. ejusd. edit.
3 Desideratur haec epistola in editione Coloniensi; in Salmantina est 2.
4 De Stunicae annotationibus in Scholia Erasmi in Hieronymi opera, et in ejusdem novi Testamenti versionem videndus ipse Erasmus in epistolis 4. lib. XVI. ad Petrum Barbirium, 15. lib. XX. ad Francisc. Vergaram; et 39. ejusd. lib. ad Hubertum Barlandum.

numenta, queis de consule sis Nicol. Ant. *Bibl. Hisp. vol. I. p. 228. col. 2.*

Anno 1533. [1] Kal. Aug. Sepulveda Roma litteras dedit ad Ramirum Nugnum Guzmanum, cujus filium Joannem doctrina litterarum excoluerat, in quibus suam erga virum optimum, quique bellicam laudem cum studiis politioribus cumularat, benevolentiam ostendit. Huic epistolae Latine, nec ineleganter respondit senex octogenarius, ubi inter alia haec notatu digna legere est: *Quod filius meus te praeceptorem sortitus sit, gaudeo majorem in modum, neque dubito, quin doctrinae tuae jactis fundamentis ad altiora propediem te ducente securus evadat. Is mihi nuper significavit, te Hispanorum Regum historiae expoliendae atque a barbarie vindicandae provinciam suscepisse, quo mihi nihil gratius afferri potuit. Scio enim, qua eloquentia atque prudentia es, neque ad stilum, neque ad rerum gestarum fidem tibi quidquam defuturum. Age igitur, et nostratium Principum gloriam, quae vel temporum culpa, vel scriptorum ignoratione tamdiu latuit, in lucem profer.*

Eodem anno 1533. Idib. Augusti Roma scripsit ad Inechum Mendozam S.R.E. Cardinalem et Burgensem Episcopum, gratulatum quod incolumis in suam Ecclesiam pervenisset, ubi et suae fidei commissum populum optimis institutis vitaeque similis exemplo moderari, et bonas horas in studiis posset collocare: deinde significat, sibi in animo esse in patriam longo post tempore, hoc est, post decimum et octavum peregrinationis annum remeare, ut in otium ac libertatem assertus aliquando Musarum liberiore secretioreque commercio frueretur.

Anno 1534. Sepulvedam per epistolam hortatus est Jo. Matthaeus Gibertus, [2] Episcopus Veronensis, ut Clementis Pont. Max. voluntatem secutus, paraphrasin potius Ethicorum Aristotelis conscriberet, quam ut ejusdem de Republica libros in Latinum converteret, quoniam vir ille doctus majorem curam debere esse existimabat, quo modo recte vita instituatur, quam ut sciamus, quae sit optima reipublicae forma, licet utraque disciplina maximas habeat commoditates, multaque praecepta ad moralem philosophiam pertinentia. Sepulveda ut tum Pontifici Max. tum etiam Giberto morem gereret, Idib. Februarii respondit, [3] libenter se longum licet et ope-

1 Epist. 53. edit. Salmant.
2 Vide Sepulvedae epist. 9. edit. Salmant.
3 Epist. 9.

operosum laborem suscepturum : *Quod eo* , inquit , *confidentius aggrediar , quoniam tria de moribus opera , hoc est , ἠθικὰ νικομάχεια , ἠθικὰ μεγάλα , καὶ ἠθικὰ εὐδήμια , in quibus Aristoteles easdem res vario sermone tractavit , ipse mihi lectitando reddidi superioribus diebus paulo familiariora , dum libellum scriberem , qui jam nobis peractus sancitur* , de convenientia militiae cum Christiana Religione , *in quo , ad Theologos cum Peripateticis in doctrina morum conciliandos , et multas utrisque communes variasque quaestiones e re natas accuratius disserendas necesse fuit hinc sacras scripturas , inde Aristotelis omnes velut arculas diligenter perscrutari. Sed quo res commodius fiat , tuae partes erunt , per litteras agere cum Pontifice Maximo ; ut nobis liceat ipsius voluntate Eustratii horum librorum enarrationem ex Bibliotheca Vaticana mutuari.*

Sepulveda , qua erat ingenii solertia atque ad hujusmodi labores aggrediendos animo paratissimus , X. Kal. Martii [1] anni insequentis secundum jam librum paraphraseos Aristoteleae , quam Pont. Max. voluntate , hortatuque Giberti suscepit , absolverat , sed eam sibi e manibus excusam innuit necessitate quadam parendi studio magnorum amicorum , qui ab ipso contendebant , ut libellum ederet de convenientia disciplinae militaris cum Christiana religione , *qui jam mihi* , inquit , *confectus sanciebatur*. Quorum voluntati cum obsistere non posset , coactus est primum id opusculum paulo diligentius retractare , deinde operas librariorum dirigere, in quo tamen parum se profecisse confitetur , illorum negligentia viri diligentissimi curam superante , uti cernere erat ex libello , quem ad Veronensem praesulem mittebat . Cui optionem tribuit ea cura jam liberatus , sive laudatam paraphrasin urgendi opera continente , sive hac intermissa, interpretationem aliquam Ethicorum Aristotelis e Graeco castigare : quod postremum Giberto placere intellexerat ex Bino , qui sibi ultro et liberaliter suam operam non solum gratam , sed propemodum etiam necessariam detulisset , ut uno tempore alter Graecum exemplar , alter Latinam versionem intueretur.

Licet tot tantisque litterariis laboribus opprimeretur Sepulveda, sicut ex superiore epistola colligere possumus ; non tamen Erasmum per litteras convenire desistebat . Itaque Kal. Junii viri illius celeberrimi nonnullos in geographicis lapsus erudite castigavit. [2]

Sed

[1] Vid. epist. 10. edit. Salmant. [2] Vid. epist. 6. edit. Salmant.

Sed veniamus ad librum *de convenientia disciplinae militaris cum Christiana religione* , cujus proxime mentionem ipsius auctoris verbis injecimus.

Cum Bononiam Sepulveda venisset Clementem VII. Pont. Max. secutus , quo tempore hic Roma profectus , et Carolus Caesar ex Pannonico bello reversus de summis videlicet rebus colloquendi gratia in eam urbem, quemadmodum supra innuimus, convenerunt, gratissimum illi fuit, post longam suam decem et octo annorum in Italia peregrinationem , multos ex Hispana nobilitate summae spei adolescentes videre, et aliquorum jucundissima consuetudine colloquioque frui ; sed longe gratius , ipsorum quosdam non ad arma solum, sed ad litteras etiam praeter morem nostrae gentis factos fuisse procliviores. Illud vero sibi permolestum accidit, quod nonnulli in ea essent persuasione , non posse militem generosum simul officio militari et praeceptis Christianae religionis satisfacere. Quam opinionem , vel errorem potius , ut minueret, praesens voce , quatenus licuit, in familiaribus congressibus elaboravit ; postquam autem in urbem reversus est, quaestionem scripto accuratius disserere constituit , ac de bellorum justitia et honestate , de fortitudine , de magnitudine animi ceterisque rebus , quae propius hanc quaestionem attingunt , disputare : quam pro ipsius multiplicitate ac varietate paulo latius explicatam hoc libello complexus est , ac in lucem emisit sub auspiciis Ferdinandi Toleti Albanorum Ducis , cum hac inscriptione : *Jo. Genesii Sepulvedae Cordubensis , Artium & Theologiae doctoris de Convenientia militaris disciplinae cum Christiana Religione Dialogus, qui inscribitur DEMOCRATES.* Ad calcem libri legimus : *Impressum Romae apud Antonium Bladum. Anno Domini M. D. XXXV.* 4.° excusus est deinde Parisiis cum aliis auctoris operibus typis Simonis Colinaei an. 1541. in 8.°

Opus hoc tribus constat libris. Ut sermo velut disceptando commodius explicaretur more Socraticorum , in dialogi formam redactus est, verisque parum commode suppetentibus , tres fictae personae quasi Romae loquentes inductae : Leopoldus , Germanus homo ; Alfonsus Guevara , nostrae gentis veteranus miles ; et Democrates Graecus, cui primae in disputatione partes tribuuntur.

Quamvis egregium hoc opusculum lucem haud vidit ad an. 1535. lucubratum jam fuisse ab auctore anno 1533. colligimus tum ex eo, quod octodecim jam annos ab Hispania peregrinaretur , cum id scribe-

beret, tum quod initio libri I. sub Leopoldi persona haec habet: *Heri vesperi a Pannonia Hippolyti Medicis legati litterae sunt Pontifici redditae, quibus hostis nuntiatur, non exspectato praelio, perterritus aufugisse.* Quod accidisse certum est ann. 1532.[1]

Postea tamen opus ad incudem revocatum vulgavit, tantoque omnium plausu exceptum est, ut Franciscus Quignonius, ne tantum thesaurum nostratibus invideret, ejus in vernaculam linguam vertendi provinciam Antonio Barbae sibi a secretis demandaverit; cui muneri egregie hic cumulateque satisfecit communicatis cum ipso auctore locis difficilioribus.[2]

Pro-

1 De reb. gest. Carol. V. lib. X. §. XXIV. pag. 328. Conf. etiam §. V.

2 Digna est quae huc transcribatur Barbae ad Quignonium epistola. Ecce illam: ,,Al ilustrissimo y reverendissimo señor Cardenal don fray Francisco de Quiñones ,, Prologo de Antonio Barba su secretario sobre la traducion del dialogo llamado *Democrates*, que compuso el doctor Juan de Sepulveda Coronista de su M. = Muchas ,, veces dubdé, illustrissimo y reverendissimo señor, qué es la causa, que siendo trasladados de latin en romance castellano muchos libros de diversos auctores, materias ,, e doctrinas, ninguno se halle de Marco Tulio que en nuestra lengua se lea, y no ,, solamente en la nuestra; pero tampoco lo he hallado en la italiana, aunque con diligencia lo he mirado. Despues que vuestra S. reverendissima me mandó que trasladasse en castellano el libro que el doctor Juan de Sepulveda escribió de la conveniencia de la disciplina militar con la religion christiana, he caido en la cuenta dello por ser esta obra muy semejante a las que Marco Tulio escribio de philosophia ,, moral: assi por la elegancia del estilo, que a juicio de los muy doctos no paresce deste tiempo, sino de aquel en que la lengua Romana con el Imperio florescia: como ,, por la hondura de la materia e dificultad de la doctrina, que son questiones arduas de ,, philosophia moral e theologia, y muy dignas de ser leidas y sabidas de todo hombre ,, que se precie de virtud, honrra y religion. Assi que por experiencia he visto ser ,, cosa peligrosa y llena de varias y grandes dificultades trasladar tales obras. Porque ,, primeramente para trasladar alguna obra de philosophia e theologia es menester tener noticia destas sciencias. Despues desto siendo las materias proprias de philosophia y apartadas del hablar vulgar e consideracion comun de los hombres: hay muchas cosas que carescen de vocablos castellanos. E finalmente porque es muy dificil ,, e quasi impossible exprimir en lengua vulgar aquellas delicadas maneras e figuras de ,, hablar que se hallan en la latina, quando es polida. Porque lo que en aquella lengua se dice elegantissimamente, en otra no se podria decir sin rodeo o impropriedad. ,, E ansi por estas causas e dificultades a mi juicio no ha havido hombre tan presuntuoso que haya osado passar en otra lengua lo que Marco Tulio tan maravillosamente puso en la suya. E si lo ha osado facer: no se ha atrevido a publicarlo: porque no se ,, podria facer sin injuria del auctor y verguenza del que lo trasladasse: porque la mayor parte de los que leen no tienen tanta consideracion a la pureza e fidelidad de la sentencia, e dificultad del trasladar: en lo qual consiste mucha parte de gloria al que lo ,, face entre personas discretas, quanto a la contextura, harmonia e sonido de palabras. ,, Lo qual es necessario que falte en muchas cosas por las dificultades que he dicho: las ,, quales no havria, si inventasse o compusiesse de su proprio ingenio, o trasladasse algun ,, latin baxo, o vulgar historia, o algun libro de italiano en castellano o frances, por la facilidad de la materia e conformidad que hay entre estas lenguas modernas en las formas ,, del decir. De manera que las mismas dificultades que tuvieron los otros para no traducir a Ciceron, me pudieran excusar a mi en lo que toca a la traducion deste libro. Pero todo lo pospuse, porque el mandamiento de vuestra señoria reverendissima

,,no

Prodiit fida haec atque elegans interpretatio hac epigraphe: *Dialogo llamado Democrates compuesto por el doctor Juan de Sepulveda, capellan y coronista de su S. C. C. M. del Emperador: agora nuevamente impresso. Con previlegio imperial. M.D.XLI.* 4. In fine legitur: *Aqui hace fin el presente Dialogo intitulado Democrates. El qual fué visto y examinado por los reverendos padres Fr. Martin de Ledesma soprior de Sant Pablo de Valladolid, y Fr. Damian de Temiño. Fué impresso en la muy noble e muy leal ciudad de Sevilla: en casa de Juan Cromberger difunto que Dios aya. Acabóse a veynte y ocho dias del mes de Mayo de mil y quinientos y quarenta y un años.* Sequitur diligentissimus index rerum praecipuarum, quae in hoc dialogo continentur.

Annus 1536. faustus gratissimusque nostro illuxit, eo namque Caroli Caesaris rebus gestis scribundis est destinatus, et quod sibi omnium maxime jucundum poterat accidere, in Hispaniam post duos et viginti annos, ex quo hinc abfuerat, tamquam ad tutissimum portum confugit. Rem ipse enarrat epistola ad superius laudatum Jo. Matth. Gibertum, Antistitem Veronensem, Bononia transmissa X. Kal. Julias anni 1536. [1] *Scito*, inquit, *me et prius absentem ac nihil tale cogitantem in album Caroli Caesaris domesticorum esse relatum: et cum ipse Romam pervenit* (nempe VII. Idus Apriles) *ut se sequerer, ab eodem fuisse jussum, dato negotio, ut res ab ipso ipsiusque auspiciis gestas conscriberem; nec id ambitioso ejus consi-*

„ no sufre appelacion, especialmente en cosa de que tanto provecho se puede seguir a los „ hombres de nuestra nacion, que naturalmente son amadores de la honrra y de la reli- „ gion, de cuya concordia tan docta e elegantemente se disputa en este libro. Y quan- „ to al entendimiento de las cosas, yo trabajé quanto pude en que las suyas fuessen muy „ fielmente trasladadas, comunicando algunos lugares dificiles con el mesmo auctor: con „ el qual he tractado muy familiarmente en casa de vuestra señoria reverendissima, „ assi por sus singulares virtudes y excelente doctrina de philosophia e theologia, como „ por ser de muy apacible y juntamente grave y honesta conversacion. En lo que toca „ a las palabras y estilo tambien trabajé, quanto la materia lo sufre, de satisfacer a la „ propriedad de nuestra lengua, porque mas facilmente huviesse efecto la voluntad de „ vuestra señoria reverendissima de comunicar este libro a los hombres de su nacion, „ a quien tanto mas que a los otros conviene tener noticia de las cosas que en el se „ tractan, quanto ellos mas por el cabo miran las cosas que tocan a la honrra y reli- „ gion: y no es de maravillar que vuestra señoria reverendissima haya tenido este cui- „ dado que toca a la honrra e religion, pues de la religion haveis sido singular dechado „ en nuestra España: y el cuidado de la honrra os viene por herencia de vuestros an- „ tepassados, en quien nunca han faltado grandes exemplos de virtud: cuyo proprio „ galardon es la gloria e honrra. "

1 Epist. 11.

silio, quo nihil est, uti scis, ἀφιλοτιμότερον, *sed more majorum. Nam Regibus Hispaniae legitimum est, doctos homines habere, qui suorum temporum historiam diligenter ac fideliter persequantur ..... Cum hujus rei gratia ex urbe proficiscerer, jussit me patronus meus Sanctae Crucis Cardinalis, ut obiter collegium Hispanorum Bononiense ipsius fidei patrocinioque creditum, et cujus me fuisse alumnum gloriari soleo, reviserem, et cum in vitam moresque singulorum sodalium, ut fieri consuevit, inquisivissem, censorem, ac si res posceret, etiam legum latorem agerem, Pontificia videlicet, seu magis Apostolicam vocare oportet, auctoritate et facultate mihi proficiscenti tradita; quo munere praestando, cum haec scriberem, eram occupatus..... Huic ego muneri cum satisfecero, me in castra Caroli Caesaris conferre cogitabam, ut experiar quanta philosophandi sit occasio inter tormentorum tonitrua clangoresque tubarum ..... Me tamen in castrensibus molestiis studiorumque jactura, illa cogitatio nonnihil solabitur atque juvabit, quod quae memoriae posteritatis tradenda suscepi, haec eo commodius, et cum majorè fide proditurus esse videor, si me posteri rerum gestarum non scriptorem tantum, sed testem etiam fuisse cognoverint.*

Sepulveda ut gravissimo sibi oneri demandato pro virili satisfaceret, novas leges condidit, quae in Bononiensi collegio maximam partem hodieque obtinent, asservanturque autographae in ejus tabulario, uti discimus ex laudata non semel sodalium epistola, in qua etiam notatum reperimus auctorem nostrum Bononiam ingressum IX. Kal. Quinctiles, inde Genuam [1] perrexisse pridie Non. Augusti, unde Carolum comitatus Decembri mense,

Post varios casus, post tot discrimina rerum,

quae late prosequitur lib. XV. *de rebus Caroli V.* Hispaniam appulit, et

[1] Genuae toto hoc temporis intervallo moratus est Sepulveda, quam urbem in epistola 26. ad Franciscum Toletum IV. Idib. Novemb. ejusdem anni ibi exarata, omnium, quas viderit aut legerit, *maxime inhospitalem vocat, et ab omni genere ac studio litterarum abhorrentem, et quae sola in Italia extremum belli discrimen adivit.* Narrat deinde hostem (Gallum nempe) ab ejusdem urbis oppugnatione fortiter a nostris fuisse rejectum, a militibus quidem manu et telis, a se vero suique ordinis hominibus, i. e. Ecclesiae, lacrymis et orationibus. Ex hac etiam epistola Sepulvedam in mari Ligustico adversa tempestate fuisse jactatum innotescit.

et Valdolitum pervenit, naufragio, quo plures periere, Dei numine cum suis ereptus. [1] Atque haec anno 1536. nondum absoluto accidisse arbitramur. Nam postquam itineris narrationem exsecutus est, subjungit: *hoc anno mense Julio Desiderius Erasmus Rot. Basileae decessit.* Erasmum autem anno 1536. vivere desiisse, tam certum est, quam quod certissimum.

Ex quo Sepulveda [2] Valdoliti sedem fixit, credibile est ipsum nihil sibi aliud proposuisse, quam ut litterarum studiis totum se traderet, magnamque rerum supellectilem sibi compararet ad historiam Caroli Caesaris pro dignitate contexendam. Quod luce clarius apparebit, si Sepulvedae epistolam Matrito transmissam VII. Kal. Septemb. ann. 1540. ad Menciam Mendozam Zeneti Marchesiam, feminam inter paucas [3] eruditam consideremus, in qua haec habentur ad nostrum propositum egregie facientia: *Erat in eadem epistola* (Marchesiae scilicet ad Gironem) *scire te velle; quid agam, et quibus in studiis nunc maxime verser, cum significatione quadam opinionis tuae a meis litterariis rationibus non aversa, quae cura et existimatio mihi est instar immortalitatis. Scito igitur, quando haec cognoscere pro tua humanitate tanti putas, me illa studia graviora sacrarum litterarum, ac philosophiae, quae ab ineunte aetate Graece atque Latine colui, non deseruisse, ut indicio tibi esse potuerunt mei libelli, quorum lectionem, cum scilicet in eos incidisses, haud injucundam tibi fuisse scribis. Nihil enim ad hoc tempus edi-*

1 Vid. lib. 15. §. 30.

2 Valdolito scripsit Sepulveda III. Non. Sept. ann. 1537. ad Rodulphum Pium Cardinalis S. R. E. dignitatem gratulatus. XI. Kal. Octob. Valdolito Joann. Sosam Caesaraugustanum, Collegam Bononiensem, J. U. Doctorem, quem Mayo Aragoniae Cancellario tum inter navigandum, tum Barcinone absentem praesens accuratissime commendarat, ut eo auctore magistratum quemdam in urbe patria adipisceretur, iterum eidem commendat.

3 Menciae Mendozae laudibus plena sunt omnia illius aetatis monumenta. Fuit illa Roderici Mendozae Marchionis *del Zenete* filia et heres, quae primum Henrico Nassovio, quem Carolus Caesar cubiculariorum habuit principem, nupsit; deinde Ferdinando Aragonio Calabriae Principi, Friderici Regis Neapolitani filio. Sepulveda in epistola jam laudata summis extollit laudibus Menciae *excellentes virtutes, egregiam doctrinam, et singularem humanitatem.* Alfonsus Garcias Matamorus, vir eloquentissimus, in eleganti *Apologia pro doctis Hispaniae viris*: *Annon ergo*, inquit, *jure opponam excellentem Calabriae Ducem, Zeneti Marchionam, Aspasiae Xenophontis, quae quondam in conventu eruditorum ausa fuit cum Socrate inductionibus disputare? Cujus, obsecro, principis viraginis ingenium uberius cultum Graeca et Latina eruditione fuit? Cujus animus in studiis magis aestuavit? Quis tam occultos eruditionis thesauros ex Belgio umquam in Hispaniam deportavit, quam cum haec, defuncto priore viro Nassao, ad suos revertit?*

di (edidi autem opuscula complura) quin ex illis quasi fontibus argumentum hauserim , qui ne illud quidem adduci umquam potui , ut extra libros Aristotelis de philosophia , et ejus Graece enarratorum interpretis officio fungerer. Sed posteaquam mihi Carolus Caesar suas Hispanorumque res hac memoria gestas conscribendi negotium injunxit , necesse fuit aliquid de severioribus illis , sed mihi gratioribus studiis remittere. Quippe id muneris serio mihi a tanto Principe mandatum esse , ut par est , semper existimavi , non joco , ut quidam ante me putasse videntur. Quorum si officii ratio constaret , multo minus mihi esset in hac suscepta provincia laborandum , quam nunc sic subire cogor , quasi nulla cuiquam ejus cura ante me fuisset injuncta. Itaque omnia multo etiam ante praeterita magno labore conquirenda mihi sunt , disponenda et illustranda. Nec tamen difficultatibus cedendum putavi : sed cum ad eas expediendas , et utrique studio partitis temporibus satisfaciendum , curae ac diligentiae praesidium non invita Minerva mihi comparaverim , perpetuam historiam a bello Pannonico , quo Princeps Turcarum Solymanus a Carolo fugatus est , usque ad Caroli ejusdem postremum hunc ex Hispania discessum deduxi. Unde ad superiora tempora et initium principatus ipsius regressus , in eam curam incumbo , ut quibusdam altius , sed summatim , quo sint omnia ad cognoscendum illustriora , repetitis , principium conveniens rerum tantarum enarrationi sumatur , et in quem temporum atque rerum statum Caroli regnum inciderit , non ignoretur.

Anno 1538. postridie Idus Decembris Toleto litteras dedit Sepulveda ad Martinum Olivanum *Inquisitorem Apostolicum* , in quibus fatetur se legisse ejus commentarium *de fraterna correptione*, quem impense laudat ob singularem eruditionem multaque ex media juris utriusque doctrina depromta , et prudenter disputata : adeo ut accuratius nequiverit locus de ratione haeesis occultae tractari, quem Sepulveda ex industria viris , qui *officio* , quod , ut est , *sanctum* appellatur , praefecti sunt , dijudicandum in suo *Theophilo* reliquerat . Sed quamvis libelli doctrina tantum nostro probaretur, quaedam tamen inter legendum notaverat , quae , si libellus ederetur , non esset fortassis ab re paulo latius explicari , ut non solum aequis hominibus , sed contentiosis etiam satisfieret . Quibus de rebus Sepulveda , cum Cordubam rediret , quod propediem se facturum sperabat , coram disputaturum se commodius pollicitus est.

Ad

Ad extremum paucis agit de puniendis haereticis occultis.

Tametsi Caroli rebus gestis illustrandis Sepulveda praecipuam curam impendebat, tamen ut erat vir maximo ingenio, ac multiplici praeditus eruditione, alia studia urgere non cessabat, quibus rempublicam litterariam ac christianam simul religionem summo opere juvare nitebatur. Utriusque rei luculentissimum exstat testimonium tum in epistolis ad eruditissimum sapientissimumque S. R. E. Cardinalem Gasparem Contarenum, tum in libello de *anni correctione*, tum denique in *Theophilo*, quo de nunc dicemus.

Anno 1538. missus est in lucem *Jo. Genesii Sepulvedae Cordubensis, Artium et Theologiae doctoris, de ratione dicendi testimonium in causis occultorum criminum Dialogus, qui inscribitur Theophilus*. In fine operis legitur: [1] *Impressum in Valle Aeoli* (scil. Vallisoleti) *mense Augusto M.D.XXXVIII.* 4. Hujus scribendi occasio haec fuit:

Cum Ferdinandus Silva Comes Centifontanus, Caesaris legatus ad Summum Pontificem, Romae degeret, multi ad eum viri docti confluebant, quippe qui delectari maxime solebat doctorum hominum disputationibus, quae utilitatem afferrent ad vitam bene ac sapienter transigendam. Itaque solemne erat viro non tam generis nobilitate, quam ingenii praestantia commendando, de rebus scitu dignis, quae in controversiam adducebantur, acutissime disputare. Cum vero sermo incidisset de ratione occulta crimina celandi, rogatus est a Ferdinando quidam praestanti doctrina theologus, qui ibi tunc aderat, num quando liceret bono viro, ne socium laedat, roganti se judici veritatem quavis arte verborum occultare inficiando. Hic licere quidem quorumdam juniorum theologorum sententia ductus cum fidenter affirmasset, magna inter eos orta est contentio, dum alter caritatis jura atque humanitatis urgeret, alter religionem opponeret et sacramentum veritatis: quare nihil certi diffinitum est. Aderat forte tum Romae Sepulveda, cui Princeps Centifontanus, controversiam hanc accuratius excusam certa ratione definiri cupiens, id negotii mandavit, ut rationibus adversarii doctissimi pro viribus satisfaceret. Instituta igitur in longumque protracta disputatione, dum uterque suam sententiam diligenter tueretur, res in medio re-

 li-

[1] Primam hanc longeque rarissimam *Theophili* editionem nacti sumus beneficio V. Cl. Gregorii Majansii XIIviri litibus judicandis in aula urbeque Regia, qui eam nobis dono misit ex selecta sua et copiosissima bibliotheca.

licta est tum propter varios et difficiles quaestionis explicatus, tum quia vitio humanae naturae fieri aliquando videmus, ut quam quisque sententiam rogatus dixerit, hanc, licet minus solidis fundamentis inniti postea comperiat, non modo velit esse potiorem, sed omnes etiam animi ingeniique vires in defensionem ejus intendat: quo fit, ut ingeniosorum hominum contentionibus veritatis lumen offusis tenebris delitescat. Ceterum cum auctor noster controversiam hanc et utriusque partis rationum momenta diligenter apud animum suum perpendisset, res in primis sibi visa est digna, quae accurate pertractata in vulgus emitteretur, non enim parum eam ad religionem pertinere arbitrabatur, piorumque hominum animos ancipiti consilio distractos sedandos. Quapropter dialogum more veterum theologorum confecit Sepulveda, duabus fictis personis ab se inductis, quarum Philetus contradicentium, Theophilus auctoris sententiam et sentiendi rationes explicaret. De quo edendo libello eo minus dubitavit, quod cum in Hispaniam post continentem xx. annorum Italicam peregrinationem Carolum Caesarem ejusque voluntatem sequutus rediiset, offendit praeter spem illam veterum ac summorum theologorum consensu damnatam opinionem doctorum alioquin virorum animos occupasse, ac fere studiosorum auribus et mentibus inculcari. Unde suarum esse partium duxit, nihil non rerum satagere, ut veritatem in hac controversia recte sua vel industria vel diligentia assereret et patefaceret. Sed de historia hujus libelli satis: nunc quid ab auctore praestitum sit, paucis videamus.

Tota haec disputatio undeviginti capitibus absolvitur. Auctor id nempe agit, ut duas praecipue veritates, quae veterum theologorum calculo comprobatae sunt, in aprico ponat. Itaque primo statuit, virum bonum occultum cujusque crimen celare omnino teneri lege naturae ac divina, modo ne crimen spectet in reipublicae, immo in unius hominis insontis perniciem: tunc enim vel scelestum hominem a cogitato scelere deterrebit, vel, si nihil dehortando profecerit, nec alia ratione obviam iri posse videat ingruentibus malis, crimen ad magistratus deferet, si res ita postulet; aut eum admonebit, cui malum paratur, habita tamen christianae caritatis ratione. Alterum quod ab auctore nostro asseritur, id nempe est: contra religionem esse scienter verum quacumque arte verborum judici praesertim inficiari, etiam in suo, non tantum in alieno periculo. Haec autem ut probet auctor, nihil eorum intactum relinquit, quae
ad

ad rem facere videntur. Omnia tamen tam dilucide, tam copiose, tanto verborum ornatu pertractat, ut ex hac una lucubratione magnum fuisse theologum Sepulvedam facile deprehendatur. Versatus est etiam in hac ipsa disputatione magni olim nominis theologus Dominicus Sotus Dominicanus scripta *Relectione de ratione tegendi et detegendi secretum*; quae si cum auctoris nostri dialogo comparetur, nemo sanus primas Sepulvedae ultro non deferat, tam enim multa ille admiscet ab argumento suo aliena, ac plane dicam futilia. Adde rusticam illam scholasticamque disputandi rationem, ac verborum sordes, quae non possunt non lectoribus elegantiarum amantibus stomachum movere ac bilem.

Eodem anno 1538. jam inclinante, seu sub initium sequentis, ut conjicimus, litteras [1] dedit ad Contarenum Sepulveda singularem pietatem spirantes. In iis deplorat vehementer improbitatem sui temporis, et juste Deum iratum esse ostendit. Cujus rei non obscura indicia, sed manifesta essent documenta schismata, haereses, Christianorum Principum dissidia et intestina bella, quibus malis jam pridem Ecclesia, ac omnino christianus orbis continenter afflictaretur. Quare in id omnes nervos intendendos putabat, ut primum omnium sacerdotum vitia tum publice, tum etiam privatim emendarentur. Id quod brevi factum iri sperabat, cum Paulus III. universale sacerdotum concilium indixerit tempore maxime necessario, pacisque inter Christianos Principes reconciliandae ac constituendae auctor fuerit. Postremo Contarenum monet, ut cum piis aliis viris Pontificem incitatum sponte sua ad corruptos mores emendandos hortetur ad optimam rerum ecclesiasticarum administrationem suscipiendam. *Qua in re*, inquit, *si adessem, me vestrorum consiliorum atque conatuum admonitorem ineptum fortasse, fidum tamen ac diligentem, et boni publici studiosum haberetis.*

Ex eo tempore nihil antiquius habuisse videtur Sepulveda, quam ut suum bene de religione merendi studium opere praestaret. Quare cum haberet pro explorato Pontificis auctoritate concilium sacerdotum ad maximas Ecclesiae commoditates primo quoque tempore conventurum, haud sibi putavit in tanta boni publici studiosorum solicitudine cessandum atque torpendum; sed aliquid conandum, quo posset reipublicae christianae pro virili inservire, ceu olim fecerat edi-

[1] Caret haec epistola subcriptione, estque XXVII. edit. Salm.

editis in impios et turbulentos homines libellis. Hinc, magnis licet occupationibus distractus districtusque, occasionem arripuit scribendi de ratione anni multifariam depravata, deque ejus correctione libellum, [1] quem eo consilio ad G. Contarenum misit, ut si, coacto concilio, Patribus visum fuerit in hanc quoque curam descendere, haberent unde possent aliqua ex parte juvari. Nec enim dubitandum erat, quin viri doctissimi, gravissimi, et antiquitatis praesertim ecclesiasticae peritissimi in eam etiam curam incumberent, ut ratio temporum non modo religionem propter plurimorum festorum celebrationem, sed omnem propemodum humanae vitae partem attingens corrigeretur, multiplici errore sublato, qui magna incuria et negligentia superiorum sacerdotum irrepserat. Etenim sanctissimi illi Patres, qui Nicaeno Concilio interfuere, hoc vel in primis ad suum officium, et Ecclesiae dignitatem commodumque pertinere existimarunt, ut in die festo Resurrectionis Christi et Paschate celebrando sic anni tempus observaretur, ut constaret ratio mensis atque diei, et solis ac lunae progressionum in signifero: qua cura a posterioribus neglecta, erroreque in dies augescente factum erat, ut celebratio Paschatis interdum plus quam mense discreparet ab illo vetere sanctorum Patrum instituto. Accedebat, quod natale Servatoris nostri, quod erat in ipsa bruma (quo die natum eum constat) celebrandum, quartodecimo circiter post die celebraretur; ac ceteri omnes festi dies eodem modo. Denique veterum medicinae reique rusticae auctorum praecepta et mortalibus utilissima, ne dicam necessaria, quibus rerum tempestivitates prudentissime traditae sunt, multum abhorrebant ab hac temporum perversa computatione. Unde magnus error in vitam hominum inductus, nisi cohiberetur, infinite cresceret necesse erat. Sed cum hujus erroris emendandi duplex esset ratio, neutram intactam relinquere constituit Genesius; sed alteram, quae ad caeli astrorumque motum pertinet, idcirco leviter ac summatim constrinxit, quoniam de ea quosdam videret astrologos diligenter et docte, ac justis voluminibus disseruisse; alteram, quae civilem institutionem et jura vetustatis attingit, accuratius explicavit, cum esset velut caput hujus quaestionis, et quasi fundamentum, quo niti deberet tota correctionis ratio.

Auctor noster id sibi in aureo hoc libello demonstrandum sumsit

[1] Vide Sepulvedae epistolam ad Contarenum libro de anni correctione praefixam.

sit; quanam ratione effici posse existimaret, ut anni principium veris suo quidem judicio et a natura constitutis cardinibus restitueretur, neque in posterum ab iis umquam discederet. Acturus igitur de correctione anni mensiumque Romanorum, pauloque altius repetens initium, breviter commemorat, quanta commoditate, atque adeo necessitate inducti fuerint homines, ut perpetuum solis accessum et recessum, sive certum cursum et constantem observarent, omnemque rerum naturalium vicissitudinem motu illo solis gubernari, usu ipso cognoscerent. Unde factum est, ut prisci nonnulli ejusmodi annum constituendum putarent, qui cum solis motu ambitum illum suum pervagantis congrueret: quamquam nonnullae nationes, ut Acarnanes, Arcades, Aegyptii, et alii brevioribus olim spatiis annos suos concludebant. Sed cum ex tam multiplici anni mensura apud alios atque alios usitata nulla ad solis annuum cursum excogitata sit accommodatior quam ea, quae olim a Julio Caesare constituta, ad Sepulvedae, ac deinceps ad Gregorii XIII. usque tempora permanserit; quaedam auctor attingit de diversis Romanorum anni formis. Agit itaque cum de Romuli et Numae Pompilii anno, deque variis intercalationibus, ut is cum solis motu congrueret; tum de ejus correctione a Julio Caesare primum, deinde ab Augusto adhibita. Eam tamen anni mensuram non omnino accurate cum solis annuo ambitu convenire, perinde atque Caesar sibi persuaserat, continuata multorum annorum, atque adeo saeculorum serie, quam plurimisque astronomorum observationibus cognitum est. Quare de anni forma corrigenda plerique viri huic litterarum generi dediti alias aliasque rationes aut fuerant meditati, aut meditabantur, in quibus Genesius etiam esse voluit.

Placuit igitur Sepulvedae non eos esse audiendos, qui sic annum corrigendum censebant, ut ad eam formam redigeretur, qua erat, cum natus est Christus: eos vero multo etiam minus, quibus referri placebat ad tempus concilii Nicaeni, cum fuit dies celebrandi Pascha constitutus, dies scilicet Dominicus proximus post plenilunium in primo mense Judaeorum. Sed ut integra et inviolata anni forma ab omni vitio assereretur, utque annus mensesque ad legitimum idemque naturale initium, ac velut caput revocaretur, illud esse providendum, ut solstitium hibernum, et Natale Christi, et Kalendae Januarii in eumdem competerent diem. Id autem nec operosum esse, nec multorum annorum negotium, adesset modo con-

ci-

cilii sacerdotum rite coacti, vel Pontificis et Principum Christianorum consensus. Etenim uno anno, atque adeo mense res tota confici posset, si publico ipsorum decreto mensis December ejus anni diebus undecim absolveretur, et qui dies alioquin futurus esset duodecimus, quo tunc temporis incidebat bruma; hic esset primus Januarii, idemque Natalis Christi, principiumque communis anni. Ad vitandum porro futuri temporis omnem errorem, id quoque constituendum esset, ut incipiente quinto quoque anno mense Februario dies unus, quemadmodum solet, intercalaretur, praeterquam circa centesimum et vicesimum tertium quemque annum. Nam cum hoc temporis spatio horarum illae minutiae, quae neglectae tredecim dierum errorem a Christo nato eo usque pepererant, unum fere diem conficiant, necesse erat, totidem annorum intervallo communem intercalationem praetermittere: sic enim fieret, ut in aliquot annorum millia ne unius quidem diei error interveniret.

Praeter multas alias commoditates, quae nobis per hanc anni correctionem obtingerent, rediturum etiam esse lumen affirmabat, quod anni ac mensium inconstantia et confusio consequuta veteribus scripturis Latinorum et Graecorum ademit. Quam enim partem anni, exempli causa, mensem Junium medicinae ac rei rusticae auctores antiquitus vocaverunt, haec eadem Sepulvedae temporibus magnam partem Majus nuncupabatur. Quod magni etiam viri non animadvertentes, in Graecis et Latinis intelligendis allucinantur, ut contigit Theodoro Gazae, qui in libro de *mensibus* miserandum in modum laboravit in reddenda causa, cur veteres scriptores nomina Graeca mensium interpretantes, ab ea ratione, quam ipse traderet, certissimamque putaret, dissentirent. Qua de re satis accurate agit. Cumque de *Aera*, qua Hispani antiquitus annos supputabant, mentionem fecisset, rationem hujus rei et vocis reddit; exponitque primum, cur haec annos annotandi ratio XXXVIII. ante Aeram Christianam anno initium ducat: tum de vocis origine illud existimat, τὸ *Aera* non simplex esse vocabulum, sed tria, quae prius abbreviata, et punctis more veterum distincta, per tabellionum librariorumque negligentiam et temeritatem confusa, in unam vocem coaluerunt: veteres scilicet gestarum actarumve rerum tempus sic initio in scripturis adscribebant, ut ille quidem contendit: *Acta sunt haec Cordubae* (exempli gratia) *pridie Kalendarum Aprilis. Annus erat Augusti septuagesimus.* Deinde brevitatis gratia principia dum-

dumtaxat trium verborum scribebant, sed punctis sejuncta, in hunc modum: [1] *A. ER. A. LXX.* Unde nomen *Aera* ortum esse arbitratur.

Contarenus accepto Sepulvedae opusculo, quid de eo sentiret, litteris [2] ad nostrum datis Roma VII. Kal. Maji ann. 1539. egregie significavit: *Mihi*, inquit, *visum est opusculum tuum hoc multis in partibus illustre. Ea quoque, quae in calce dicis de Aera, mihi valde verisimilia visa sunt, ac diligenter notata.* Deinde duo affert loca, in quibus a Sepulveda, at modeste tamen, dissentitur. Primo enim asserit Julium Caesarem non inchoasse annum a bruma, sed a prima luna post brumam. Secundo, cum Genesio placuisset, ut statim ac simul tot diebus annus unus minor fieret, quot a vera regula exorbitabat, minus hoc sibi placere significat, *quam si dimissa diei intercalatione, totidem annis, quot sufficiant resarciendis diebus illis, quibus antevertimus, sensim ratio anni vel instituta a Julio Caesare, vel quae exstabat Concilii Nicaeni tempore, restituatur. Verum*, subjungit Cardinalis, *non ita tueor hanc sententiam, quin facile sim concessurus tuae.*

Huic epistolae videtur statim Sepulveda respondisse, ac Contareni argumenta ad examen revocasse, ceu deprehendimus ex altera ejusdem purpurati patris epistola [3] Romae post longum temporis intervallum exarata, nempe Non. Februar. ann. 1540. qua suam de initio anni a Julio Caesare instituti sententiam erudite confirmat, et respondet locis ex Galeno et primo Fastorum Ovidii allatis a Sepulveda in litteris, quas intercidisse dolemus, cum in nulla editione compareant.

 Post

1 Haec Sepulvedae de *Aerae* origine conjectura licet a nonnullis tamquam ridicula traducatur, Jo. tamen Vasaeo ingeniosa est visa atque erudita. Verba ejus huc transcribamus ex vol. 1. *Hispaniae illustr.* p. 632. ubi postquam suam de Aera sententiam protulisset, adjunxit: *Postquam haec scripsissem, admonitus sum a Jo. Gen. Sepulveda longe aliam esse Aerae originem, quam a S. Isidoro et aliis scriptoribus prodita sit. Cujus de hac re annotationem, quia non solum ingeniosa, verum etiam erudita mihi visa est, ad verbum hic ascribendam duxi.* Affert Sepulvedae verba Vasaeus: ad extremum subjungit: *Postea vero rogavi virum doctissimum Didacum Neilam, Canonicum Salmanticensem, uti per litteras percontaretur Sepulvedam, an aliquam haberet opinionis suae auctoritatem. Respondit ingenue, ut candidum virum decebat, nullam se habere praeter conjecturam verisimilem.* Adversus hanc Sepulvedae conjecturam insurrexit L. Andr. Resendius in epistola ad laudatum Vasaeum, quae inserta est l. c. quam vide sis.

2 Insertae sunt hae litterae tum in collectione epistolarum clarorum virorum emissa in lucem a Jo. Michaele Bruto Lugduni apud heredes Sebastiani Gryphii anno 1561. in 8.° pag. 26, tum inter Contareni opera Parisiis a Nivellio edita 1571. in fol. p. 253.

3 Exstat in Bruti collectione pag. 29. et inter opera Contareni junctim edita, p. 253.

Post longum intervallum et de quaestione corrigendi anni silentium, tandem ad superiores Contareni litteras [1] respondit Sepulveda. Hujus silentii causam non ex sua desidia vel oblivione ortam asseverat sub initium epistolae, [2] sed ex sacerdotum Rom. negligentia, *quos nimirum frigere*, inquit, *et nihil minus quam de cogendo concilio cogitare video; cujus ut spes me prius acuebat et incitabat, sic desperatio jam pridem hebetat atque retardat: quos enim maxime in publicam ecclesiae salutem excubare, atque ejus dignitatis augendae nullam occasionem praetermittere oportebat, ab iis consilii rei salutaris, et si umquam alias, nunc maxime necessariae mentionem fieri non alio video, quam cum bellum aut geritur inter principes Christianos, aut impendet. Ad summam cum certa spes est, horum discordia ipsum impediri posse. Nam cum pax rediit, et firma concordia, de nulla re majus est silentium, ut quid intempestivis edictis alieno tempore capient, neminem quamlibet tardum ad intelligendum dubitare patiantur.*

Deinde respondet ad ea Genesius, quae suae obesse sententiae videbantur. Ad extremum concludit, nihil sibi obstare videri, quominus in correctione anni Kalendae Januarii ad anni naturale principium, et diem Christi natalem, et haec omnia ad brumale solstitium revocentur, plana, luculenta, et plena dignitatis ratione inita, quae nec a summa veteris Romanorum instituti abhorreat, et sit piae Christianorum consuetudini a natali Christi, quem natum constat in ipsa bruma, caput anni repetentium aptissima, sublata quorumdam errorum occasione: *De quo*, subjungit, *quid sentias, erit humanitatis tuae et mihi gratissimum, ut rescribas. Nam si tibi probabiles causas, cur illud dierum, ex quacumque, certe parum aut nihil ad nos pertinente causa interjectorum intervallum multifariam importunum tolli debeat, attulisse videbor, poterit fortasse non inutiliter libellus edi, paucis mutatis de spatii temporis interjecti causa, de qua nobis fuit adhuc, nec erit amplius dissensio. Sequar enim te quocumque duxeris hac in parte, modo ipse mihi in summa causae ne refrageris.*

Epi-

1 Epistola XXX. edit. Salmant. pag. 32. collect. Bruti, et pag. 253. inter opera Contareni.

2 Quamquam haec paulo liberius a nostro sint dicta, minime hic praetereunda duximus, cum mire cum iis consentiant, quae de causis dilati Concilii Tridentini leguntur in historia Caroli V.

Epistolam hanc Sepulveda conscripsit anno 1541. cum Matritum ex suis Cordubensibus hibernis revertisset, quo solebat quotannis ad patriam temperiem frigora vitandi gratia secedere, quae tenui suae valetudini sane quam erant inimica, uti discimus ex altera epistola, qua de postea.

Editus est primum libellus *de correctione anni mensiumque Romanorum* Venetiis apud Gabr. Giolitum de Ferrariis anno 1546. octuplicata charta. Insequenti anno iterum Parisiis excusus est apud Nicolaum Divitem, si Nicolao Antonio [1] et Marchioni Mondejarensi [2] credimus: qui viri licet oculatissimi Venetam editionem haud viderunt. Demum inserta est haec opella in editione Coloniensi toties a nobis laudata.

Etsi lucem non viderit laudatus Sepulvedae fetus ad annum usque 1546. dubitare tamen non possumus, quin 1538. aut sub initium sequentis conceptus jam fuerit, missusque ad eruditissimum S. R. E. Cardinalem Gasparem Contarenum, ceu apparet ex ejus epistola ad Sepulvedam Romae VII. Kal. Maji, exarata anno 1539. superius jam a nobis recensita.

Hujus operis editionem curavit Joannes Paëzius de Castro, vir inter paucos eruditus, Philippi II. chronographus ac sacellanus, qui Francisco Vargae Regii fisci patrono ac legato ad sacrum Tridentinum conventum comitem se praebuit ad annum 1545. Id haud obscure apparet ex Paëzii epistola [3] ad V. Cl. Hieronymum Suritam exarata postridie Idus Decembris ejusdem anni.[4] In ea namque Suritam orat, ut Sepulvedam certiorem reddat, se ejus libellum (nempe de correctione anni mensiumque Romanorum) accepisse ab

F 2 Astu-

1 Biblioth. Hisp. N. t. 1. p. 535.

2 In operibus *Chronol.* vernacule editis studio V. Cl. Gregorii Majansii Valentini, *Disc.* 1. §. 15. pag. 38.

3 Consule, si lubet, eam apud Didacum Josephum Dormerium in *Progress.* historiae in regno Aragoniae pag. 467.

4 Digna sunt, quae huc transcribantur Paëzii verba vernacula: *Al señor doctor Sepulveda diga Vm. le beso las manos, y que el señor Obispo de Astorga me dió su libro. Yo le leí con atencion, y me parece todo de perlas: solo lo de la* Era *no puedo tragar; porque para tanta adivinacion fueran menester mas claras conjeturas de piedras, o libros, en que paresciesse que en España contaban por años de Augusto de mil años a esta parte siquiera, y que esa forma de escribir hablando de presente*: Erat annus, *que no me parece buen Latin, siendo tan doctos los Españoles, como él dice. Si quiere mi parecer, es que*, patienter ferat nos aliquid ignorare, et mutet illum locum. *Yo terné suspensa la impresion, hasta que determinadamente me escriba lo que debo hacer, porque hay grandes cosas que obstan a su invencion allende de lo dicho.* Dormer l. c. pag. 467.

Asturicensi Episcopo [1] Didaco de Alava et Esquivele, magnaque se cum animi contentione perlegisse; ceterum minime sibi probari [2] quae de *Aerae* vocis interpretatione [3] ibi afferuntur, cum omni antiquitatis fundamento sint destituta. Quare mutandum eum locum censebat; plura enim inerant, quae auctoris sententiae adversabantur. [4] Verum enimvero Sepulveda, ceu solet accidere iis, qui aliquid novi invenisse contenti sibi plaudunt in sinu, minimeque aliorum monitis auscultant, ne verbum quidem ullum aut mutare, aut ab opere suo amoveri passus est: ut conjicimus ex eo, quod anno sequenti forte jam ad exitum vergente lucem aspexit publicam.

Sepulvedae ea propria laus est, quod primus, quod sciamus, de anni correctione litteris aliquid mandavit tempore maxime necessario.

1 Apud Dormerium tribuitur Astoricensi Episcopo *Didaci Sarmienti* nomen, quem etiam errorem incurrit Majansius in praefatione ad Marchionis Mondejarensis opera chronol. pag. 40. n. 109.

2 Id aliis etiam ad Suritam litteris Tridenti datis IX. Kal. Aprilis Paëzius haud obscure significat, sibi in animo esse Sepulvedae opinationes refellere. Sic enim ait: *No querria que supiese Sepulveda, ni Gonzalo Perez de estas cartas, porque no tengo espacio para les escribir, aunque por tarde que sea, Vm. verá maravillas con el Dr. Sepulveda, porque estoy determinado de le enojar quanto pudiere sobre su libro, y sobre sus imaginaciones: y sepa Vm. que lo que dice de los Exotericos, que es opinion de Santo Thomas. Vm. me avise como le va con el Arzobispo de Toledo y el señor Honorato Juan, que me dicen que son grandes privados; deseolo porque todavia se me apegará algo.*

3 Vox *Aera* quomodo a Sepulveda interpretaretur, superius jam innuimus. Ejus ridiculam interpretationem damnarunt praeter alios Majansius l. c. et Marchio Mondejarensis in oper. chronol. pag. 54. Sed mirari subit, eos non animadvertisse, corrupte legi in editione Coloniensi libelli *de correctione anni*, legem a Joanne I. anno 1372. latam, qua cavebatur, ut anni deinceps atque tempora a Christi natali die ducta ratione, non ab Aera Caesaris computarentur, cum legendum omnino sit, *ann.* 1383. uti videre est apud Didacum Colmenarium in historia Segoviensi cap. 6. §. 6. pag. 296. In editione Veneta ascriptus est annus 1382. sed errorem hunc non Sepulvedae, sed typothetae incuria irrepsisse credere fas est.

4 In alia Paëzii ad Suritam epistola a Dormerio allata pag. 276. exarata XIII. Kal. Mart. 1547. hoc de Sepulvedae libello judicium legimus, dignum quod huc transcribatur: *En lo de Sepulveda ya Vm. conoce su estilo; quanto a la doctrina alli no hace otra cosa sino aconsejar que se reduzga el año a la bruma, que es once de Enero, lo qual se podria hacer intercalando los dias errados, y que se de orden como no se venga a este inconveniente con intercalar dentro de ciertos años: el no muestra la dificultad, ni se mete en ella, y hay en esta materia tanto escrito que sobra, pero por su estilo aplace; yo he dado a los Legados sendos, y les parece bien, aunque no se les hace nuevo.* Praeterire hic non possumus duplicem Paëzii oscitantiam: prima quod brumam nullo auctore collocat ad III. Idus Januarii, cum certo constet apud omnes, eam incidere cum sol ingreditur capricornum. Unde ante Gregorianam correctionem incidebat in diem XII. Decembris, post correctionem vero in XXI. ejusdem mensis. Secunda, quod Sepulvedae mentem non omnino videtur assecutus, neque rationem anni emendandi ab eo propositam; non enim, quemadmodum ille putat, dies tantum erant interserendi, qui a suo loco deerrabant, sed etiam aliquot expungendi, ceu a nostro late explicatur.

rio. Et quamvis dissimulare non possimus, non omnia eum recte pervidisse, majoremque alios lucem huic argumento affudisse, ut facile est inventis aliquid addere; conjectari tamen licet, nostro deberi, ut anno 1582. [1] Gregorius XIII. Pont. Max. et de re ecclesiastica optime meritus anni correctionem tam diu desideratam ad exitum perduceret.

Anno 1541. pridie Idus Junii scripsit [2] ex Matrito Sepulveda ad Contarenum in Germania commorantem, ut ab eo disceret, quid cum Carolo Caesare in religionis causa ageret, cum nihil commodius esset ad publicas controversias religionem attingentes sedandas, quam si res ad universale Antistitum concilium referretur.

Anno 1543. VI. Kal. Novemb. ex Pace Augusta Philippo Hispaniarum Principi nuntiavit quaedam memoratu digna, quae in itinere animadverterat, dum Episcopum Carthaginiensem Joannem Martinum Siliceum viam in interiorem Lusitaniam habentem ejusdem Principis voluntate sequeretur, cum ille ad Mariam Regis Portugalliae filiam Philippi sponsam in confinio regnorum excipiendam deducendamque cum magno nobilium doctorumque virorum comitatu contendisset. Ibi inter alia agit de via militari, quae ab Emerita hinc Salmanticam, illinc Hispalim ducit lapidibus milliariorum intervalla non singulis, sed quinis senisque distinguentibus, quorum erant inscripti multi, sed litteris jam vetustate deletis, praeter admodum paucos, quorum unum inter Caparam et Carcabosum vicum repertum adducit, quem ab auctore explicatum videre licet tum in hac epistola, [3] tum libro XXII. de *Rebus Caroli V.* §. III. ubi etiam iter suum Sepulveda in Lusitaniae confinium narrat.

Epistolam hanc miserat Sepulveda ad Cl. V. Honoratum Joannem Valentinum Philippi Principis in litteris institutorem eidem reddendam, sicuti apparet ex alia auctoris epistola [4] ad laudatum Joannem exarata pridie Nonas Februar. anni insequentis, forte ex suis Cordubensibus hibernis, in qua nullum se responsum accepisse asseverat, hiemis forsitan magnitudine interclusis itineribus. Itaque in magna rerum aulicarum ignoratione jam pridem versabatur, id quod

1 De Gregoriana correctione eleganter et erudite pro more suo agit Dionysius Petavius in magno opere *de doctrina temporum*, lib. V. et lib. VII. c. 12.
2 Epist. XXXI. edit. Salm.
3 XXXVII. edit. Salm.
4 XXXVI. edit. Salm.

quod eum vehementer anxium habebat, scire cupientem, res Caroli Caesaris quo in statu essent, bellumne gereret anni durissimo tempore, an sibi militibusque parceret in hiberna deductis; quid ageret Philippus Princeps, redieritne in gratiam cum Musis, a quibus studio hymenaei nonnihil alienatus esse videbatur.

Anno 1544. aut circiter magna inter Sepulvedam et Fernandum Nonium, quia a patrio solo Pintianus vulgo audit, exorta est contentio de nonnullis in Plinium castigationibus, ac praecipue de *saltu Pyrenaeo*. Etenim vir ille [1] non minus generis nobilitate (cum ex antiquissima Guzmanorum gente originem duceret) quam ingenii praestantia ac linguae utriusque, Graecae ac Latinae cognitione celeberrimus, post illustratum ac pluribus in locis magna dexteritate emendatum Melam Hispanum geographum, medicas etiam manus adhibuit Plinio majori de naturali historia optime merito, ab infinitis librariorum vulneribus sanando. Sepulveda, qui [2] Pintianum propter ingentem ejus doctrinam, singularem humanitatem et suavissimos mores jam inde ab ineunte sua aetate colebat et observabat, cum intellexisset in Mela castigando esse occupatum, eum per litteras admonuerat vehementerque rogaverat, in eo negotio ita se gereret, ut nequid cupidius, nequid ambitiosius egisse videretur, atque eo magis quod injustae castigationis contumelia solet in castigantem nonnumquam recidere. Epistolam hanc ante annum 1543. scriptam putamus, eo enim anno Salmanticae in lucem prodiit Mela a Nonio plurimis in locis castigatus.

Editis anno 1544. Pintiani in Plinium [3] *castigationibus*, aliam ad eum scripsit epistolam [4] Sepulveda, qua ejus institutum summis effert laudibus, hortaturque ad reliquum operis perficiendum. Ceterum ut Pintianum excitaret ad accuratius dispicienda explicandaque difficilia auctoris loca, tria proponit quae inextricabilia sibi visa fuerant, aut librariorum vitio deturpata. Primum ex libro XVI. cap. 6. ubi de *Galla*: alterum ex libro III. cap. 1. de Tarraconensis provinciae a Baetica atque Lusitania distinctione: tertium ex libro IV. cap.

20.

1 Plura qui volet de Ferdinando Pintiano, adeat vitam ejus ab eruditissimo Schotto exaratam insertamque tum in Pomponii Melae editione Antuerpiensi, tum in Bibliotheca Hispaniae, Nicolaum Antonium, Alfonsum Garsiam Matamorum, alios.

2 Epist. XLIX. edit. Salm.

3 Pintianus universum Plinii opus praeter librum postremum, qua MSS. Codicum, qua veterum auctorum lectione limatius reddidit, ac doctis observationibus illustravit.

4 XLVIII. edit. Salm.

20. de saltus Pyrenaei situ, ubi legitur: *Ipsa Pyrenaei juga ab exortu aequinoctiali ad occasum brumalem fusa.*

Sepulveda, qui possent deprava loca restitui, candide significavit. Verum Pincianus, ut solet esse criticorum natio superbissima, aegerrimo tulit animo, quae de saltu Pyrenaeo a se fuerant disputata, a Sepulveda minime probari. Itaque non solum sua perstitit in sententia, sed Genesianam velut inanem et ab astrologiae exigua fortassis cognitione profectam alto supercilio despexit, ut discimus ex auctoris nostri epistola, [1] qua descripto circulo ad vetustam Mathematicorum rationem verum Pyrenaei montis situm ad oculum demonstravit. [2] Deinde eum monuit, ut in alienis scriptis castigandis temperantius ageret, nec auctoris verba sine certissima ratione praeter omnium exemplarium fidem invertere, aut quoquo modo mutare animum induceret, quod periculosum haberetut. Illud vero non cuivis in promtu esse recte putat, nec carere egregia judicii et eruditionis laude, dissentientibus exemplaribus veram et germanam lectionem asserere. [3]

Denique VII. Kal. August. anni 1544. suam tueri aggressus est sententiam Sepulveda a Pintiano damnatam, quod sic ei figura quadam Hispaniae partes pro ratione caelestium regionum designaverit, ut linea recta paulo supra Toletum ab oriente in occidentem ducta, quae alteram a septemtrione in meridiem contendentem transversa secet ad angulos rectos, ortum et occasum aequinoctialem suis extremis demonstrare diceret. Existimarat enim Pintianus illam figurae describendae rationem ad regiones dumtaxat aequinoctiali circulo subjectas recte accommodari posse: *Qua de re*, inquit Genesius, *nescio quid nugarum his paucis diebus, rudioribus fortasse non inutile futurum, meditabar scriptoque mandabam: certissimis enim argumentis, quae persequi epistola longum et ineptum esset, declaravi, nihil ad illam certissimam et verissimam rationem interesse, sub aequinoctiali circulo regio sita sit, an ultra citrave, etiam sub ipso mundi cardine, qui* πόλος ἀρκτικὸς *a Graecis nominatur.* Num opus hoc ab auctore absolutum sit, plane ignoramus, uti et libellus alius de solis per signiferum motu, et terrae transitu, cujus meminit in epistola Corduba Nonis Decembr. ejusdem an-

1 XLIX. edit. Salm. 2 Vid. etiam epist. seq.

3 Hanc eamdem Pintiani in Plinio emendando libertatem damnat Jo. Harduinus in praefatione ad Plinianam suam editionem immortalitate dignam.

anni, ut putamus, transmissa ad Joann. Quignonium gymnasii Salmanticensis praefectum, in qua suam cum Pintiano controversiam enarrat, ut in illo clarissimo et doctissimis hominibus frequentissimo gymnasio, si quis apud eum de his rebus perperam memorarit, calumniam posset suo gravissimo testimonio refellere.

Cum Petrus Fernandus Velascus Friarum Dux columnas duas non procul a Pisoraca flumine ad Ferrarias suae ditionis castellum reperisset, earum inscriptiones ad Sepulvedam transmittendas curavit, qui iis diligenter consideratis, ac cum viris doctis communicatis, Idib. Jul. ann. 1545. respondit, [1] hos lapides ad milliariorum intervalla more veterum Romanorum notanda fuisse constitutos, principio scilicet a Pisoraca sumto, ceu indicabant extrema illa verba: A. PISORACA. M. I. In eadem epistola de Numantiae situ disputat, quam alii Soriam, alii Zamoram esse contendunt, eamque non in Soriae solo, neque tamen longe a Soria sitam contendit.

Anno 1546. Kal. April. scripsit Sepulveda ex suis Putalbanis hibernis ad Sebastianum Leonem, eique suadet, ut Ciceronem Ciceronisque aequales sibi ad imitandum proponat, cum nihil ineptius possit excogitari, quam, relictis purissimis fontibus, rivulos, et hos interdum turbidos consectari.

Anno 1547. IX. Kal. Februar. litteras dedit ad Alfonsum Porticellum, quibus ejus tum ingenii, tum virtutis indolem laudat, ac gratas fuisse litteras Francisci Cordubae Guadalcazarensis Principis nomine ad se missas significat.

Eodem anno Idib. Decembris scripsit [2] ex hibernis Putalbanis ad Martinum Olivanum, superius a nobis jam memoratum, bene longam ac sane eruditam epistolam, in qua recte explicat locum unum M. Catonis, et alterum C. Marii, ubi Graecas litteras contemnere videntur, probatque multis gravibusque argumentis, non quod Germanorum calamitates et religionis corruptelae ab hominibus Graece doctis et eloquentie studiosis fuerint invectae, eam ob rem eloquentiam et Graecarum disciplinarum notitiam vituperandas. Ad extremum nos docet Sepulveda, se a puero in Graecas litteras incubuisse, idque cum nondum Bononiam se contulisset, eisque magnam se habere gratiam, quod ipsarum beneficio tum in Graeco-

1 Epist. LVI. edit. Salm. 2 LXVII. edit. Salm.

corum Philosophorum, tum in sacris, praesertim novi testamenti libris ita fuerit versatus, ut sibi liceret ex fontibus potius quam ex interpretum rivulis haurire.

Quanti haec epistola habita sit a viris doctrina illustribus in Academia Salmantina, docet nos Olivanus litteris ad nostrum datis [1] Cordubae Kal. Augusti an. 1548. cujus haec sunt verba: *Quoddam exemplar illius eruditissimae et elegantissimae epistolae, quam ad me jam pridem scripseras, ut in eo mihi satisfaceres, quod hic saepe familiariter sumus collocuti, posteaquam tibi litteris significavi, utrum Graecarum litterarum studium hac nostra aetate Germanis ad religionem Christianam offecisset, misi ad Joannem Olivanum fratris filium, qui non sine aliquo bonarum litterarum tamquam fundamento juri civili Salmanticae incumbit, qui cum non ignoraret epistolam propter eruditionem et doctrinam, qua ubique scatebat, magno in pretio habendam, gymnasiarchae et Doctori Neylae tibi amicitia conjunctis, aliisque illius Academiae scientiarum omnium peritis ejus copiam fecit. Quam epistolam mihi per proximum tabellarium remittens, negat per litteras se satis digne referre posse, quanto applausu quantisque laudum generibus eam susceperint. Jam vero quid mihi responderint Ureniae Comes, Marchio Comariensis, aliique bonarum litterarum studiosi viri, quibus eam feci etiam communem, quid refert commemorare? Omnes uno ore praedicant, te numquam non debere calamo operam dare, ut et te et patriam ea gloria famaque illustres, qua vix alius quisquam antiquorum umquam condecoraverit.*

Eadem epistola certior factus est ab Olivano Sepulveda, superioribus illis diebus in monasterio D. Pauli Dominicanorum provinciae Baeticae, quorum multi erant scientia et dignitate praestantes, cum conventum agerent, septem continuis diebus palaestram litterariam theologicis quaestionibus agitatam: fuisse autem inter alias quaestiones duas praecipuas, quarum altera circa ea versabatur, quae Sepulveda in dialogo, cui titulum *Democratem secundum* fecerat, accuratissime pertractaverat, utrum Barbaris novi Orbis, quos Indos vocabant, liceret bellum inferre, et cetera, quae noster in eodem libro elegantissime persequitur. Altera: utrum Romanus Pontifex potestatem habeat supra id, quod oecumenica syn-

[1] Epist. LXVIII.

odus statuerit, definiendi, aut ipsa per se etiam contra voluntatem Pontificis quidquam statuere possit. *De qua quaestione*, subdit Olivanus, *spero cito te librum magna cum studiosorum utilitate in lucem emissurum, et utrumque opus ut quam primum in lucem prodeat, vehementer exopto: erunt enim mihi gratissima, ut cetera scripta tua, quae nescio doctrina, an elegantia magis eruditorum praeconio commendentur.*

Duo hic notatu digna occurrunt. Alterum, Sepulvedam aliquid de Romani Pontificis auctoritate commentatum, sed non alia quam quae in libro de *Regno* hac de re summo cum judicio persecutus est, ut patet ex auctoris epistola LXIX. Alterum, hoc anno ante sextilem mensem *Democratem secundum* non tantum absolutum fuisse, sed per omnium jam ora volitasse.

Respondit ad hanc epistolam Sepulveda ex suis Putalbanis hibernis [1] Kal. Novembr. atque Olivanum certiorem fecit sibi non ludicram palaestram, sed acre fuisse certamen diebus superioribus cum doctis quibusdam Theologis, sed pertinacibus. Rem ipsis auctoris verbis narremus, quae legisse non poenitebit. *Pergrata*, inquit, *mihi fuit epistola tua, erudita, humana et benevolentiae plena, in qua quod scribis monachos Dominicanos, qui Cordubae conventus provincialis agendi causa ex more frequentes venerant, palaestra litteraria sese exercentes vobis spectaculo non injucundo scilicet fuisse, gratulor vobis, quibus extra teli jactum pugnae simulacrum spectare licuit. At mihi eisdem diebus cum aliis doctis, sed pertinacibus theologis non ludicra palaestra, sed verum certamen fuit, atque utinam aequo et aperto Marte, parique pugnandi conditione fuissemus congressi, nec ipse versutissimi ducis arte fraudeque circumventus fuissem, iis copiis ad defectionem per dolum et figmenta solicitatis et abductis, quarum praesidio ipse mihi certam victoriam pollicebar. Itaque non victi judiciali pugna excessimus, sed elusi et destituti, quippe in optima nostra causa paucorum judicio a gymnasiis bona fide commissa, eosdem magna ex parte judices habuimus, et eosdem per quorumdam artificium pertinacissimos adversarios. Quibus rejectis ad sanctius tribunal provocavimus, firmioribus et constantioribus auxiliis usuri, et his partim ex ipsorum adversariorum grege. Nam paucorum, vel potius unius iniquitate, et quorumdam*

1 Epist. LXIX.

dam caecitate perspecta , optimus et doctissimus quisque causae nostrae favet , quam tibi et gravissimo atque doctissimo , tuique simili collegae non improbari mihi fuit gratissimum ex tuis litteris intelligere. Nec miror vos gravissimos et integerrimos judices , qui religionis et catholicae Ecclesiae contemtores coërcendi officio cum summa potestate praeestis , ab ea sententia non abhorrere , quae , ut cetera fundamenta , quibus praealtis nititur , taceam , summum Pontificem , et qui nobis in Ecclesia pro Christo est , unum et alterum auctorem habet , et ipsius Ecclesiae auctoritate fulcitur. Quod ut habeas exploratius , exemplum ad te mitto litterarum , quas Alexander Sextus Pontifex maximus Fernando et Isabellae Regibus nostris rescripsit , quibus non solum bellum Barbaricum probat , sed ad id suscipiendum et obeundum , Barbarosque in ditionem tradendae pietatis causa redigendos , magnopere religiosos principes cohortatur: qua de re Fernandus Valdesius sanctissimi tribunalis vestri omnis Hispaniae praefectus , et idem praesul Hispalensis , quem virum gravissimum et juris consultissimum nosti , nuper cum viri multi gravitate et doctrina praestantes adessent , sic mecum est collocutus: „Cur , *inquit* , Genesi , libri tui editionem quidam viri alioquin docti et graves tantopere impediunt ?“ *Et ego* : „Quid tu , *inquam*, praesul amplissime , me de negotio percontaris , quod melius nosti quam ego ?“ „Causa , *inquit ille* , quam ipsi jactant , perlevis est , et mihi numquam probata , qui cavendum esse dicunt , ne milites nostri per occasionem libri gravius saeviant in Barbaros ; at hoc ne fiat , ipsorum muneris est , quantum res patitur , providere. Nam bellum ut sine aliqua injuria et maleficio geratur , aut fieri non potest , aut est difficillimum :“ *Et cum parumper siluisset, adjecit illud* : „Dicam equidem quod sentio , melius iidem suae famae consulerent , si potius librum hunc ipsi grandioribus litteris excudendum , et per omnem Hispaniam ex suggestis ad publicam commoditatem praedicandum curarent.“

Sed quoniam ad hunc locum pervenimus , in quo de libello omnium Sepulvedae famosissimo , quique tamquam Eridis pomum rixas concitavit , et Theologorum et Jureconsultorum animos per multos annos scidit , verba nobis sunt facienda ; operae pretium nos facturos existimamus , si ejus historiam paulo accuratius pertractemus , rem ab origine repetentes : idque nobis eo magis est visum necessarium , quod nusquam in lucem prodierit *Democrates*

hic *secundus* sive *Dialogus de justis belli causis adversus Indos*; et tamen nonnulli, quibus ne minimam quidem operis particulam legisse contigit, conviciorum plaustra in auctorem conjicere non dubitaverint, eumque traducere tamquam pessimum Theologum ac fautorem crudelissimorum facinorum, quae a perditis hominibus apud novum Orbem in Indos perpetrabantur, indignantibus Regibus Catholicis, piisque viris omnibus, quibus

De meliore luto finxit praecordia Titan.

Nobis vero propositum est, omni partium studio procul amandato, auctoris sententiam bona fide in medium proferre, nec dubitamus quin hac tantum diligentia Sepulvedam a maledicorum injuriis ac contumeliis vindicemus.

Scripserat Sepulveda doctum sane atque elegantem *de honestate disciplinae militaris Dialogum*, quem *Democratem* inscripserat, hinc *Democratis secundi* nomine insignivit hunc *de justis belli causis*. Agitabatur tunc temporis magna animorum contentione celebris illa et perdifficilis quaestio de justitia belli, quod in novi Orbis accolas gerebatur. Non una erat Theologorum sententia: aliis calculo suo id probantibus, aliis e contrario non bellum modo, sed et ejus gerendi rationem improbandam censentibus. Genesius, qui gravissimis id genus disputationibus semper se interponere solebat veritatis anquirendae gratia, ceu gravissimum decebat Theologum, ut si fieri posset, pax inter dissidentes conciliaretur; quid sibi dies noctesque rem meditanti, et sacrarum litterarum, SS. Patrum, veterumque juris divini et humani consultorum doctrinae visum esset magis consentaneum, scripto mandavit. Itaque laudatum elucubravit dialogum, in quo *Democratem* et *Leopoldum* loquentes induxit. Hic adversariorum argumenta proponit, ille diluit.

Sed quoniam libellus hic [1] editus in lucem non est, uti diximus, et non ab exteris modo, sed etiam a nostrorum plerisque atris depingitur coloribus, juvabit in eo recensendo diutius immorari.

Leopoldus, [2] qui Germanum se fingit, statim ab initio bellum

1 Sepulvedae Dialogum numquam typis commissum fuisse, tam certum est, quam quod certissimum. Qui aliter magno numero scripsere, perperam cum eo confundunt *Apologiam pro libro de justis belli causis* a V. Cl. Antonio Augustino Romae editam. Quo de latius posteá disseremus.

2 Dialogum hunc scriptum Vallisoleti indicant verba illa Leopoldi: *Quando nos in hoc oppido Regio Hispaniae celeberrimo, nescio, quae fortuna conjunxit: et hodie otium in iis ad Pisoracae ripam amaenis hortis nacti sumus*, cet.

lum geri, praesertim a Christianis, nulla sibi ratione placere asseverat, qua de re longam trium dierum Romae in Vaticano habitam fuisse disputationem commemorat, nempe illam de honesta rei militaris causa. Sepulveda, cujus partes tuetur *Democrates*, sub quo nomine scriptorem nostrum in hoc tractatu designabimus, laudatis pacis commodis, et multas et frequentes esse belli suscipiendi causas existimat, id vero numquam expetendum, nec nisi justis aut etiam necessariis causis suscipiendum affirmat, atque ita bonis viris gerendum, ut bello nihil aliud nisi pax quaesita esse videatur. *Non enim*, inquit, *vel probitas hominum vel religio pietasve justas profert belli causas, sed hominum scelera et nefariae cupiditates, quibus plena est hominum vita, et continenter exagitatur. Est tamen optimi et humani principis, nihil temere, nihil cupide agere, omnes pacis vias exquirere, nihil inexpertum relinquere, si qua ratione possit citra bellum injustorum et importunorum hominum injurias repellere, ac populorum suae fidei commissorum saluti et commodis prospicere, officioque suo satisfacere. Sed si omnia expertus nihil profecerit, et suam aequitatem ac moderationem injustorum hominum superbia et improbitate superari viderit, sumtis armis, nihil est, ne temere aut injuste bellum gerere videatur, quod metuere possit.*

Tum ut ad propositam quaestionem propius deveniatur, suam in medium profert dubitationem Leopoldus, ne non satis juste, pie et Christiane Hispani bellum illis hominibus (Indis scilicet) innocuis, de nullisque male meritis intulissent. De hoc igitur, iisque similibus bellis, quae nulla necessitate, sed consilio quodam, vel potius libidine et cupiditate fiunt, quid sentiret Democrates, scire cupiens Leopoldus, utque eadem opera omnes sibi causae, quibus bellum juste suscipi posset, explicarentur, nonnulla summatim ex priore illa paulo ante memorata disputatione repetenda expostulat.

Democrates, ut morem adversario gerat, omnesque difficultates procul amoveat, primo loco illud statuit principium: *Quidquid jure fit, seu lege naturae, id jure quoque divino fieri et lege evangelica.* Deinde ad ea respondet, quae ex evangelio solent adduci, ubi Christus nos jubet, ne malo resistamus, utque percutienti maxillam unam et alteram feriendam exponamus, et tunicam tollere volenti dimittamus et pallium. Hinc ad explicandam legum naturalium vim et auctoritatem descendit, quarum judicium non a Christia-

stianis solum et scriptis evangelicis petendum esse concludit, sed et ab hisce philosophis, qui optime et sagacissime putantur de natura rerum, ac de moribus, deque omni reipublicae ratione disseruisse, praesertim ab Aristotele, cujus praecepta tanti facit scriptor noster, ut asserere non dubitet, perpaucis exceptis, quae de rebus tractant fere captum humanum excedentibus, et quae mortalibus nisi per divina oracula exploratae esse non possunt, tanto consensu et approbatione a posteritate recepta ejus philosophi placita, ut non jam unius philosophi voces, sed generale quoddam concilium, et communia in eo omnium sapientium decreta in unum coacta esse videantur.

Postremo causas enumeraturus, ex quibus juste ac pie bellum suscipiatur, *Bellum*, inquit, *justum non modo justas suscipiendi causas, sed legitimam etiam auctoritatem, et rectum gerentis animum desiderat, rectamque gerendi rationem. Non enim cuivis bellum suscipere permissum est praeterquam ad injuriam propulsandam, quam repellere cum moderamine inculpatae tutelae cuilibet licet jure naturae. Bellum igitur inferre per se, aut per ducem, nulli nisi principi licet, aut iis, qui summam auctoritatem habent in republica.* Probus animus sive finis, quem sibi quisque belli gerendi proponat, is esse debet, ut in pace et tranquillitate juste et cum virtute vivatur, subtracta pravis hominibus nocendi et peccandi facultate. Modus quoque, ut ceteris scilicet in rebus, sic in bello gerendo tenendus est, ut si fieri possit, innocentibus non fiat injuria, neve ad legatos usque, advenas, aut clericos, resve sacras serpat malum seu vindicta, neve hostes plus justo laedantur, cum fides etiam hostibus data servanda sit, et in ipsos non plus quam pro ratione culpae saeviendum.

Ad causas autem quod attinet, quae subesse debent, ut juste bellum suscipiatur, multas enumerat Sepulveda. Prima, eaque gravissima est naturalis, ut vi, cum non licet aliter, vis illata repellatur: secunda, ut res ablatae repetantur: tertia, ut non solum ab aperte injuriosis justa vindicta petatur, sed etiam ab iis, quorum in manibus erat maleficos tales coërcere, quippe qui jam facti sunt connivendo consentiendoque injuriarum socii et coadjutores, utque ita illi insimul justis poenis affecti, de cetero partim fiant ad mala tardiores, et ad scelera punienda partim magis curiosi, eorumque exemplo vitiati reliqui undequaque ab inferendis injuriis deterreantur.

Tri-

Tribus hisce belli juste gerendi causis, quas multis rationibus et ex sacra antiquitate desumtis exemplis illustrat Democrates, alias adjungit, quae licet minus late pateant, rariusque accidant, justissimae tamen habentur, nituntur que jure naturali et divino. *Quarum una*, inquit, *est*, *ut armis*, *si non alia patet via*, *subjugentur ii*, *quorum ea conditio naturalis est*, *ut aliis parere debeant. Talibus igitur*, *si imperium recusant*, *quod infertur bellum*, *justum esse lege naturae philosophorum* [1] *maximi testantur.*

En Sepulvedae singularem sententiam, quam toto hoc opere pro virili probandam suscepit, quaeque plurimis offendiculo fuit. Exhorruit ad haec Democratis verba Leopoldus, qui neminem putabat a natura damnatum, ut alterius imperio subjectus esse cogeretur: quod perinde esset ac natura servitutem inductam asserere, cum et ipsi juris consulti homines cunctos initio liberos fuisse natos, et servitutem praeter naturam jure gentium introductam affirment.

Democrates ut hoc telum evitet, non eodem modo servitutem a jure consultis et a philosophis acceptam contendit. *Illi enim*, inquit, *accidentalem illam*, *fortunaeque et potentiorum violentiae subjectam conditionem servitutem vocant*: *at philosophi tarditatem illam natura insitam*, *et mores inhumanos ac barbaros pro servitute habent. Insuper et hoc memineris*, *imperia quoque diversa et multiplicia esse*: *aliter enim alioque jure pater imperat filiis*, *aliter uxori vir*, *aliter dominus servis*, *aliter civibus magistratus*, *aliter Rex subditis suis. Quae imperia quamvis multum inter sese sint differentia*, *cum tamen ratione recta geruntur*, *omnia jure naturae innituntur*; *varie quidem*, *sed ab uno principio et instituto naturali*, *ut docent philosophi*, [2] *profecta. Videmus ubique*, *ut perfecta imperfectis*, *fortia debilibus*, *meliora pejoribus imperent ac dominentur. Quod est usque adeo naturale*, *ut in cunctis rebus*, *quae ex continuis sive divisis consistunt*, *alterum*, *quod potius est*, [3] *teneat semper imperium*, *alterum vero*, *quod pejus*, *subjectum esse cogatur.* Haec postquam multis illustravit Democrates, concludit: *Qui prudentia et ingenio valent*, *non corporis viribus*, *hos esse natura dominos*; *contra tardos*, *hebetes*, *sed corpore validos ad subeundos labores et ne-*

1 Citat hoc loco Sepulveda Aristotelem 1. *Politic.* cap. 5. cujus verba inferius subjiciuntur.

2 Aristot. 1. *Politic.*

3 *Politic.* lib. 1.

necessaria munera, servos esse natura certum est. Quibus non modo non fit injuria a natura, sed beneficium, ut serviant natura dominis. Quod lege quoque divina sancitum esse videmus. Scriptum est enim in libro Proverbiorum: [1] Qui stultus est, serviet sapienti. *Talesque esse docent barbaras et feras gentes a vita civili et humanioribus moribus atque virtute abhorrentes, quibus commodum atque utile est, ut rerum peritia atque virtute praestantium principum imperio subsint, ut horum virtute, legibus, atque prudentia, deposita feritate, in vitam humaniorem cultioremque redigantur, moribusque mansuetioribus instruantur.* „Quo fit, *inquit*, [2] ut o„pes bello etiam parandi ratio a natura quodammodo proficiscatur. „Nam ejus pars est venatoria facultas, qua uti convenit in belluas, „tum in eos homines, qui cum sint ad parendum nati, imperium „recusant. Est enim ejusmodi bellum natura justum.“ *Haec Aristoteles, cui suffragatur Augustinus*, [3] *qui sic ad Vincentium scribit:* „An putas, *inquit*, neminem cogi posse ad justitiam, cum legas, „patremfamilias dixisse servis: *Quoscumque inveneritis, cogite in„trare?* et alio in loco: Multa, *inquit*, sunt agenda etiam cum „invitis quadam benigna asperitate plectendis, quorum potius uti„litati consulendum est, quam voluntati. Nam in corripiendo fi„lium, quantumlibet aspere, numquam profecto paternus amor a„mittitur: fiat tamen quod nolit, et doleat, qui et invitus dolore vi„detur sanandus.“ *In summa probos viros virtute, intelligentia, humanitate praestantes sibi dissimilibus imperare, utrisque commodum esse constituunt, et natura justum.*

Si prudentioribus et virtute praestantibus imperia debeantur, inde infert Leopoldus, Regnum Tunetense e. g. si in principem devenerit tyrannum, cui fratres sint, quamvis minores natu, tamen longe prudentiores et virtute praestantiores, horum cuique potius, quam importuno illi principi deferendum. Aut si hoc minus licet, ne intestina bella et seditiones suboriantur, cur non ob eamdem rationem ab imperio Barbarorum abstinemus? Fatetur Democrates penes optimos et prudentissimos quosque debere semper esse imperium, si quid ratio poscat ordinis naturalis, attendatur, ideoque Remp. optimatum justissimam et maxime naturalem haberi, utpote

1 Lib. 1. cap. 2.
2 Aristotel. *Politic.* I. cap. 5.
3 In serm. de *puero Centur.* Habetur XIII. q. 1. cap. *Paratas.*

pote ab optimis et prudentissimis, unde nomen habet, gubernatam. Ceterum longe diversam esse rationem: nam rex cum legibus patrioque more in imperium successit, sit licet improbus et parum idoneus, non ob id tantum ferendus, ne calamitates nascantur reipublicae, sed ne leges violentur, quibus illa continetur, suscepto bello contra legitimum regem, quod impium est ac nefarium multas ob causas, quas sigillatim enumerat. Nam si cui regno talis morbus irrepserit, quod Deus interdum propter peccata populorum permittit puniendi gratia, Rex importunus auctore Petro [1] Apostolo patienter ferendus est, Deusque precandus, ut ei bonam mentem instillet, temeritatem auferat, ut quod prudentia sua fortassis praestare nequit, id consilio optimorum et prudentissimorum expediat, et patriis moribus ac institutis administret. Hinc facile est deprehendere discrimen inter bellum, quo temeritate quadam tyrannus parumque idoneus impetitur, et illud barbarorum. Illud enim sine auctoritate principis contra caput legitimum suscipitur; hoc cum auctoritate et voluntate superioris geritur, cum recte administratur; illud contra jus jurandum, contra leges et instituta moresque majorum cum maxima reipublicae perturbatione solet semper fieri; hoc lege naturae in magnam eorum, qui vincuntur, commoditatem, ut a Christianis humanitatem discant, virtutibus assuescant, sana doctrina piisque monitis praeparent animos ad veram religionem libenter amplectendam. Quae omnia quia fieri non possunt nisi accepto imperio, non sine ratione barbari Hispanorum regno parere debent, et recusantes cogi possunt ad justitiam.

Urget Leopoldus strages enumerans et hominum interneciones, quae in isto bello consequuntur, quae non minus in barbarorum causa valere debent, quam inter nos in periculo civilium dissensionum. Immo vero multo minus, reponit Democrates, quanto plus scilicet refert inter justum piumque bellum ac nefarias intestinasque contentiones. Hic enim saepe innocentes injustis poenis plectuntur; illic autem qui superantur et concidunt, justis suppliciis afficiuntur; quod non magnopere debet constantes, fortes ac justos Principes deterrere auctore Augustino [2], cujus haec ad Faustum sunt verba: *Quid enim culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri?*

 In-

1 1. Petr. II.
2 23. q. 1. *Culpatur.*

Instat rursus Leopoldus, in bello justo non solum justam causam, sed bonum etiam animum et rectam gerendi rationem requiri: quod utrumque in hoc desideratur, cum nihil aliud gerentibus sit propositum, quam ut plurimum auri et argenti per fas et nefas lucrifaciant; itaque bellum non nisi cum magna barbarorum injuria et crudelitate administrari, adeo ut res ablatas illis nihilo minus restituere teneantur, quam latrones viatoribus spoliatis.

Hanc calumniam ut amoveat Democrates, recte statuit non in Principem recidere, aut causam ejus deteriorem facere, si quid a praefectis atque praesidibus, quorum fidei ipse sua gubernanda commisit, avare, crudeliter et flagitiose perpetratum est, praeterquam si ipsorum negligentia ac clanculo favore auctores incitentur audacioresque fiant. Si bellum igitur ita geratur, impie geritur et flagitiose, et qui sic gerunt, in eos paene tamquam in latrones ac plagiarios animadvertendum est. Sed nec ab hominibus sic bellum administratum esse didicerat Democrates ex quibusdam commentariis ab se perlectis; nec de moderatione aut scelere militum et praefectorum, sed de conditione belli hujus ad justum Principem justosque duces relati disputatur: quae ejusmodi erat, ut recte, juste ac pie et cum aliqua victricis gentis, sed multo magis cum devictorum barbarorum utilitate geri posse videretur, et, quod caput est, parvo negotio et cum paucorum caede et sanguine confici, praesertim si viri non modo fortes, sed etiam justi et humani praeficerentur.

Necessariam belli gerendi rationem eam esse ait Democrates, ut primo bellum indicatur, hoc est, ut barbari prius admoneantur, ut maximo suo commodo optimis legibus instruantur, humanis moribus ac vera religione imbuantur; ni velint juste ab Hispanis, qui hujus rei causa a suo rege missi fuerint, hostilia perpeti. Si barbari spatium ad deliberandum postulaverint, concedendum est quantum satis superque fuerit ad cogendum publicum concilium et vota conferenda. Si ergo ad hunc modum admoniti imperata fecerint, in fidem recipiendi sunt, et pacis non iniquae pro ipsorum conditione leges dandae, ut, quemadmodum est in [1] Deuteronomio, *sub tributo serviant.* Sin autem neglecta admonitione, vel legatis per temeritatem non admissis, et colloquio pertinaciter recusato, sese

ad

1 Cap. XX.

ad repugnandum paraverint, et bello victi fuerint, et ipsi et ipsorum bona erunt in potestate Principis victoris. Sed cuncta haec bona fide geri debent absque fraude et malitia. Quod si admonitione praetermissa, et negato ad deliberandum spatio, bellum inferatur; cum id praeter jus naturae et justi Principis voluntatem ac praeceptum fiat, erit omnino injustum, nec tam bellum appellari, quam latrocinium debet: itaque ablata cuncta erunt eis, qui per injuriam et in morem latrocinii spoliati fuere, restituenda: quoniam si fuissent admoniti, forte sine armis se suaque omnia in potestatem permisissent, et pax, cujus causa bellum geri oportet, sine bello contigisset.

Sunt et alia, quae pertinent ad rectam belli gerendi rationem, ut nihil cupide fiat scilicet, nihil crudeliter, nihil avare, nihil immoderate. Sed si bellum justa ex causa et auctoritate Principis fuerit susceptum, et hostibus indictum, quamvis per milites sive duces improbos, nec justitiae, sed praedae studente animo geratur, quod non caret turpitudine et culpa, tamen magnis [1] theologis auctoribus, id mentis vitium non facit, ut praedam alioquin ex hoste legitimo partam reddere miles debeat aut praefectus.

His ita constitutis, repetit Democrates, sapientissimis viris auctoribus prudentes, probos et humanos hisce dissimilibus hominibus imperare, justum esse et naturale. Hanc enim causam habuere Romani, ut legitimo justoque imperio plerisque gentibus imperarent, ceu tradit Augustinus variis in locis in opere praestantissimo de *Civitate Dei*: quae Thomas sententiam hanc secutus in libro [2] de *Regimine Principis* collegit. Ut vero superius dicta gravioribus fulciantur rationibus, gentis utriusque mores et naturam conferendos censet Democrates, ex quo disci possit, optimo jure Hispanos istis novi Orbis et insularum adjacentium barbaris imperitare, qui prudentia, ingenio, virtute omni, ac humanitate tam longum superantur ab Hispanis, quam pueri a perfecta aetate hominibus, mulieres a viris, saevi et immanes a mitissimis, prodigiose intemperantes a continentibus et temperatis, denique quam simiae prope dixerim ab hominibus.

Captat hinc occasionem Sepulveda liberius in Hispanorum laudes excurrendi, eorumque fortitudinem, humanitatem, justitiam et re-

1 Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. ad prim.
2 Librum hunc Thomae abjudicant eruditi. V. Echard in *Bibliot. Dominic.*

religionem allatis in medium exemplis, tum veteribus, tum recentibus, pro virili extollendi: quo luculentius appareat, quantum a nostris homines illi stupidissimi corporis animique dotibus superentur. Ad extremum breviter commemorat, quas Deus poenas olim exegerit ab idolorum cultoribus, aliorumque immanium flagitiorum perpetratoribus, ut concludat, magna cum ratione a viris eruditissimis traditum fuisse, satis esse causae, cur jure Christiani paganos punire belloque prosequi possint, si forsitan essent, qui legem naturae non observarent, quam ab idolorum cultoribus in primis violari docent. Nam ii quidem Deum unum, aeternum, optimum, maximum, non agnoscunt et venerantur, ut jubentur lege naturae: quemadmodum duce Deo, et natura magistra, Socrates, Plato, Aristoteles, et plerique alii philosophorum unum esse Deum et maxime colendum agnoverunt. Hinc veluti per transennam, ut ajunt jure consulti, quaestionem de salute ethnicorum pertractat Democrates. Tum ad legem naturae explicandam redit, ut concludat, ejus violatores optimo jure posse a Christianis, si imperium recusarent, debellari propter nefaria scelera, barbariem ac inhumanitatem, in ipsorum videlicet maximum bonum, ut pessimi barbari atque impii humanis ac vere religionis cultoribus obtemperent, horumque monitis ac legibus et consuetudine ad sanitatem, humanitatem pietatemque reducantur. Quod maximum Christianae caritatis officium est. Adde, non leve ad belli justitiam pondus accedere ex eo, quod *eadem opera* (verba sunt Democratis) *magnae injuriae a multis innocentibus hominibus propulsentur, si barbari isti in ditionem redigantur, a quibus constat singulis annis in una regione, quae* Nova Hispania *dicitur, homines nihil tale meritos supra viginti millia in sacris mactari. Itaque excepta una urbe* Mexico, *cujus oppidani postremo pertinacissime repugnarunt, tota illa provincia, quae multo est omni Hispania major, in Christianorum ditionem redacta est, multo minori cum caede, quam ipsi singulis fere annis solebant in suis facere sacrificiis. Has igitur* (concludit Democrates) *maximas injurias propulsare a tot innocentibus hominibus, cum possit, quis neget hoc esse principis optimi et religiosi?.... Quare magna ratione atque optimo jure naturae hujusmodi barbari possunt, si commode id fieri, hoc est, sine magna piorum jactura valeat, armis, sin aliter datur, compelli, ut christianorum imperio subjiciantur, ut a magnis injuriis ac sce-*
le-

leribus prohibeantur , et justis , piis religiosisque monitis , et consuetudine christianorum resipiscant , et ad sanitatem redeant morumque probitatem , et volentes sui commodi salutisque gratia veram religionem accipiant. Ceterum bella in barbaros istos , uti monet Democrates , mansuete et clementer gerenda sunt , nec tam ad punitionem , quam emendationem improborum suscipienda. De justitia autem id genus bellorum minime, inquit, dubitandum , *praesertim accedente Pontificis maximi , qui Christi vices gerit , auctoritate , et justitiae belli hujus declaratione.... Nam ut bella, quae auctore Deo gesta sunt multa , de quibus est in sacris historiis ,* [1] *injusta esse non possunt : sic justa esse putare fas est , quae summi sacerdotis , Dei Christique vicarii , et apostolici senatus consensu et approbatione geruntur , praecipue quae pertinent ad Christi praeceptum evangelicum exsequendum. Quae alia causa est , et quidem justissima , cur bellum jure barbaris istis inferri possit.*

Postquam probavit Democrates , omnes qui extra religionem Christianam vagantur , vel invitos retrahendos , et in viam salutis deducendos , si velimus legi naturae parere ac Christo , qui nos jubet , ut quae nobis volumus a ceteris hominibus fieri , eadem nos eis vicissim faciamus , quam summam idem esse tradit legum divinarum , ad ea respondet argumenta , quae a Leopoldo objiciuntur ex Servatoris nostri et Apostolorum exemplo petita , a quibus nullos legimus ad fidem vel ad evangelium fuisse coactos vel compulsos, sed invitatos dumtaxat. Tum de jure , quo sibi Hispani in Barbaros imperium vindicarunt , paucis disserit. Sicque finis [2] celeberrimae quae-

1 D. August. contra Faustum.

2 Leopoldus quae a Democrate magna verborum ac sententiarum gravitate de justitia belli hujus fuere disputata , in pauca verba contrahit , digna sane, quae huc adducantur: „ Si recte, *inquit* , animo superioris disputationis summam complector, *QUATUOR* „ *CAUSAS* explicuisti , ex quibus singulis bellum ab Hispanis juste barbaris istis „ inferri posse videatur. *PRIMAM* , quod cum sint natura servi , barbari , inculti , „ et inhumani , prudentiorum , potiorum , perfectiorumque imperium recusant , quod „ accipere deberent ad magnas suas commoditates , ut justum est , eo jure naturae, „ quo materia formae , corpus animae , appetitus rationi , animalia bruta et imperfecta perfectis et ratione utentibus , deteriora potioribus debent , ut utrisque bene „ sit , obtemperare : hic est enim ordo naturalis , quem divina et aeterna lex ubi„ que servari jubet. Cujus sententiae auctorem citasti non solum Aristotelem , quo ut „ aliarum moralium virtutum , sic justitiae magistro , et naturae legumque naturalium „ sagacissimo interprete utuntur et philosophi et theologi praestantissimi , sed etiam „ Thomam scholasticorum theologorum facile principem , ejus enarratorem et ae„ mulum in explicandis naturae legibus , quas omnes esse divinas , et ab aeterna le„ ge manare , declaraveras. *ALTERAM* causam attulisti , ut tollantur nefariae li„ bidines , et humanarum epularum portentosa flagitia, quibus plurimum rerum natura „vio-

quaestioni imponitur de justitia belli adversus Indos; in qua quidem judicium nostrum minime interponendum existimamus.

Huic altera succedit, quae non minus quam superior poterat bonorum ac piorum mentes ancipiti versare judicio: Anne propter hoc, quod isti barbari sunt, et natura quasi servi; adde etiam flagitia ac idolorum cultus, debeant agris et urbibus, denique bonis omnibus et civili libertate ab intelligentibus et probis viris spoliari. Quod factum constabat per summam avaritiam et crudelitatem.

Statuit pro certo Democrates, justam fuisse causam, cur quidam istorum libertate ac bonis mulctarentur, non quia essent, uti profecto erant, natura servi, nec quod flagitiose viverent, aut idolis immolarent: nulla enim vitia, nullusve error facit, ut non sit quisque earum rerum verus dominus, quas alioquin sibi juste paravit et possidet: sed ea, quae in promtu est, qua homines etiam boni communiter utuntur, quae jure gentium continetur, ut qui justo bello victi fuerint, ii et ipsi et ipsorum bona victorum fiant et capientium: hinc enim servitus civilis nata est.

Hanc suam assertionem tot tantisque argumentis, tantaque eruditionis copia persequitur Democrates, ut vix quidquam elegan-

„ violatur; neve, quod iram Dei maxime lacessit, daemonia pro Deo colantur, „ idque prodigioso ritu humanas victimas immolandi. *TERTIAM* vero, quae et me „ judice, permagnam vim et pondus habet ad hujus belli justitiam asserendam, ut „ graves injuriae a plurimis innocentibus mortalibus, quos barbari quotannis immolabant, arcerentur; quas injurias a quibusvis hominibus reppellere omnes, si pos„ sunt, lege divina teneri docuisti, jureque naturae. *POSTREMO* posuisti loco: „ ut Christiana religio, qua se aditus ostendit, longe et late convenientibus ratio„ nibus dilataretur, aperta videlicet via praedicatoribus morumque magistris munita, „ atque ita munita, ut non solum ipsi tuto valeant evangelicam doctrinam tradere, „ sed etiam sit popularibus barbaris omnis timor suorum principum ac sacerdotum „ remotus, quo libere et impune liceat persuasis Christianam religionem accipere: „ ad summam quoad fieri possit, impedimentis omnibus ac idolorum cultu sublatis, „ pia scilicet ac justissima Constantini Principis lege in paganos et cultum idolorum „ renovata, quae ut facienda esse, auctore Augustino et Cypriano docuisti, sic fieri „ non posse certum est, nisi barbaris bello aut alia ratione pacatis. Quibus quoque ra„ tionibus explicandis usus es Romanorum exemplo, quorum imperium in ceteras na„ tiones justum et legitimum fuisse, auctoribus Augustino et Thoma confirmasti, id„ que minoribus ex causis accidisse declarasti. Nec summi sacerdotis Christi vicem „ gerentis decretum et auctoritatem huic imperio et bello adhibitam et interpositam „ silentio praetereundam putasti. Cujus quoque belli et imperii justitiam sic asserebas, „ ut tamen omnem belligerandi et imperandi temeritatem, crudelitatem et avaritiam „ plurimum improbares, et horum flagitiorum culpam cum a militibus praefectisve pa„ trantur, ad principes recidere docebas pari Dei judicio damnandos, nisi summa dili„ gentia cunctis rationibus provideant, ne talia scelera ab injustis hominibus admit„ tantur.“ Hucusque Leopoldus.

gantius possit reperiri. Nec id fecisse contentus varias, easque curiosissimas interserit quaestiones, quae maximam huic argumento lucem foenerantur: Num scilicet juri naturali adversetur servitus, cum initio omnes homines liberi nascerentur; num duae leges sive naturales, sive civiles secum pugnantes reperiantur: quae item liceant in hostes bello justo captos: quae ratio ineunda, cum utrique bellum gerentium justam et honestam ejus suscipiendi causam videntur habuisse: quod militibus capiendum consilium, queis bellum justum non esse constiterit: aliaque lectu non minus jucunda quam utilia. Ad extremum probat adversus Leopoldum Democrates, barbaros, qui Christiana religione accepta imperium Principis Hispanorum non recusant, pari juris conditione uti non debere ac Christiani ceteri, et Hispani ipsi, qui sunt ejusdem regis imperio subjecti, quod nihil magis sit contra justitiam, ut vocant, *distributivam*, quam disparibus paria tribuere, et qui dignitate ac virtute et meritis superiores sunt, hos cum inferioribus vel commodis, vel honore, vel paritate juris exaequari. Id tamen principes Hispaniae, eorumque consultores admonendos ducit, ut sic imperium in hos barbaros pacatos constituant, ut nec indulgentia, nec majore libertate, quam pro ipsorum natura et conditione insolescant, et hoc invitamento atque licentia ad pristinum statum et inveteratam vivendi consuetudinem revocandam conspirent; nec rursus tam duro imperio premantur, neve tam serviliter et sine honore tractentur, ut servitutem et indignitatem pertaesi de rebellione cogitent, et jugum excutiendi omnes occasiones observent. Sic equidem imperium temperandum est, ut barbari partim metu, partim vi, partim benevolentia et aequitate animi in officio contineantur, ut nec possint, nec velint res novas in Hispanorum imperium, aut etiam salutem moliri. Hoc enim temperamentum satis virium atque praesidii habere videtur vel ad imperii perpetuitatem: eodemque constat olim Romanos, viros prudentissimos, usos fuisse ad imperium nationum nondum bene pacatarum confirmandum. Nec abhorret utique vel a justitia, vel a religione Christiana barbarorum quibusdam per oppida vel pagos viros probos Hispanos, justos ac prudentes praeficere, praesertim, eos, quorum opera in ditionem redacti fuerunt, qui eos humanis probisque moribus instituendos, et Christiana religione, quae non vi, sed exemplis et persua-

sio-

sione tradenda est, initiandos atque imbuendos erudiendosque curent, simulque ipsorum labore et fortunis alantur juventurque ad usus vitae tum necessarios, tum etiam liberales. Sed vitanda imperandi crudelitas et avaritia, cunctisque rationibus optimo principi providendum, ne barbari illi aut exactionibus intolerandis, aut iniquissima servitute, et assiduis, nec ferendis laboribus excrucientur. *Sic igitur* (verba sunt Sepulvedae, quibus operi suo finem imponit) *ut aliquando perorem, et quae sentio, in pauca conferam, iis malis omnibus occurrendum prospiciendumque censeo, ut nec justis praemiis bene de Rep. meriti fraudentur, et in populos pacatos justum pro ipsorum natura imperium, mite et humanum, ad summam quale Christianos principes decet, exerceatur, non modo in imperantium utilitatem, sed etiam ad subjectorum salutem, ipsorumque naturae et conditioni aptam libertatem accommodatum.*

Ad operis calcem interseruntur sequentes approbationes.

APPROBATIO Fr. DIDACI DE VICTORIA.

Legi hoc opus, in quo nihil inveni a veritate alienum: ideoque opus cum auctore non solum commendo, sed etiam admiror.

FR. DIDACUS DE VICTORIA.

APPROBATIO DE MOSCOSO.

Et ego legi hoc opus, in quo nihil inveni, quod meo judicio probabilitate careat: immo quae hic ex sacris litteris et sacris doctoribus adducuntur, ita suadent hujus doctoris intentum, ut nullus, quamvis protervus, oppositum audeat affirmare.

MOSCOSO.

Atque haec sunt, quae ex celebri illo *de justis belli causis dialogo* a multis memorato, sed quam paucissimis [1] noto, deliba-

1 Nos duo vidimus hujus dialogi exemplaria MS. alterum in selectissima, ac omni librorum genere instructissima bibliotheca viri non sine laude memorandi, Emmanuelis de Roda et Arrieta Carolo III. Hisp. Regi ab epistolis in omnibus *gratiae justitiae*que negotiis, et consilii sanctioris senatore; alterum penes Franciscum Perezium Bajerum, primarium in Ecclesia Valentina Archidiaconum, et celsissimorum principum praeceptorem: ex quibus quam emendatissimum exemplar nobis comparavimus.

bare nobis est visum, quo ejus doctrinae gustum aliquem lectoribus praeberemus, simulque Sepulvedam a nota, quam nomini ejus plerique parum aeque inussere, liberaremus, dum eum tamquam pessimum ac sanguinarium Theologum impetere non dubitarunt, cum potius summam in hoc opere doctrinam e sanctis Patribus, Conciliis atque ex omni antiquitate petitam, simul auctoris pietatem christiano homine dignam passim liceat admirari. [1] Varia hic Sepulvedae libellus expertus est fata etiam apud nostrates, statim ac ex ejus manibus evolavit. Sed de his inferius erit disserendi locus. Nunc ad reliqua pergamus.

Anno 1548 Parisiis [2] excusi sunt apud Vascosanum Aristotelis [3] *de Republica libri VIII. interprete et enarratore Jo. Genesio Sepulveda Cordubensi*, qui in praefatione ad Philippum Hispaniarum Principem rationem reddit suae interpretationis. Cum enim tam praeclarum opus versione latina, quae quidem nominari mereretur, ad eum usque diem caruerit, multique non sine magna causa commodiorem aliam desiderarent, conatus est noster, siquid aptius hac in parte sua cura et opera posset efficere, quod ad publicam studiosorum utilitatem pertineret; idque multis viris gravibus et philosophiae studiosis cohortantibus propter summam, quam de Sepulvedae studiis conceperant, opinionem ex nonnullis ejusdem philosophi libris, quos Bononiae Romaeque latinitate donatos in lucem emiserat. Itaque nactus aliquando non nihil laxamenti a studiis gravioribus ac necessariis occupationibus Aristotelis de Republica libros non solùm e graeco in latinum sermonem veterum et castigatorum exemplarium fidem secutus convertit, sed eorum impeditissima quaeque loca brevibus scholiis expedienda enarrandaque curavit. In eo Sepulveda id sibi consilii propositum fuisse ait, non ut sententias solum more paraphrasis exprimeret, sed ut verba etiam, quantum ratio latini sermonis ferret, sectaretur; in quo Ciceronem est imitatus, qui puerile existimat, res, de quibus philosophi

1 Meminit hujus dialogi, ejusque doctrinam acerrime tutatus est auctor plurimis in locis suorum operum, quae supervacuum esset hic transcribere. Aliqua tamen indicabimus, cum de libri fatis disseremus.

2 In privilegii sententia affixa primae pagellae parti aversae legitur *Datum Lutetiae XII. Kal. Mart.* 1548.

3 Libr. VIII. *de Rep.* interprete Sepulveda editi sunt etiam Coloniae Agrippinae in officina Birckmanica an. 1601. 4.° adjectis Kiriaci Strozae *de Rep.* libris duobus, videlicet IX. et X. Graece conscriptis, et ab eodem Stroza latinitati donatis. Demum Matriti Graece et Latine apud Joach. Ibarram typographum elegantissimum, an. 1775. fol.

phi disserunt, ornate velle dicere; docti autem et intelligentis viri, plane et perspicue eas expedire posse. Nam qui Aristotelica interpretantes de verborum ornatu magis quam de rebus soliciti praeposteram alieno loco eloquentiae laudem ridicule affectant, propria interdum vocabula ineptis circuitionibus explicantes, nihil aliud quam philosophiae venerandam formam et quasi faciem fuco et calamistris misere deturpant; quorum esset tolerabilior ineptitudo, si hoc faceret salvis ejus, quem interpretantur philosophi sententiis, nec eas passim pudendis lapsibus depravarent, ut quosdam fecisse asseverat ipse Sepulveda, *quorum errores*, inquit, *dicato etiam* [1] *libello taxavimus*. Nobis hujusmodi librum videre nusquam contigit.

Postremo nos docet Sepulveda sibi jam de horum de Republica librorum editione cogitanti nuntiatum esse duas novas interpretationes prodiisse a viris emissas, qui se tum disertos et utraque lingua periros, tum in philosophia exercitatos esse profiterentur, quapropter coepisse diligenter latina cum graecis conferre, ut de illorum interpretum diligentia et virtutibus judicaret. Sed tantum abfuit ut ab editione suarum lucubrationum deterreretur, ut fuerint [2] potiùs nostro ad edendum magno incitamento, cum pleraque loca a Sepulveda illustrata expeditaque fuerint, in quibus novi interpretes videntes offenderunt, id quod ex ipsis interpretationibus, ad graecam Aristotelis quasi libram examinatis, liquido apparet.

Quanti labor hic Sepulvedae justis rerum aestimatoribus sit habitus, ostendunt crebra, quibuscum ornarunt, elogia. Obertus Giphanius, cujus in graecis litteris atque omnigena eruditione magnum apud eruditos est nomen, in prolegomenis ad suos in hos Aristotelis libros commentarios, postquam eorum interpretum atque explanatorum seriem attexuit, subjungit: [3] *Ex quibus optima versio mihi videtur esse Sepulvedae.* [4] *Quam versionem et notas*, ait Gabriel Naudaeus *in Bibliographia politica*, *ut quisque erit ingeniosior*

1 Citant hunc libellum varii scriptores, eumque adversus Petrum Alcyonum scriptum asserunt.

2 Idem auctor in epistola ad Simonem Colinaeum (XXVIII. edit. Colon.) qua petit ab eo ut libros hosce de Republ. typis excudat, nihil se deterritum ait occupata a novis interpretibus editione, quorum utriusque magnam negligentiam, vel caecitatem potius, deprehendisset.

3 Vid. edit. Matrit. ann. 1775. pag. XXIV.

4 Paulo inferius vocat idem Giphanius *optimas Sepulvedae explanationes*.

sior, ita pluris semper aestimabit. Daniel Heinsius in editione Reipublicae Aristotelis graece latineque a se adornata ex versione Sepulvedae *viri*, uti eum vocat, *extra controversiam eruditissimi*, corrivavit ea operis capita, quae deerant in versione, qua usus est Giphanius.

Petrus vero Daniel Huetius [1] praeclarum Galliae decus in libello *de claris interpretibus* Hispanos enarrans, *inter quos*, inquit, *Jo. Genesius Sepulveda cum castigatam, quam commendamus, interpretationum fidelitatem repudiare se declarasset, aditum sibi ad hujus artis perfectionem obstruxit.* Quibus verbis dum fidi interpretis gloriam Sepulvedae praesul amplissimus tribuit; elegantiae ac puri sermonis laudem ei denegat. Nescio tamen, an multos habiturus sit suae sententiae suffragatores Huetius. Quis enim tam fatuus poterit reperiri, qui ab Alexandri Aphrodisiei, aut ab Aristotelis interprete praesertim in philosophicis Ciceronianam exigat eloquentiam? Magni referet Graecos rhetores aut historicos latine quis reddat, quorum est ut splendida et ornata oratio, sic verbis popularibus composita, perspicua et simplex, et ad popularem sensum accomodata; an philosophos, praesertim Aristotelem, qui licet virili quadam elegantia et eloquentia excellat, tamen quia res tractat obscuras et vulgo ignotas, verbis uti solet saepenumero novis, et aliis inusitatis: adde affectatam obscuritatem et dubias orationes ex industria factas, quae in varios sensus trahi possint. Quae difficultates faciunt, ut saepe interpres non possit Aristotelicus esse et idem Ciceronianus. Quare inepte is faceret, qui majorem in latina versione elegantiam adhiberet, quam sit in graeco exemplari; satis muneri suo satisfaciet, si in hoc scribendi genere plana et perspicua, quantum res patitur, oratione utatur.

Quamvis igitur Sepulvedam inter optimos interpretes reponere non dubitemus, negare tamen non possumus, editionem Politicorum Parisiensem, atque ex ea expressam Coloniensem ann. 1602. tot tantisque mendis foedatam e prelo exiisse non interpre-

1 Mirari subit, tam rerum nostrarum ignaros se producere nonnullos exteros, cum de iis etiam ex instituto agere sibi proponunt. Quatuor tantum ex Hispania interpretes memorat Huetius (de Clar. interpret. pag. 178, edit. Paris. ann. 1680.) Jo. Genesium Sepulvedam, Andream Lacunam, Martinum Morentinum, et Gonsalum Poncium Legionensem. Quibus addere potuisset Jo. Ludovicum Vivem, Petrum Joannem Nunnesium, Joannem et Franciscum Vergaras fratres, Vincentium Marinerium, et sexcentos alios, si Andreae Schotti Bibliothecam consulere voluisset.

pretis, sed typographorum seu incuria seu ignorantia, ut mirari jam non subeat, Huetium atque nonnullos alios non omnino de ea bene sensisse. Quare Sepulveda ipse Valdolito Kal. Aug. ann. 1549 litteras [1] dedit ad Vascosanum, in quibus eum admonuit menda, quae non pauca libros de *Republ.* percurrendo offenderat, magna a se diligentia notata, quo posset opus ab iis perpurgari. Nobis vero exemplar nancisci contigit editionis Parisiensis Vascosani, in qua plures conspicere licet emendationes in suam versionem, et additiones in scholia, alias ipsius auctoris manu appictas, alias alterius ex scriptoribus, quibus usus est Sepulveda in describendis Caroli V historiae codicibus, qui hodiedum in Academiae nostrae bibliotheca asservantur. In fronte hujus exemplaris scriptum reperimus manu, ut nobis quidem videtur, Andreae Gonzalii Barciae, Regii quondam Consilii Senatoris, viri scriptis notissimi, *Paratum ab ipso auctore ad aliam editionem videtur*. Sed cum neque in editione Coloniensi, neque in Matritensi hujusmodi emendationes ac additiones insertae sint, neque a Vascosano, quod sciamus, in lucem editae; operae nos praetium facturos existimavimus, si eas nunc omnes post hunc commentarium sub unum conspectum exhiberemus, digitum ad loca intendentes, ubi erunt inserendae, siquando Sepulvedae versionem typis iterum tradi contigerit. Ut vero omnem lectoribus molestiam eximamus, paginas ac lineas utriusque editionis Parisiensis ac Matritensis accuratissime designabimus.

Sed jam tempus nos vocat ad enarranda *Dialogi de justis belli causis* fata, quem multis non arrisisse notum est apud omnes. Inter eos autem, qui libellum stilo confodere ausi sunt, praecipue nominandus venit Melchior Canus Dominicanae familiae decus singulare, vir suo saeculo doctissimus magnaeque auctoritatis, sed qui nimia sui admiratione correptus aliorum laudes nominisque celebritatem invidis oculis, prout nonnulli quidem existimabant, cerneret. Itaque Sepulvedam, qui in omni litterarum genere regnum tunc temporis apud Hispanos obtinere quibusdam censebatur, quasi per occultos cuniculos oppugnare aggressus est. Rem late noster explicat in epistola ab eo ex suis hibernis Cordubensibus ad Canum transmissa postridie brumae (i. e. XI. Kal. Jan.) anni M.D. XLVIII. quae quidem epistola adservatur in Re-

[1] Epist. LXXV. edit. Colon.

Regiae hujus Academiae bibliotheca, et a nobis suo loco in lucem proferetur.

Canus, igitur, quocum nuper Sepulveda forte, cum in hiberna Cordubensia, ut quotannis facere consueverat, excurreret, Salmanticae amicitiam contraxerat, ac quaestionem illam tantopere exagitatam de justis belli causis communicaverat, inter adolescentes auditores suos jactasse dicebatur, quaedam se in laudato libro errata deprehendisse, quae pias aures offenderent; id vero praecipue, quod Genesius de Paulo Apostolo litteris mandarit, ipsum significans miserias et calamitates, quas ut Christo fidem et officium praestaret, subivit, invito et impatienti animo pertulisse. Sepulveda, qui nihil antiquius in scriptis suis videtur habuisse, quam ut religiosam quamdam modestiam animique candorem ostenderet, tam gravem sibi injuriam infligi minime ferens, suspicatus quoque Cano auctore libellum de bello barbarico ab Academia Salmanticensi non aequis judiciis fuisse exceptum, calamum strinxit haud segniter in adversarium validissimum. Moverat certe nostro bilem, quod Canus fraternae correctionis a Servatore indictae, ut ipse conjicit, oblitus rumores in eum inter suos discipulos sereret: *Quare*, inquit, *si tu, qui librum perlegeras, lynceis oculis praeter ceteros aliquid videras, quod censura dignum videretur, officii tui erat ac pietatis, ut me praesens praesentem admoneres, ne salebram tibi uni animadversam, ad quam ceteri meo periculo possent offendere, maligne me celasse videreris.* Itaque primum inficiatur in toto opere reperiri convicium illud in Paulum, quod sibi crimini vertebatur. Nam vetusto doctorum et modestorum hominum more librum suum eruditorum theologorum judicio subjiciendum curaverat, non ambitiosa falsae laudis cupiditate, sed ut justa censura, si quid esset minus scienter positum, ante editionem emendaretur. Quod cum et Compluti et Salmanticae in conventu theologorum palam fuisset professus, nemo tamen fuit, qui excepta causa belli barbarici in eo libro quidquam improbaret, multi qui multa laudarent: ipsaque Salmanticensis Academia libri doctrinam et auctorem extra causam superius explicatam suo testimonio, quod ad Regium Consilium miserat, laudavit. Deinde candide fatetur Sepulveda, fuisse quemdam Complutensem doctorem, cui minime probaretur nostro scriptum, Paulum *iniquo animo* contumeliam tulisse: cui quamquam, vi nominis exposita, et latina politiorum consuetudine de-

cla-

clarata, facile se ipse purgavit, tamen pro *iniquo animo*, ut omnis scrupulus tolleretur, *aegre* reposuit, *ne quem fratrum scandalizaret.*

His praemissis Sepulveda, ut adversus Canum evinceret, nihil sibi excidisse, quod a singulari Pauli pietate et religioso animo discreparet, non minus eruditam, quam acrem attexuit disputationem, quam sic concludit: *Mea igitur oratio litterarii sensus scripturae sanctae plana et aperta, jurique naturae conveniens explicatio est, ac hujusmodi, ut nec a veritate catholica dissonet, nec ab apostolica patientia et calamitatum tolerantia. Non enim si Paulum unam contumeliam, cum oportuit, convicio repressisse, cum Luca referimus: idcirco eumdem propter Christum patientissime multos labores subivisse, plurimas injurias tolerasse negamus.* Quibus haec notatu digna statim subjungit: *Quod cum ita sit, mirari satis non possum, quae te ratio impulerit, ut tam alieno loco mihi palinodiam intentares. Nam si hoc serio facis, magnum est caecitatis argumentum; sin autem territandi causa, ne in eo quidem multum vidisti: si hoc, inquam, moliebaris, ut majus periculum denuntiando, oblivisci me cogeres injuriae damnati libelli (si tamen injuria vocanda est) ut multis gravissimis et doctissimis theologis utar, quorum in primis sunt Castrus monachus, et Honcala canonicus Abulensis, et Alvarus Moscosus, qui palam non voce tantum, sed etiam scripto, meo libro in causa belli barbarici, quod caput est, suffragantur: quos ego tres viros primarios theologos haud equidem dubitem turbae quamlibet magnae minutorum theologorum opponere, si ponderandae sint, non numerandae sententiae. Sed haec controversia propediem, ut spero, incorrupti, et gravissimi tribunalis judicio dirimetur. Ut igitur redeam ad ingeniosam tuam molitionem, erras, mi Cane, et rationem meorum studiorum ignoras, si me tali ludibrio opportunum esse judicasti, qui maximam aetatis partem in gravissimis theologiae ac philosophiae studiis consumsi.*

Hucusque Sepulveda: cujus verba, licet longiora, huc adducere e re esse duximus, ut appareat, quam atrocem in eum accusationem Canus intentasse visus sit, forte ea, qua apud Ferdinandum Valdesium, summum fidei vindicem, plurimum valebat auctoritate. Quam accusationem ut amplius Sepulveda retunderet, ac adversario os obstrueret, sua commemorat studia, tum in theologia, tum in philosophia ac ceteris disciplinis libros ab se sive e propria penu de-

depromtos, sive e graeco in latinum versos, Romanas disputationes, quibus triennium et eo amplius, Clemente Pontifice spectante ac inter et post prandia sobria, supra quam credi potest intento animo audiente, perutiliter se exercuit, cum eis interessent theologi et philosophi illa aetate doctissimi: cujus loci majestas, et praestans concertantium doctrina neminem in studiis socordem aut negligentem esse patiebatur. Demum postquam clarorum virorum de suis lucubrationibus judicia subjunxisset, rursus in Canum insurgit: *Tu*, inquit, *si quem opportuniorem injuriae nactus eris ignorantiae, vel alterius mali conscientia profligatum, hunc poteris vana ista periculi denuntiatione, si tuis ita rationibus conveniat, territare: ego quid scribam, intelligo; nec mihi sum mali cujuspiam conscius, quominus possim hujusmodi calumnias contemnere......* et paulo post: *Tantum igitur abest, ut sine causa metuendum putem, ut fore potius sperem, ut si quod mihi anceps verbum, aut dictum exciderit, hoc in meliorem partem ab aequis judicibus accipiatur, atque ipsis in primis impietatis haereticae vindicibus; horum enim mihi severitatem videris intentare: quos ego quidem singulariter colo, non tamen metu, sed benevolentia, quippe utilissime in catholici gregis custodiam excubantes: non enim sunt timori boni operis, sed mali, ut ait Paulus.*

Accepta hac epistola, Canus Salmantica VIII. Kal. Febr. brevem aliam ad nostrum transmisit, qua se excusat, quominus per occupationes suas tam facundae copiosaeque ejus expostulationi liceret satisfacere: *Nam*, ut ipsemet ait, *etsi aliis scribere soleo vel occupatus, tibi vix audeo vel otiosus. Scio enim quam sint et docta et elaborata quaecumque scribis.* Quare interim enixis ab eo precibus petit, ut opinionem, quam falsis ad eum rumoribus delatam semel induisset, tantisper exueret, donec alter nuntius occurreret, qui secundam epistolam posset deferre. Sextum tandem post mensem, quam responsurum se Canus promiserat, ad priorem Sepulvedae querimoniam longam scripsit epistolam, qua viri expostulationibus et argumentis per singula capita conatur satisfacere. Principio quidem Sepulvedae exprobrat, quod levi quodam rumore permotus proximum suum indicta causa damnarit, cum de eo honorifice semper senserit, nullumque sibi verbum exciderit de editione libri *de justis belli causis*, quod in deteriorem partem posset detorqueri, nisi quod minus ex usu evangelicae pietatis futura videbatur.

Nam

Nam eorum, inquit, *quae haec Academia in tui commendationem ad curiam misit, ego ipse si non magna, at saltim pars ulla fui: tantum abest, ut tibi detraxerim.*

Fatetur deinde Canus se ad eumdem lapidem, quo doctor ille Complutensis, nonnihil impegisse, ubi Sepulveda scripserat Paulum Apostolum contumeliam, quam pro Christo patiebatur, iniquo animo tulisse, et judici fecisse convicium: sed nusquam inter auditores suos id, aut quidquam aliud jactasse; significasse tamen uni aut alteri, quem virum gravem existimabat, hujusmodi sermonem sibi displicuisse, non quod impium atque adeo ultricibus flammis dignum censeret, sed quod minime conveniret homini paratissimo injurias et mortem ferre. Hinc probare aggreditur, *iniquum* non recte interpretari *iratum*, convicium vero semper cum injuria esse conjunctum, sive vocis originem spectes, sive ejus usum, sive apud politiores latinae linguae auctores, sive apud sanctos Ecclesiae Patres. Denique cetera Genesii epistolae capita percurrit Canus, sed, ut verum fateamur, potuisset majori uti gravitate, animique moderatione, prout tantum virum decebat.

Jam vero etsi nihil amplius addi posse videbatur iis, quae Genesius priori sua Epistola ad Canum pro se ab hujus viri religiosi criminationibus vindicandi gratia adduxit; tamen adeo multa congessit noster in alia ad eumdem epistola Vallisoleti Idibus Julii elucubrata, ut mirari satis non possimus inexhaustam auctoris eruditionem, summam argumentorum copiam, et in disputando ingenii vim atque sollertiam. Sed quoniam hac de re superius egimus, satis, ni fallimur, accurate, nolumus crambe repetita fastidium parere lectoribus.

Ad judicia quod attinet celebrium Academiarum Salmantinae ac Complutensis de libro *de justis belli causis*, Sepulveda nos edocet principio quidem aequa fuisse: *Postea vero* (verba sunt auctoris) *cum jam omnis machinationis architectus*, nempe Bartholomaeus Casas, *adesset, et doctorum animos callidissime pertractasset, qui hujus rei gratia de longinquo quasi furiis agitatus advolaverat, idem tuus amicus majoribus spiritibus sumtis, cum disputatione repetita Augustini testimonio a me acrius urgeretur:* Perstabo, *inquit*, in sententia etiam si aliter sentiat Augustinus. *Atque haec quidem Compluti.* Salmanticae vero quid gestum fuerit inter se et Canum praesente viro gravissimo et doctissimo Didaco Neila, canonico Salmanticensi, communi utriusque amico, comme-

memorat ipse Sepulveda; quae legisse non poenitebit. Quibus rebus adductus pronuntiare non dubitat perperam fuisse contra suum libellum judicatum. Primum quia Sepulvedae sententia Evangelio, sanctorumque Patrum ac Romanorum Pontificum placitis fulciretur. Deinde quia quae ab adversariis objiciebantur, merae erant haereticorum cavillationes ac strophae, quibus illi adversus piam ac justissimam vim ab Ecclesia haereticis et paganis illatam utebantur: *Tum*, inquit, *quia nemo, qui vel ante vel post mirificum vestrum judicium me de iis rebus disputantem audierit, aut summam quaestionis a me confectam perlegerit, meam sententiam non probabit.* Theologis libelli laudatoribus, quos superiori epistola commemoravit, nempe Castrum, Moscosum et Honcalam, adjungit Valdolitenses omnes omnium ordinum theologos, uno, aut altero quos in verba magistri jurasse ait, exceptis [1]; Toletanos item, Cordubenses et Hispalenses; ex Dominicanorum sodalitio Petrum Sotum, Alfonsum Ferreram, Diecum Victoriam, Petrum Petrochiensem, et Augustinum Sbaroyam, Martinum Mendozam, Michaëlem Arcum, et Dominicum Sancta-Crucium; ex Franciscanis Ludovicum Carvajalum, Joannem Aegidium, et Petrum Ortisium. Ex juris pontificii peritis nemo unus fuit, qui causa cognita et rationibus perspectis auctoris sententiam non probarit. Ceterum Valdesii testimonium, viri doctrina et auctoritate summi, aliis longe eminet: hic enim, ut fertur, in gravissimorum et doctissimorum virorum consessu, cum opus impugnari aegre ferret: *Profecto*, inquit, *multo ex officio facerent, qui editionem hujus libri impediunt, si darent magis operam, ut grandioribus litteris excusus ex pulpitis per omnem Hispaniam praedicaretur.*

Postquam serio ad Cani argumenta respondit Sepulveda, ne fungo videatur aut lapide stupidior, verbum addit de salibus, quibus eum Canus perfricuerat. Ad extremum sancte affirmat non haec calumniandi animo, sed asserendae veritatis gratia conscripta. Interea temperare nobis non possumus, quin extrema aurae hujus epistolae verba in medium proferamus, ex quibus Sepulvedae modestiam animique moderationem licet agnoscere: „Quod „igitur laesus sum, nec tibi, nec omnium cuiquam succenseo, „uno excepto turbae omnis auctore et architecto (Bartholomaeo „Ca-

[1] Lib. I. De Orbe novo XIII. pag. 13.

„ Casa), qui militum Hispanorum crudelitatem et avaritiam in bello „ barbarico per summum artificium, quod unum dies et noctes „ meditatur, exagerando, sic illorum odio quorumdam animos oc- „ cupavit, ut in publica Principis et nationis causa veritatis ac ju- „ stitiae lumen aspicere non sineret. Sed ne ipsum quidem aucto- „ rem odi, qui forsitan meliore animo quam consilio ductus est; „ quamquam in eo seditiose facta, et sinistros in me satos per inju- „ riam sermones probare non possum, pro quibus tamen ei mali „ nihil cupio, sed potius Deum precor, ut ipsi meliorem men- „ tem praebeat, quo discat aliquando quietas cogitationes turbu- „ lentis consiliis anteferre." Atque haec de Cani et Sepulvedae concertatione, cui enarrandae plus fortasse temporis, quam oportebat, impendimus.

Ad alterum veniamus Sepulvedae adversarium, Antonium nempe Ramirum, Episcopum Segoviensem, qui elucubratam abs se de bello barbarico adversus librum de *justis belli causis* commentationem misit ad auctorem nostrum Cordubae commorantem anno, uti licet conjicere, M. D. XLIX. Hinc occasionem arripuit Sepulveda scribendae celeberrimae illius [1] *Apologiae* pro libro superius laudato, quam VII. Kal. Sept. ad juris utriusque ac totius antiquitatis inter paucos

ca

1 Haec est Apologia illa, quam cum *Democrate secundo*, sive *Dialogo de justis belli causis adversus Indos*, quem paulo ante quam latissime descripsimus, plerique omnes perperam confundunt, quos enumerare longum esset et importunum. Arnoldus Mylius Arn. F. sic lectorem affatur pag. 422. editionis operum Sepulvedae Coloniensis: *Scripsit Genesius Sepulveda dialogum alterum* de justis belli causis, *quæ inscripsit* Democrates secundus, *in quo istam quaestionem potissimum explicavit*: An liceat bello Indos prosequi, auferendo ab eis dominia possessionesque, et bona temporalia, & occidendo eos si resistentiam apposuerint, ut sic spoliati et subjecti, facilius per praedicatores suadeatur eis fides. *De qua controversia quia tunc gravissimae erant doctorum disputationes, latuit ad tempus liber inter privatos, donec vicit eorum sententia qui publicandum existimabant. Editus igitur est Romae curante Antonio Augustino sacri Palatij auditore, sed cum inter Italos maximè et Hispanos ista controversia ageretur, et pauca admodum exemplaria excusa essent, ad exteros non peruerint, adeoque in ipsis Hispanorum manibus intercidit. Damus ergo istius libri apologiam, qua libellum suum contra oppugnantium rationes defendit. Fruere Lector, et si per te editi libelli exemplum habere licuerit, devinces nos tibi memoria beneficii sempiterna. Coloniae Ubiorum*: Videtur dormitasse Mylius, cum haec scripsit: nam si attente legisset Ant. Augustini Epistolas, quae Apologiam, quam eo loci abs se edita est, comitatur in priori editione, et inter auctoris epistolas legitur in eadem editione Coloniensi pag. 225. abs dubio didicisset, libellum ab Ant. Augustino Romae editum non fuisse *Democratem secundum*, sed hanc ipsam *pro libro de justis belli causis Apologiam*, quae in Coloniensi operum Genesii collectione occupat a pag. 423. ad 445. Post Mylii praefationem antea allatam leguntur Alvari Gometii verba quaedam proxime inter *judicia* a nobis collocanda.

callentissimum Antonium Augustinum una cum eleganti ac modesta epistola, [1] qua viri docti aliorumque judicium exquirebat, quam hic apponere non gravabimur.

[2] *Jure*, inquit, *an injuria barbari, quos Indos vocant, pagani idolorumque cultores in Christianorum Hispanorum ditionem redacti sint, rediganturque, ut sublato idolorum cultu, paratioribus animis praedicationem evangelicam audire cogantur, dubitatum est a nostrorum doctis quibusdam hominibus, et non sine contentione in utramque partem disputatum. Quam ego controversiam dirimere cupiens, quaestionem dicato libello accuratius sum persecutus, et quid sentirem testatus; recte an secus, maxime vellem tuo tuiqui similium eruditorum virorum, qui Romam ex omni orbe Christiano confluere solent, gravissimo judicio declarari. Causa pergravis est, nec indigna, quae talium virorum sapientia et auctoritate dijudicetur. Pertinet enim ad universalem Ecclesiam, et justam rationem gentes paganas ad Christi fidem inducendi. Cujus quaestionis summam in morem scholasticum rationibus utriusque partis explicatis redactam tibi mitto. Erit igitur humanitatis officiique tui, ut primum per te causam collatis rationibus pro tua singulari eruditione diligenter consideres, deinde viros aliquos, quorum tibi gravitas, et doctrina, judiciumque maxime probetur, tum theologos, tum juris pontificii peritos adhibeas, praesertim ex vestro Rotae collegio, cujus est in toto orbe Christiano auctoritas gravissima, ut sententiis communicatis, quid hac in causa verum justumque sit, et num libellus edendus esse videatur, constituatis, ut ego vestram auctoritatem secutus libellum vel vanum et inutilem, si vobis ita visum fuerit, supprimam, vel incunctanter primo quoque tempore emittendum curem, si eisdem vobis, ut spero, ad publicum commodum, et declarandam in re gravissima veritatem pertinere judicabitur. Vale. Ex Valdolito VII. Kal. Sept.* 1549.

Respondit Augustinus, summam quaestionis de bello Indico perdocte perque eleganter disputatam cum viris et in Jure et in Theologia consultis a se communicatam, dignamque habitam quae in publicam lucem prodiret. Sed praestat ipsum Augustinum loquentem audire:

3 *Summam illius quaestionis de bello Indico, quae a te in libro de*

1 Epist. LXXII. edit. Salmant.
2 Pag. 177 b. edit. Salmant.
3 Pag. 178. edit. Salmant. epist. 73.

de justis belli causis pluribus verbis perdocte perque eleganter disputatur, cum optimo antistite Philippo Archinto P. M. vicario, et cum religiosissimo viro Aegidio Foscarario sacri palatii Magistro, atque aliis gravissimis et doctissimis theologis ac jureconsultis communicavi, sic enim mihi per litteras mandaveras. Omnes singularem in omni genere litterarum eruditionem, et acre ingenium tuum semper admirati sumus atque coluimus. Haec etiam nobis quaestio digna visa est, quae in omnium hominum theatro tractaretur: res enim maxima est, et ad plurimos homines nostrae nationis ac gentis pertinet, neque est a republica Christiana aliena. Itaque libellum ipsum pluribus exemplis describi edique permissimus, te fortasse non invito, qui quamvis haec non eo animo scripseris, ut in vulgus manarent, tamen comprimi ea abs te et abscondi oportuerat, si non te digna evolatura fuisse putaveras. Tu nos ama, et vale. Roma Kal. April. 1550.

Itaque Antonio Augustino aliisque viris doctissimis annitentibus excusa est *Apologia pro libro de justis belli causis ad amplissimum et doctissimum D. Ant. Ramirum episcopum Segoviensem.* Ad cujus calcem legitur in primaeva editione: „Hoc opus, judicio do„ctisimorum et gravissimorum dominorum Philippi Archinti san„ctissimi domini nostrae Papae Vicarii, et Aegidii magistri sacri pa„latii, ac Antonii Augustini auditoris Rotae examinatum et appro„batum, et multorum aliorum eruditissimorum virorum consensu „in Urbe commendatum, impressum fuit Romae apud Valerium „Doricum et Ludovicum fratres Brixienses prima Maji anno M. „D. L. 8.º “ [1]

Nunc videamus quid in hoc ingenii sui monumento praestiterit Sepulveda. Statim a principio miratur Genesius quae causa praesulem amplissimum impulisset, ut elucubrato libello suam de bello barbarico sententiam oppugnare animum induceret hominis publicam et honestissimam nostrae nationis et principis causam adversus quorumdam pertinaciam apertissimis et gravissimis divinarum Scripturarum et sacrorum Doctorum testimoniis, et firmissimo rationum praesidio et Ecclesiae defendentis. Non enim adduci poterat, ut crederet virum prudentem et antistitem gravissimum ambitioni servisse, ut ingenium tam alieno loco et doctrinam ostenta-

1 Omissa sunt haec verba in editione Coloniensi.

taret, *praesertim*, inquit, *cum parum aut nibil de tuo afferas, sed pleraque omnia aliena, nec satis tua singulari eruditione digna, et ab iis sumta, qui calumniis et strophis parum vel prudenter vel modeste, ne quid gravius dicam, in mea sententia honestissimam reipublicae ac regum nostrorum causam oppugnant.* Sed propius ad quaestionem deveniendo proponit noster non adversarii solum argumenta, sed quae sibi vel Compluti vel Salmanticae fuerant objecta, et interjectis more scholastico suarum rationum fundamentis et confirmationibus, ad singula respondet, refellitque hominum maledicorum calumnias. Ceterum prius quam id faciat, deponendam adversario falsam persuasionem denuntiat, si forte putabat Salmanticensem aut Complutensem Academiam contra suum libellum judicasse, non enim universitatis, si nostro credimus, illud judicium fuit, sed duorum aut trium utrobique praestigiae, quorum ceteri auctoritatem propter doctrinae majorem opinionem proprio judicio praetulerunt.

Ramirus ut hostem fingeret, quem feriret, sic disputationem fuerat exorsus: *Quaestio est, an liceat bello Indos prosequi auferendo ab eis dominia possessionesque et bona temporalia, et occidendo eos, si resistentiam opposuerint, ut sic spoliati et subjecti facilius per praedicatores suadeatur iis fides.* Hic primo jam in limine adversarium impingere monet Sepulveda eorum artibus circumventum, qui ut librum impugnarent infirmitati suae diffidentes praesidium petebant a falsis calumniis, et quas injurias et impia latrocinia acerrime noster insectatur, harum eum patrocinium suscepisse mentiebantur, ut ei facerent invidiam, sibi vero conciliarent favorem popularem, nisi forte librum ipsum, quem impugnandum suscepissent, vel non legerant, vel lectum propter characteris paulo cultioris insolentiam non intellexerant. Quare sancte affirmat suam sententiam esse, hos barbaros non possessionibus et facultatibus spoliandos nec in servitutem redigendos, sed Christianorum imperio subjiciendos, ne fidem aut ejus propagationem impediant, praedicatoribus obsistendo, et Deum per idolatriam blasphemando, et ob alias ipsorum utilitates: ac proinde quaestionem ad hunc modum statuendam: *Quaeritur utrum barbari, quos Indos vocant, Christianorum Hispanorum imperio jure subjiciantur, ut barbaris moribus et cultu idolorum ac impiis ritibus sublatis ad accipiendam Christianam religionem ipsorum animi praeparentur.*

Quae-

Quaestione sic in clara luce collocata; ut adversario omnis tergiversandi ansa tollatur, eorum argumenta proponit Sepulveda, qui negabant bellum hoc jure a nostris confici. Probare deinde nititur multis rationibus ac testimoniis concessum esse Christianis bello persequi idolorum cultores. Docet contra quam alii sentiebant, necessarium, nedum prorsus inutile esse, antequam bellum pararetur, missis legatis admoneri barbaros, ut ab idolorum cultu desisterent, et Christianae religionis praedicatores publice admitterent, ut si postulatis adquiescerent, ipsorum animarum saluti citra bellum consuleretur; sin autem haec ab ipsis impetrari non possent, tunc justis armis debellati imperata facere compellerentur. His magno ingenii acumine probare conatus ad argumenta adversariorum justitiam belli barbarici constanti animo negantium progreditur. Tum haec subjungit digna, quae hic legantur, ut pium auctoris animum hinc quisque possit agnoscere: „Quod vero pertinet ad editionem libri, in quo „ belli faciendi justitia et ratio, et quid jure, quid injuria fiat, de„ claratur, et crudeliter atque avare facta vituperantur, si quis miles „ aut praefectus per occasionem libri se peccasse dixerit, is per igno„ rantiam affectam et malitiam, seu per scandalum Pharisaeorum de„ liquisse, facile convincetur. Contra vero ex editione libri haec ma„ xima commoda consequentur. Tolletur magnum scandalum, et „ infamia Regum nostrorum et nationis, qui vulgo propter falsam, „ aut male intellectam quorumdam theologorum doctrinam injuste „ et tyrannice hos barbaros in suam oditionem redegisse putantur, „ ut quidam nuper . . . . prodidit. Deinde qui ex hac expeditio„ ne aurum, vel argentum retulerunt, quid juste, quid injuste „ paraverint, quid jure retinere possint, quid restituere debeant, faci„ le et ab ipsis et a sacerdotibus, quibus peccata confitentur, in„ telligitur. Nunc enim utrique in magna juris ignoratione ver„ santur.“

Claudit opus Sepulveda clarorum virorum testimoniis, qui id laudibus ornarunt, ut Fernandus Guevara et Franciscus Montalvus Regii senatores, Alvarus Moscosus, Didacus Victoria monachus Dominicanus ac Francisci frater, Melchioris Cani in Theologicis institutoris, Ferdinandus Valdesius Hispalensis antistes et summus fidei vindex, Petrus Sotus Caroli Caesaris sacrae confessionis administer, Honcala canonicus Avilensis, aliique incorrupti judicii theologi ac jurisconsulti. Ad calcem subjectum est *Decretum et Indultum Alexan-*

xandri VI. super expeditione in barbaros novi orbis, quos Indos vocant, anno 1493 Fernando et Isabellae Regibus nostris ab eximia religione *Catholicis* cognominatis transmissum: in quo haec verba ad Sepulvedae sententiam egregie facientia leguntur: „Unde „omnibus diligenter et praesertim fidei catholicae exaltatione et dila- „tatione, prout decet catholicos reges et principes, consideratis more „progenitorum vestrorum clarae memoriae Regum terras firmas et „insulas praedictas, illarumque incolas et habitatores vobis divina „favente clementia subjicere et ad fidem catholicam reducere propo- „suistis. Nos igitur hujusmodi vestrum factum ac laudabile proposi- „tum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illud ad „debitum finem perducatur, hortamur vos quamplurimum in Do- „mino, et per sacri lavacri susceptionem, qua mandatis aposto- „licis obligati estis, et viscera misericordiae Domini nostri Jesu- „Christi attente requirimus, ut cum expeditionem hujusmodi omni- „no prosequi et assumere prona mente orthodoxae fidei zelo inten- „datis, populos in ejusmodi insulis et terris degentes ad Christianam „religionem suscipiendam inducere velitis, et debeatis, nec pericu- „la, nec labores ullo unquam tempore vos deterreant, fida spe fidu- „ciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter „prosequitur.“

Tot licet testimoniis munitus, tot laudibus exceptus fuerit Genesii nostri libellus, effugere tamen non potuit acerbum fatum. Itaque statim adversariis adnitentibus Caroli V. decreto confixus est, omniaque ejus exemplaria magna diligentia undique conquisita aut flammis tradita, aut perpetuis tenebris damnata, praeter unum aut item alterum, quod conquirentium manus effugit non sine Reipublicae litterariae commodo, et eloquentissimi Auctoris laude. Bartholomeus Casas, qui nullam praetermittit occasionem contrariam Sepulvedae opinionem tuendi hanc etiam libelli damnationem [1] com-

[1] Vide praefationem controversiae Casam inter et Sepulvedam Valdoliti editam anno 1552. ubi haec ille. *No contento el doctor* (Sepulveda), *antes muy quexoso de las Universidades, acordó, no obstantes las muchas repulsas que ambos cansejos Reales le habian dado, enviar su tratado a Roma a sus amigos, para que lo hiciesen imprimir aunque debajo de forma de cierta apología, que habia escripto al Obispo de Segovia: porque el dicho su libro, le bavia como entre amigos y proximos por cierta carta suya fraternalmente corregido. Informado el Emperador de la impresion del dicho libro y Apologia, mandó despachar luego su Real cedula, para que se recogiesen, y no pareciessen todos los libros ó traslados della: y asi se mandaron recoger por toda Castilla. Y porque el dicho doctor hizo cierto Sumario en Romance del dicho su li-*

commemorat tamquam causae suae suffragantem; quare mire sibi plaudit, gestit ac triumphat.

Annus hic M. D. L. celeberrimus evasit ob Valdolitanas disputationes, quae Sepulvedam inter et Bartholomaeum *de las Casas*, sive *Casaus*, episcopum Chiapensem intercessere; queis occasionem praebuit *Dialogus de Justis belli causis* toties a nobis memoratus. Nos vero quoniam satis copiose de hoc opere sermonem habuimus, paucis, quae apud Valdolitum gesta fuere, perstringemus. Sed prius aliquid de Casa. [1] Is igitur primo in famulatu Christophori Columbi puer admodum anno M. CD. XCIII. in novum Orbem delatus est, unde simul cum Bartholomaeo genitore in patriam Hispalim remeavit anno M. CD. XCVIII. Canonum studio operam daturus: deinde una cum aliis sacerdotibus in Insulam D. Dominici se contulit, ut Indorum saluti consuleret. Ibi sacris addictus incolas Zaguaramae in clientelam suscepit. *Cui tamen renuntiavit* (verba sunt Nic. Antonii) *conscientia deterritus, concipiensque jam animo id propositum, quod usque ad ultimum vitae spiritum constantissime persecutus fuit, omnimodam Indorum libertatem juvandi, quam ista et aliis non innocentibus dominandi artibus in eo aestuantis et exundantis ad novas res divitias imperium gentis ambitu et impotentia a domitore populo saeve obrutam vehementissime dolebat.* Nec his contentus circa annum M. D. XV. Hispaniam rediit, ut apud Ferdinandum Regem Indorum causam ageret. Sed frustra, regis obitu viri optimi conatus retardante. Hinc saeculi pertaesus dominicanorum instituto se astrinxit in eadem Insula. Carolo [2] rerum potiente, denuo in Hispaniam navigavit, quo Regem certiorem faceret immanium flagitiorum quae

qua

libro (de hoc summario vernacule scripto nuspiam alibi mentionem offendimus) *para que mas se cundiese por el Reyno, y gozasen del la gente comun y todos los que ignoraban Latin.*

1 Qui plura de Barthol. Casaus desideret, adeat Nic. Antonium, *Bibl. Hisp. novae* vol. 1. p. 149. seq. Jacob. Echard *de Script. Ord. Praedicat.* t. 2. p. 192. et seq. Touronium in opere Gallico *de illustribus viris* ejusdem ord. t. 2. p. 192. et seq. aliosque ab Antonio adductos l. c.

2 Gonsalus Ferdinandus Ovietus diligens rerum Indicarum Scriptor Casae infensum se prodit lib. IX. c. 15. historiae suae vernacule exaratae, nam cum ejus in Hispaniam adventum refert an. 1519. quo tempore Ovietus in curia Caroli versabaturhaec de viro habet religiosissimo, lectu non injucunda: ,,El Padre Licenciado Bartholome de las Ca-
,,sas, como supo el mal suceso de su gente, y conosció el mal recaudo que havia por su
,,parte puesto en la conservacion de las vidas de aquellos simples y cobdiciosos labradores,
,,que al olor de la Caballeria prometida .... le siguieron, y el mal evento que ovo en la
,,hacienda que se le encargó, y que el a tan mala guarda dejó; ... tomó el habito del
,,glorioso sancto Domingo, y en verdad tenido por muy buen religioso; e assi creo yo
,,que

ab Hispanis quibusdam per summam avaritiam ac libidinem in illis terrarum tractibus perpetrabantur. Longum esset referre, quoties Occeanum Casas praeternavigarit, quot exantlarit labores, quot confecerit [1] scripta pro asserenda Indorum libertate, quo animi ardore, qua pietate in procuranda illorum salute per plures annos desudarit. Quare dignus est habitus qui Chiapensis ecclesiae praesul crearetur, quem honorem aegre admisit, cum antea minime adduci potuisset, ut Cuzcensi ecclesiae apud Peruanos praeficeretur.

Sed Casae doctrina animique constantia tum maxime enituit, cum Carolus V. Opt. Max. rebus, quae apud Indos, a nonnullis cum bonorum omnium indignatione perpetrabantur, permotus, ingentemque illam tam longe propagati imperii gloriam maleferiatorum quorumdam hominum nequitia obscurari dolens multis qua Theologiae, qua Juris utriusque praestantibus eruditione viris, et prudentia singulari conspicuis Valdolitum evocatis, rem serio examinandam totiusque expeditionis Indicae jura disquirenda commisit.

Causam his comitiis evocandis dederant [2] Sepulvedae et Casae scrip-

„que lo será mejor, que capitan en Cumana. Dicen que él escribe por su passatiempo „en estas cosas de Indias: y en la calidad de los Indios y de los Christianos, que por „estas partes andan y viven, y seria bien que en su tiempo se mostrasse, porque los „que son testigos de vista lo aprobassen, o respondiessen por sí. &c."

1 Omnia Casae opera quae circunferuntur, et ab Antonio in sua *Bibliotheca* recensentur, eo precipue collineant, ut Indorum causam tueantur. Sed illud, in quo Hispanorum crudelitatem atris depingit coloribus, quoque tamquam validissimo in Hispanam gentem universam argumento plerique exteri utuntur, seu potius abutuntur, prudentissimi Scriptores tum Hispani, tum aliarum gentium, inter quos Sandovalius, Solisius, et Charlevoixius recenseri merentur, se vehementer mirari testatum reliquerunt ab homine sacris addicto effudi potuisse. Indiarum historia, ipsius auctoris manu exarata, Vallisoleti in coenobio D. Gregorii asservabatur, sed paucos ante menses Regis jussu in hanc urbem cum aliis ejusdem Casae lucrubrationibus asportata servatur in regio rerum Indicarum tabulario. Sub initium nota erat adjecta, qua cavebatur, ne cui opus perlegere fas esset, nisi post XL. annos, quo temporis spatio elapso, si dignum a viris doctis et prudentibus haberetur, quod in lucem prodiret, typis mandaretur: sin minus, intra bibliothecae cancellos contineretur.

2 Exstat hujus disputationis libellus inter Casae opuscula sub hac inscriptione: *Aquí se contiene una disputa, o controversia entre el Obispo don fray Bartholome de las Casas, o Casaus, Obispo que fue de la Ciudad Real de Chiapa que es en las Indias, parte de la nueva España, y el doctor Gines de Sepulveda Coronista del Emperador nuestro Señor, sobre que el doctor contendia, que las conquistas de las Indias contra los Indios eran licitas, y el Obispo por el contrario defendio y afirmo aver sido y ser imposible no serlo: tyranicas, injustas e iniquas. La qual question se ventilo e disputo en presencia de muchos letrados theologos e juristas, en una congregacion que mando su magestad juntar el año de mil y quinientos y cincuenta en la villa de Valladolid año* 1552. Sub finem legitur: *A loor y gloria de nuestro señor Jesu Christo y de la sacratissima virgen sancta Maria su madre. Fue impressa la presente obra en la muy noble e muy leal ciudad de Sevilla, en casa de Sebastian Trugillo impressor de libros, fron-*

scripta, quae omnium manibus terebantur. Hinc factum, ut uterque illis adesse juberetur. Sepulveda primo interfuit congressui, ibique, quae sibi de toto hoc negotio esset sententia, magna verborum ubertate explicavit. Postea vero, Casae dicendi copia facta, quinque continuis diebus Apologiam abs se magno apparatu elaboratam

tero de nuestra señora de gracia. Acabosse a x. dias del mes de Setiembre Año de mil e quinientos e cincuenta y dos Años. Quoniam vero plurima huc facientia in argumento hujus operis sane quam rarissimi reperire licet, haud abs re erit integrum hic subjicere. En illud: Argumento de la presente obra: *El doctor Sepulveda chronista del emperador nuestro señor informado e persuadido de algunos españoles de los que mas reos y culpados eran en las destruyciones y estragos que se han hecho en las gentes de las indias, escrivio un libro en forma de dialogo en latin muy elegante guardadas sus leyes o reglas y polideza de rethorica (como sea tan docto y eminente en la lengua latina) que contenia dos principales conclusiones. La una es, que las guerras que se han hecho por los españoles contra los indios fueron justas de parte de la causa y del autoridad que ay para movellas: y que lo mismo se pueden y deben generalmente contra ellos hacer. La otra es que los indios son obligados a se someter para ser regidos de los españoles como menos entendidos a los mas prudentes: y sino quisieren: afirmar que les pueden hacer guerra. Estas son las dos causas de la perdicion y muerte de tan infinitas gentes y despoblacion de mas de dos mil leguas de tierra, que han muerto y despoblado con nuevas y diversas maneras de crueldad e inhumanidad de los españoles en las indias, conviene a saber las que llaman conquistas: y las encomiendas, que solian llamar repartimientos. Coloró su tractado el dicho doctor Sepulveda con publicar que pretendia justificar el titulo que los Reyes de Castilla y Leon tienen al señorio e superioridad suprema y universal de aquel orbe de las Indias para mejor encubrir la Doctrina que queria derramar por estos reynos y por aquellos de las mismas indias. Este su libro presentó el doctor en el consejo real de las indias, suplicando con gran instancia e importunidad que le diesen licencia y autoridad para imprimirlo. La qual negaron por muchas veces, conosciendo el muy cierto escandalo y daño que de publicarlo se recreceria. Y visto que por el Consejo de las Indias no lo podia imprimir: procuró con sus amigos que residian en la corte del Emperador que le alcanzassen una cedula de su Magestad, que lo remitiesse al Consejo real de Castilla, donde de las cosas de las Indias ninguna noticia se tenia. Al tiempo que esta cedula vino estando la corte y los Consejos en Aranda de Duero, el año de mil y quinientos y quarenta y siete: llegó de las indias el obispo de la ciudad Real de Chiapa don fray Bartholome de las Casas, o Casaus. El qual sabido del tractado del doctor Sepulveda: entendio la materia que contenia y la ceguedad perniciosissima, con los irreparables daños de que si se imprimiesse seria causa: opúsose contra el con todo el rigor que pudo, descubriendo y declarando el veneno de que estava lleno y adonde ponia su fin.*

Acordaron los señores del Consejo Real de Castilla, como sabios y justos: pues la materia de que tractava era por la mayor parte perteneciente a theologia: de lo embiar a las universidades de Salamanca y Alcala: encomendandoles que lo viessen y examinassen y firmassen si se imprimiria. Las quales despues de muchas y exactissimas disputas, determinaron que no se devia de imprimir como doctrina no sana. No contento el doctor, antes muy quexoso de las universidades, acordo no obstantes las muchas repulsas que ambos consejos reales le avian dado: embiar su tractado a Roma a sus amigos, para que lo hiciessen imprimir: aunque debaxo de forma de cierta Apologia que avia escripto al Obispo de Segovia. Porque el dicho Obispo de Segovia viendo el dicho su libro: le avia como entre amigos y proximos por cierta carta suya fraternalmente corregido. Informado el Emperador de la impresion del dicho libro y apologia mandó luego despachar su real cedula, para que se recogiessen todos los libros, o traslados della. Y asi se mandaron recoger por toda Castilla. Y porque el dicho doctor hi-

tam [1] recitavit, qua Sepulvedae argumentationes in examen vocavit. Sed quia nimis longa erat hujusmodi Apologia, Dominico Soto viro scriptis suis satis noto id oneris impositum est, ut utriusque rationes compendio exhiberet, atque in ordinem redigeret. Quo egregie praestito, Sepulveda [2] duodecim argumentis Chiapensis antistitis Apologiam impetivit, quibus hic magno molimine conatus est satisfacere.

Docet nos eo loci Sotus, id tunc disputandum propositum, quaenam scilicet ratio esset ineunda, quae leges sanciendae, ut fides catholica apud orbem nuper Dei providentia detectum propagari posset, ejusque incolae Regum nostrorum imperio subjici citra scelus: Sepulvedam vero et Casam longe aliam viam secutos id in quaestionem vocasse, *Num fas esset Imperatori bellum gerere in Indos*, antequam vera religione imbuerentur, ut sub Hispanorum ditionem redacti, atque ab eis edocti facilius ac commodius ad Dei co-

hizo cierto sumario en romance del dicho libro, para que mas se cundiesse por el reyno y gozassen del, la gente comun y todos los que ignoravan latin: como su materia sea sabrosa y agradable a todos los que desean y procuran ser ricos y subir a estados que nunca tuvieron ellos ni sus passados sin costa suya: si no con sudor: y angustias y aun muertes agenas, deliberó el dicho obispo de Chiapa escribir cierta apologia tambien en romance, contra el sumario del doctor en defensa de los Indios: impugnando y anichilando sus fundamentos: y respondiendo a las razones y a todo lo que el doctor pensava que le favorecia, declarando al pueblo los peligros, escandalos y daños, que contiene su doctrina. Passadas muchas cosas que despues succedieron: su Magestad mandó el año passado de mil y quinientos y cinquenta hacer una congregacion en la villa de Valladolid de letrados theologos y juristas que se juntassen con el Consejo Real de las Indias, para que platicassen y determinassen, si contra las gentes de aquellos Reynos: se podian licitamente y salva justicia, sin aver cometido nuevas culpas mas de las en su infidelidad cometidas, mover guerras que llaman conquistas.

Mandaron llamar al doctor Sepulveda para que dixesse lo que en este negocio decir quisiesse que le parecia. El qual entró y estuvo en la primera session: y dixo todo lo que quiso. Llamaron desde alli adelante al obispo, y en cinco dias continuos, leyó toda su apologia. Y porque era muy larga: rogaron todos los señores theologos y juristas de la congregacion al Egregio maestro y padre fray Domingo de Soto confessor de su Magestad de la orden de sancto Domingo, y que era uno dellos, que la sumasse y del summario se hiciessen tantos traslados quantos eran los señores que en ella avia: los quales eran catorce. Porque estudiando sobre ello el caso, votassen despues lo que segun Dios les pareciesse. El dicho padre maestro en el dicho summario, puso las razones del doctor, y las que contra el escrivio el obispo. Despues pidio el doctor que le diessen traslado del dicho summario, para responder a el: del qual coligio doce objeciones contra si, a las quales dio doce respuestas. Contra estas hizo el obispo doce replicas: y esta es la razon y causa de todo este tractado siguiente.

1 Apologiae hujus exemplar auctoris manu exaratum vidimus in Bibliotheca D. Gregorii Valdolitana spisso volumine in folio.

2 Quae hic in medium adduxit Sepulveda, desumta sunt tum ex libro Romae excuso Ant. Augustini diligentia, tum ex *Dialogo de justis belli causis*, ubi copiosius pertractantur.

cognitionem, abjectis erroribus, perducerentur. Sepulveda bellum id justum ac utilissimum ducebat, contra ea Casas injustum ac detestandum. Atque haec sunt quae magna animorum contentione Valdoliti agitata fuere. Res tamen in medio relicta est, Carolum rebus gravioribus alio avocantibus.

Postquam Valdolito secessit Sepulveda, videtur statim in suum praedium Marianum otii et studiorum gratia perrexisse, inde enim Kal. Oct. anni M. D. LI. litteras dedit ad Olivanum bene quidem longas, in quibus de judicio doctissimorum gravissimorumque virorum disserit, quos ex omnibus regiis consiliis delectos cum quatuor theologis eruditissimis Carolus Caesar causam de bello barbarico Valdoliti cognoscendam voluerat, qua occasione commemorat *artes et machinamenta*, quibus se deprimere, et *veritatem atque justitiam* obscurare conatus est Casas. Illud vero dolet, nonnullos cavillatos fuisse se non publicum negotium, quamquam id Principem et Nationem nostram plurimum attingeret, sed suam causam agitasse, ut gloriam assertae in lucem veritatis, multis alioquin viris non animadversae et ignoratae, nostro adimerent. Docet nos tamen Bernardinum Arevalum Monachum Franciscanum, virum ut sacrarum litterarum cognitione solidaque doctrina, sic sanctitate morum, et religionis opinione praestantem, opportunissimo praesidio venisse, qui Sepulvedam ab adversariorum calumniis tutum redderet, nam libellum in eamdem sententiam, quam Sepulveda amplexus, doctissimum coram judicibus recitavit. Denique postquam pluribus verbis narravit, quae in illo negotio acta fuere, concludit, omnes eam sententiam probasse, in qua ipse tuenda jam multos annos fuerat occupatus, ut Barbaros novi Orbis, quos Indos vocamus, in Christianorum ditionem redigi jus et fas esse censerent.

Versabatur adhuc Sepulveda sub initium anni M. D. LII. in suo praedio Mariano, uti apparet ex [1] epistola Id. Febr. ad Ludovicum Carvajalem Franciscanorum monachorum ad Baeticam praefectum missa. Eodem anno Corduba Nonis Aprilis Francisco Argoti rescribens, quaestionem illam dijudicat, nempe columbas educare, quae non condititiis cibariis alantur, sed agrestibus seminibus sese ipsae pascant, non esse contra justitiam, sic ut domini damnum praestare teneantur id, quod ab illis fuerit alienis segetibus datum: qua de

1 LXIV. edit. Salmant.

de re antea ad Alfonsum Stunicam Gibraleonis Marchionem et Bellalcazaris Comitem [1] litteras dederat. Postridie Nonarum Maji ex eadem urbe Antonio Cordubae respondit quaerenti, qua ratione inductus Cicero civilem, hoc est eorum, qui in civitatum reique publicae administratione versantur, contemplativae vitae, quae ceterorum fere sapientium judicio potior et praestantior habetur, praeferendam esse in opere *de Oficiis*, ut persuadeat, contenderit. [2]

Anno M.D.LIII. litteraria quaedam concertatio suscitata est inter duos Aristotelis amatores Jo. Gen. Sepulvedam et Gasparem Cardillum Villalpandum Doctorem theologum, eloquentiae, et philosophiae professorem in Academia Complutensi, virum sane quam eruditissimum, quique in Tridentino illo congressu omnium celeberrimo magnam sibi nominis claritatem pepererat, qua scriptis adversus haereticos multis lucubrationibus, qua habitis ad PP. Tridentinos eloquentissimis concionibus.

Villalpandus enim ex litteris Sebastiani Leonis, Sepulvedae amicitia conjunctissimi, didicerat, eum in ea esse opinione, ut pro certo haberet, summum illum philosophum rationalem animam putasse in corpora diversa transferri, quae quidem opinio parum Cardillo probabatur, idque jam Sepulvedae coram significarat, cum ad Puteum album convenissent. Quare datis ad auctorem nostrum litteris VIII. Kal. Maii (legendum putamus Martii) petit Cardillus, ut paullo altius explicet, quibus aut testimoniis aut rationibus in ea sententia animum obfirmarit, ut credat, animam, postquam, discessit a corpore, in aliud migrare, id quod magno sibi usui fore putabat ad explicandam abs se susceptam controversiam *de animorum aeternitate*, quae num absoluta sit, aut in vulgus edita, plane ignoramus.

Ad extremum epistolae subjungit Cardillus, scripturum se ad Sepulvedam, modo ne huic gravioribus negotiis curisque occupato permolestum accideret, quibus argumentis adductus putaret fuisse apud Aristotelem genus quiddam scriptorum appellatum *extrarium*, quod noster fabulosum esse ac commentitium defendit in scholiis ad Lib. III. de *Republica*.

Huic epistolae respondit Sepulveda IX. Kalendas Aprilis ejusdem anni [3], mirum sibi non videri improbari a Cardillo eorum persuasio nem-

1 Epist. LXXXII. ejusd. edit.

2 Vide quae de hac ipsa quaestione disputat Sepulveda lib. 1. *de Regno*.

3 Exstat haec epistola num. 81. lib. 5. in editione Salmanticensi et Coloniensi. Ceterae, quarum in hac controversia mentio fit, desiderantur.

nem, qui putant Aristotelem a Pythagorica illa παλλιγγενεσία non abhorruisse, ceterum suam, quam ex Sebastiani Leonis litteris didicerat, non persuasionem, sed suspicionem fuisse: non enim philosopho placuit humanas animas in aliorum animalium corpora migrare: hoc est enim quod ille fabulosum esse plane confirmat: quod vero defuncti hominis animam in alterius nascentis hominis corpus migrare ipsumque animare existimarit Aristoteles; id ab ejus philosophi sententia non abhorrere sibi videri. Addit praeterea Sepulveda, certum se habere, animas humanas immortales esse Aristotelis sententia, *quod tu ipse* (loquitur de Cardillo) *erudito commentario, quod nuper libenter perlegi, magno ingenio et egregia doctrinae Aristotelicae cognitione collegisse mihi visus es.* Ad extremum subjungit Sepulveda se in scholiis superius laudatis id de libris exotericis testatum, posthabitis magnorum virorum tum Graecorum, tum etiam Latinorum conjecturis et opinionibus: sibi tamen gratum fore, si cujusquam monitis aut doctis rationibus a suscepta sententia discederet.

Cardillus alia epistola VIII. Kalend. Julii exarata, longa illa quidem, sed eruditissima, probare nisus est multis rationibus et ex Aristotelis scriptis adductis testimoniis, philosophum neutiquam sensisse animam eamdem diversis temporibus corpora hominum intrare diversa. Ad libros exotericos quod attinet, suam proponit sententiam, eamque validissimis confirmat argumentis.

Denique Sepulveda paucis ad hanc [1] Cardilli epistolam rescripsit Corduba postridie Nonas Maji: nempe, quae ad παλλιγγενεσίαν, et Aristotelis de animarum humanarum in humana corpora migratione sententiam pertinerent, subjectis rationibus se exposuisse: *Sed hae,* inquit, *si cui parum probabuntur, repugnare non est consilium, tibi praesertim tam docto, tamque in Peripatetica exercitato viro.* De libris exotericis, sententiam suam confirmat, quam multis explicavit in scholiis ad opus Aristotelis de *Republica.*

Haec paulo a nobis copiosius sunt explicata, quod in Epistolarum Sepulvedae collectione nulla alia appareat ex iis, quas in hac controversia adduximus, praeter eam, quae postremum occupat locum libro V. ut superius innuimus. Reliquae a nobis commemoratae exstant ad calcem *Apologiae Aristotelis adversus eos*, qui ajunt sensis-

1 Subscriptio isthaec vitio nobis laborare videtur, ac forte substituendum *Julii.*

sisse animam cum corpore exstingui, editae Compluti ex officina Joannis Brocarii anno 1560. 8.º Nos vero eas edere curabimus inter reliquas auctoris epistolas, cum sine piaculo praetermitti non debeant.

Hoc anno typis dare jam cogitabat Sepulveda Epistolarum suarum collectionem, quemadmodum apparet ex Philippi II. venia ad id facta in decennium, quae legitur in editione Salmanticensi.

Anno M. D. LIV. quinto Idus Februarii ex hibernis Putalbanis scripsit ad Franciscum Argotem, eximiae indolis adolescentem, qui nostrum enixe rogaverat, ut, quae in auctoribus ad laudem Cordubae communis patriae pertinentia notaverit, in unum quasi encomium congereret: a quo onere se excusat Sepulveda homo occupatissimus et mole necessariorum studiorum pressus. *Ceterum adolescens*, inquit, *ista aetate, qua tu nunc es, et isto animi fervore libellum scripsi* de gloria appetenda, *in quem aliqua congessi isti tuae voluntati non aliena, unde ea petere licebit: editus est enim libellus, et cum ceteris meis opusculis fertur.* Nonnulla tamen de urbis illius conditore, deque caeli regione in laudata epistola attingit.

Mentio libelli *de gloria* hic injecta, quem quo anno elucubratum fuisse, nondum comperimus (cum prior editio hactenus non ad manus nostras pervenerit, ideoque suo loco recenseri haud poterit) facit, ut de eo aliquid dicamus in praesentia.

Cum auctor inducias cum studiis severioribus pactus, quae convertendis e Graeco in Latinum exponendisque Aristotelis quibusdam de *naturali philosophia* scriptis impendebat, animum, aestivis caloribus defatigatum, ad aliquid levioris ac jucundioris operae meditandum convertere sibi proposuisset; quaestionem hanc de gloria in dialogi formam redactam illustrare constituit: in quo tres summos et clarissimos viros loquentes inducit: Gonzalum illum, qui *magni Imperatoris* cognomen ob egregia sua facinora est adeptus, Jacobumque Cordubam, Aegabriensem Comitem, et Petrum Marchionem Priegensem utriusque gentilem et propinquum, quia de gloria ii commodissime loqui videri poterant, qui gloria duce ad summam claritatem pervenerant. Hunc dialogum in duas partes Auctor distribuit: in priori de gloria generatim agit, deque viris, qui gloriae studio ducti ad praeclara aggredienda facinora incitati sunt: in posteriori eorum refellit argumenta, qui gloriam contemnendam statuunt. Idque plurimis confirmat exemplis ex antiquitate petitis. Nam ut ipse re-

recte pronuntiat, non gloriam et laudem expetere vitiosum est, et ambitiosorum hominum; sed ex simulatione et falsa ostentatione virtutum famam inanem aucupari: etenim solidam gloriam, quae proprium est virtutis praemium, ex rebus praeclare et magna cum virtute gestis non aspernari, magnorum virorum est, et cum virtute conjunctum; modo ne fama virtute antiquior habeatur.

Exstare hunc dialogum inter alia Sepulvedae [1] opera, ex ipsius verbis deprehendimus, et certe excussum constat Parisiis in officina Simonis Colinaei anno 1541. 8°. itemque Coloniae Agrippinae cum reliquis Sepulvedae lucubrationibus.

Sed redeamus ad annum M. D. LIV. XI. Kal. Majas Marianum suum praedium, scripta ad Leopoldum Austrium, Cordubensem antistitem epistola, eleganter describit, quantaeque ibi ad vitam feliciter transigendam commoditates sibi suppeterent, jucunde persequitur.

Tantas inter delicias, tantumque nactus otii Genesius ad studia excolenda, fieri non poterat, quin uberiores ingenii sui fetus in dies ederet. Itaque VI. Idus Maii lectione excitatus Petri Serrani commentariorum in Aristotelis *Ethica* [2], quaestionem illam tractandam suscepit de salute ethnicorum: deinde Aristotelem, quem impotenter deperibat, summis laudibus in caelum extollit, et ab invidorum obtrectationibus defendit.

Anno M. D. LV. pridie Nonas Martii [3] litteras dedit Genesius ad Ferdinandum Valdesium Pontificem Hispalensem, summum fidei vindicem, quibus suam in scribendo tarditatem excusat, propterea quod eastate superiore gravissimo ac periculoso morbo sic decubuerat, me-
di-

1 Nullam aliam vidimus operum Sepulvedae collectionem eo vivente adornatam praeter Parisiensem hanc Colinaei, cujus inscriptionem apponemus, quoniam superius a nobis non semel laudata est. Sic autem habet: *Joannis Genesii Sepulvedae Cordubensis opera, nuper ab eodem auctore recognita*: *quae cum prius dispersa ferrentur, nunc primum in unum quasi corpus digesta et impressa fuerunt*: *ea vero sunt.*

De fato et libero arbitrio libri tres.

Dialagus de appetenda gloria, qui inscribitur Gonzalus.

De ritu nuptiarum et dispensatione libri tres.

Antapologia pro Alberto Pio in Erasmum.

Dialogus de honestate rei militaris, qui inscribitur Democrates, libri tres.

Dialogus de ratione dicendi testimonium in caussis occultorum criminum, qui inscribitur Theophilus. I. vol. 8.

Annum editionis male assignat Nic. Antonius 1581. Vide etiam epistolas XLI. et LXXIX. edit. Salmant.

2 V. epist. XCIV. edit. Salmant.

3 Epist. XC. edit. Salmant.

dicis jam de sua salute desperantibus, ut vires nondum recepisset, quamvis valetudini diligenter inservierit, et jam ab initio morbi nonus mensis ageretur. Ait se tunc, cum morbo laboraret, annum aetatis sexagesimum quartum numerasse, de quo aliquid diximus, cum natalem auctoris annum inquireremus.

Jam vero ex quo Sepulveda vitae periculum evasit, nihil aliud videtur cogitasse homo pientissimus, quam sibi tempus instare ex hac fluxa et calamitosa vita migrandi. Itaque Petro Sepulvedae defuncti fratris filio, ecclesiae Cordubensis portionario [1] mandavit, ut epitaphium, quod tumulo suo ipse confecerat ac in lapide marmoreo incidendum curaverat, primo quoque tempore mitteret: quoniam in Putalbani municipii aede sacrarum maxima et primario sacello duabus sepulturis loca designaverat Genesius, quarum alteram sibi in pariete inclusam construere moliebatur, quae inscripto lapide clauderetur: alteram in proximo Bartholomaeo fratri viro optimo et gravissimo, quique diu in bello non sine laude versatus fuerat. Hunc relinquebat, si quid humanitus sibi in illo morbo accidisset, nominis bonorumque suorum heredem, *quibus* (inquit) *se ipse aleret, et sacrificulo impartiretur, qui statis in perpetuum diebus re divina facienda iram Dei nobis nostrisque corpore exutis animis placaret.*

Jacobus Austrius Cordubensis Antistites, concinnandum curaverat librum de ratione Deum per preces diei temporibus accommodatas placandi, quod *Breviarum* appellant, et licet per clericos diligentes et ejus generis formularum peritos fuerat correctus, eum tamen misit ad Sepulvedam acri suo judicio examinandum, qui [2] pridie Kal. Aprilis spopondit, se, quid sentiret, separatim ad virum amplissimum perscripturum.

Certior ex amicorum litteris factus Sepulveda, Jo. Cordubam ecclesiae Cordubensis decanum et Abbatem Rutensem, magnificas aedes et magnis impensis in eadem urbe aedificatas in Jesuitarum coenobium, et publicos studiosorum adolescentium usus liberaliter dicasse, et virorum scientia clarorum, quos Corduba tulit, imaginibus decorasse, quos inter Quintilianum et Aristotelem admisisset, scripsit ad eum ex suo Putalbano secessu VII. Kal. Oct. eruditam epistolam, qua de utriusque patria eleganter disserit: deinde gratias agit, quod se etiam in tantorum virorum numerum et chorum re-

1 Epist. LXXXIX. edit. Salmant.
2 Epist. LXXXVIII. edit. Salmant.

retulerit, iis tamen verbis, quae singularem auctoris nostri modestiam satis superque ostendunt.

Kalendis Octobris Corduba elegantem misit epistolam ad virum, non minus doctrina quam morum sanctitate insignem, Reginaldum Polum S. R. E. Cardinalem, quocum Toleti amicitiam contraxerat: in eaque postquam de historiae virtutibus agit, et quid sibi in ea conscribenda sit praestitum, indicat, haec subjungit: *Eam igitur partem, quae principes nostros, et communiter rem Britannam attingit, ex commentariis quibusdam, quae ad manus meas pervenerunt, et tum aliorum gravium virorum, tum ipsius Philippi Regis epistolis ad Joannam sororem missis, a me proxime prima manu confectam tibi mitto, precorque et oro, quod sine tua molestia fiat, ut libellum bona cum venia legas, et tum orationis vitia, si qua erunt, ut erunt fortasse multa, quae tuas castigatissimas aures offendant, pro tua humanitate et sapientia corrigas, tum in rerum gestarum narratione, quae desunt, adjicias; quae perperam posita fuerint, emendes, in primisque hominum, regionum, oppidorum fluminumque nomina a nobis non per incuriam, sed per ignorationem prætermissa, marginibus ascribas, depravata corrigas.* &c. En Sepulvedae modestiam et anquirendae veritatis studium. Videtur igitur Polus tam justis Sepulvedae votis satisfecisse. Nam cum duo habeamus in hac Regiae Hist. Academiae bibliotheca operis de rebus Caroli V. exemplaria, alterum [1], et id quidem antiquius, ipsa auctoris manu passim auctum et emendatum, alterum e priori illo expressum; diligenter notavimus, quo tempore utrumque inter se conferebamus, quae ad res in Britannia gestas post Eduardi Regis obitum spectant, longe copiosius atque accuratius tradita in recentiori: unde statim conjecimus, ea a Reginaldo Polo fuisse profecta.

Anno M. D. LVI. quid gesserit Sepulveda, plane ignoramus, cum nullam ejus offenderimus epistolam, quae annum hunc praeferat, nisi forte aliquam earum in hanc classem referamus, quae, ut veteres dicebant, carent die et Consule.

Sequenti anno, nempe M.D.L.VII.Kal. Junii ex Ledesma, quam veteribus Romanis *Bletissam* fuisse repertorum lapidum inscriptiones declarant, scripsit ad Guilielmum Malinaeum Sepulveda, eumque certiorem reddidit laborum ac molestiarum, quas mense Martio proxi-

1 Videsis, quae de utroque hoc exemplari exposuimus in Praefatione.

xime elapso subierit, cum ex Baeturia in agrum Placentinum venisset, ut Carolum Caesarem longo quatuordecim annorum intervallo viseret (tamdiu enim abfuerat ab Hispania) et ad eum secessum salutaret, quem ipse sibi ad radices Orospedae montis, qua meridiem et occidentem solem spectat, opportuno loco, amoeno et salubri ad vitam privatam peragendam delegerat. Narrat ceteras itineris aerumnas, ex quo a Caesare discesserat: quibus cum par esse non posset homo septimum jam annum agens et sexagesimum, in morbum incidit molestissimum, humore, qui fuerat in caput contractus, in fauces, interdum etiam ad interiora continenter destillante. Ad extremun versari se ait, dum per valetudinem licebat, in Jo. Sleidani commentariis lectitandis, suumque de hoc opere judicium profert, in quo res Religionis et Caroli Caesaris, qui in ea tuenda, praesertim in Germania, egregiam navavit operam, ita ille repraesentat, ut hominem ab ecclesia Romana exsulantem, et studio partium actum ubique se prodat.

Hoc eodem anno, accurante Jacobo Neyla, Canonico Salmanticensi, viro Graece Latineque eruditissimo, Salmanticae prodierunt Genesii Epistolae sub hac inscriptione: *Jo. Genesii Sepulvedae Cordubensis, artium et sacrae theologiae doctoris, historici Caesarei, Epistolarum libri septem, in quibus cum alia multa, quae legantur, dignissima traduntur, tum varii loci graviorum doctrinarum eruditissime et elegantissime tractantur. Salmanticae apud Joannem Mariam da Terra nova et Jacobum Archarium. An. M. D. LVII.* 8°. Exstant etiam in Coloniensi collectione.

Quodnam de his Genesii Epistolis nostrum sit judicium, minime opus est referre, cum ex hoc commentario, quantum ipsis tribuamus, quantumque ex iis profecerimus, facili negotio animadverti possit. Daniel Georgius Morhofius in *Polyhistore litterario* vol. 1. lib. 1. cap. 24. n. 53. *Jo. Genesii Sepulvedae epistolas multa continere*, ait, *memorabilia.* Nos certe mirari satis non possumus V. Cl. Gregorii Majansii [1] censuram, quam de laudatis epistolis protulit in praefatione ad suas, cum de Sepulveda loquens inquit: *In aliquibus utilia docet, sed vix in una delectat.* Nam si omnes, qui post renatas bonas litteras in hoc campo cum laude versati sunt, evolvas, vix ullum reperies, qui graviora et utiliora argumenta comple-

1 Epist. ad lectorem praefixa edit. suar. epist. Valentiae Edetanorum 1733. pag. XIV.

plectatur: paucos vero, qui propius ad Ciceronis dicendi elegantiam et ubertatem accedant. Quibus virtutibus id assecutus est noster, ut ab exteris etiam inter Hispanorum eloquentissimos numeretur.

Quaemadmodum plus fortasse justo fuimus verbosiores, cum horum commentariorum telam ex ipsis Sepulvedae Epistolis pertexeremus (adeo libebat in amoenissimis illis ac fecundissimis viridariis versari, et suavissimos inde fructus decerpere); sic nunc rerum inopes, plus quam vellemus, necessario reperiemur, tam praesentissimis subsidiis destituti. Nec dubitamus, quin Sepulveda pari animi alacritate atque ardore, quantum vires senio confectae patiebantur, studia sua foveret, atque viros sibi et amicitia et litterarum cognatione conjunctos per epistolas, qui suus erat mos, conveniret, aut [1] aliquid aliud ingenii exercendi gratia elucubraret: sed cum ea omnia lucem minime aspexerint, nec ad manus nostras pervenerint, mirandum non est, multa eorum nos ignorare. Itaque ab anno M. D. LVII. quo epistolarum collectio e prelo exiit, ad M. D. LXIII. nihil aliud ab auctore nostro habemus praeter duas Hispanas epistolas ex Putalbano municipio ab eo scriptas ad veterem suum amicum Martinum Perezium Olivanum: alteram postridie Non. Martii exaratam, alteram X. Kalend. Aprilis: utramque nobis conservavit egregius rerum Aragonensium historicus Didacus Josephus [2] Dormerius, atque hoc loco ideo apponendas duximus tum ut ne ab hac Sepulvedae operum collectione segregentur, tum etiam quod proposito nostro egregie faciant.

„Con la carta de V.m. recibí los *Anales* del Señor Geronimo „Zurita, y por todo beso las manos de Vm. y las suyas. Hame „parescido muy bien el libro, en el qual he leido hartos ratos; „y segun veo, aunque el titulo sea de la Corona de Aragon, „es Coronica general de toda España, escrita muy gravemente y „con mucha diligencia y buen estilo, y aunque escrita en ro„mance, bien paresce de hombre docto en Latin, y amigo de ver„dad, que es parte que da mucha autoridad al Coronista, y lo con-

1 Hoc temporis intervallum credere fas est a Sepulveda impensum in perpolienda Caroli V. historia, ut indicant crebrae emendationes, quae in antiquiori ejus exemplari comparent, in condendis libris de *rebus Hispanorum gestis ad novum Orbem Mexicumque*, et scribendis Philippi II. *rebus gestis*, quas imperfectas reliquit morte praeventus. De quo quidem suo loco.

2 V. *Progressos de la historia en el Reyno de Aragon* pag. 319.

„contrario la quita, como lo havemos visto por experiencia en „nuestros tiempos. Aunque sea sumariamente escrito esto, se po- „dia imprimir en letra mas menuda, y volumen mas manual; esto „podrá V.m. decir de mi parte al señor Geronimo Zurita, y que le „beso las manos, y que despues que nos vimos en Toledo, dió „otra mano a aquella historia con gran diligencia, y añadió y mudó „algunas cosas. Yo voy escribiendo poco a poco la Coronica del „Rey Don Phelipe, que la del Emperador su padre ya la acabé, „aunque no cerré del todo la puerta, que no pueda añadir algo, „si huviesse alguna relacion autentica de cosa importante, que no „huviesse escrito, como acontece.

„Los dias pasados escribí a V.m. respondiendo a su carta que „vino con los primeros cinco libros de los *Anales*, y diciendo „mi parescer dellos, y esta carta envié a Cordoba dende Pozo- „blanco (donde todavia me estoy) porque me escribieron que „se esperaba un mensagero, que havia de passar para Zaragoza, „creo que de Sevilla; y quando la carta llegó a Cordoba, ya „este mensagero era passado, y quedó la carta al Racionero Pedro „de Sepulveda mi sobrino, para envialla por via de Salamanca, „como viniesse el recuero que ahora es venido; el qual me truxo „los otros cinco libros con la carta de Vm. de 9 de Enero, que „fue doblada merced, los quales rescibí a 19 de Marzo, y luego „leí un rato en ellos, y parescenme escritos por buen orden y „mucha diligencia; la qual diligencia se demuestra mas por lo que „Vm. escribe, que tambien tiene ya escritos otros diez libros hasta „los Reyes Catholicos, y debe ser que él ha muchos dias que tiene „comenzada esta obra como hombre prudente y deseoso de celebrar „los hechos de sus Principes y Nacion. El estilo me paresce muy „bien, aunque hay algunas palabrillas que no son muy Castellanas, „en que va muy poco, como es lo que dice en el primer libro fol. „36. *fuesse forzado de hacer tal execucion*, por decir, *tuviesse* „*atrevimiento*, o *tuviesse esfuerzo*, o *osadia de hacer tal execu-* „*cion*; y como aquello que leí en el segundo cuerpo fol. 5. que „dice, *tuviesse en bien*, por *tuviesse por bien*, que lo uno y lo „otro debe ser lenguage Aragonés, que no es Castellano; esto di- „go por hacer algo de lo que Vm. manda, diciendo, que ha de „placer a entrambos en avisalles de lo que me paresce de la con- „gruedad, o propriedad, para que lo pueda emendar, *ad secundam*

„*sci-*

„ *scilicet editionem*, y de aqui adelante, si escribo à vuestras mer-„ cedes, yo miraré mas en ello, aunque poco inconveniente es, que „Coronista Aragonés escribiendo de las cosas y Principes Aragone-„ses use de algun Aragonismo en lengua Española y Castellana."

Etsi scriptis suis nominis immortalitatem polliceri sibi jure poterat Sepulveda, voluit tamen alia via id assequi. Itaque anno M. D. LXIV. XII. Kal. Aprilis in oppido Putalbano, ubi tum degebat, optimam [1] bonorum suorum partem jure, ut vulgo ajunt, *majoratus*, contulit in Bartholomaeum fratrem et Mariam ejus filiam, Alfonso Argoti Alfonsi et Agnetis *de los Rios* filio desponsam, ea lege, ut qui in ea bona succederent, *Sepulvedae* cognomen perpetuo praeferrent, ni vellent ab illorum possessione dejici ac deturbari.

Eodem tempore, quo Sepulveda bonorum suorum perennitati consuluit, Sacerdotem etiam constituit, qui statis eum diebus, postquam e vivis excessiset, precibus apud Deum juvaret, dum rem divinam faceret.

Anno M. D. LXXI. mense Martio editi sunt *Jo. Genesii Sepulvedae de* [2] *Regno libri tres. Ilerdae typis Petri Robles in* 8º Sepulveda praecepta et monita veterum sapientum de Regno et Regis officio Philippum Hispaniae Regem multum juvare posse arbitratus, non alienum studiis officioque suo fore putavit, si, quae hac de re a summis viris diligenter elaborata et per multos libros essent sparsa, ad Regem mittenda colligeret; quaedam etiam adderet, quae se longi temporis multarumque rerum usus ac diligens observatio docuerat: quippe qui tum in studiis philosophicis maximeque politicis multum temporis contrivisset; tum etiam Romae ad Pontificiam aulam primum, deinde in Hispania ad Imperato-

1 Sepulveda, qui in hujus donationis tabulis doctorem se, ac Caroli V. et Philippi Chronographum appellat, ne ecclesiae reditus in profanos usus convertisse diceretur, quod longe ab ejus animi probitate abhorrebat, subjungit statim post bonorum recensionem: *E todo ello de los dineros ganados por mi industria e trabajo del acostamiento e mercedes que he llevado de los Reyes de España, a quien he servido muchos años de Coronista e Capellan, e con las rentas de las mismas possessiones grangeandolas, sin que interviniesse para las compras, beneficio e acrecentamiento de las dichas possessiones, costas e gasto, que en ello he hecho, ningunos dineros de bienes eclesiasticos, porque aquellos he gastado e consumido en la sustentacion de mi persona e casa conforme a mi estado e condicion, e limosnas e dadivas, y en comprar bienes para la fundacion e dotacion de una Capellania, que tengo establecida e dotada, como lo puedo hacer segun derecho e conciencia.*

2 Opus hoc ab auctore conficiebatur jam anno 1554. ut apparet ex Epistola 87. edit. Salmant. ad Leopoldum Austrium Episcopum Cordub.

toriam esse diu multumque commoratus. Quoniam autem omnem de Regno disputationem cum ceterorum reip. generum commentatione conjunctam esse videret: aliqua tum universe de Republica, tum de singulis ejus generibus prius sibi esse disserenda existimavit, Aristotelem maxime secutus. Initio igitur paulo altius repetito, imperandi parendique rationem, quam natura ad rerum salutem molita est, tam late patere ait, ut nihil unum et commune sit constitutum, quin sit in eo aliquid quod imperet, quiddam etiam, quod imperio jure naturae pareat. Omnes autem imperandi modos in duo genera dispertit, civile, et herile. Illud, quod in liberos homines ad ipsorum utilitatem exercetur; hoc autem, quod in servos ad commoditatem imperantis. Justa imperandi parendique ratio et rebus ubique salutem affert, et gentibus civitatibusque earumque partibus est maxime salutaris: rursus injustum imperium perniciosum est et exitiale. Cum autem multiplex sit administrandi et parendi ratio, de ipsius generibus disserit. Cumque gens et civitas vel unius, vel paucorum, vel multorum hominum imperio summaque potestate gubernetur, necesse sit; efficitur, ut sint varia etiam genera Rerumpublicarum, cum rectarum, si ad publicum subjectorum bonum, tum pravatarum, si ad imperantium utilitatem et libidinem omnis administratio referatur. Tria esse rectarum Rerumpublicarum genera statuit; Regnum, statum optimatum, et quae Respublica communi vocabulo nominatur: totidemque genera depravatarum; tyrannidem, paucorum potentiam, et popularem. Hinc de Regis, et tyranni differentia accurate disserit, ubi quid sit Rex, quid tyrannus, quibus in rebus alter ab altero discernatur, quid Rex in rep. administranda sibi proponere debeat; quonamque modo se tyrannus gerere soleat, satis longa explicat oratione. Deinde de statu optimatum, et paucorum potentia, de republica, et de statu populari agit. Postremo de legibus disserit. Legum alias esse ait naturales, quas Deus et natura cordibus hominum impressit; alias civiles, quibus quaeque civitas gubernatur. Utriusque bonam remp. sic esse munitam oportet, ut nulla naturalis excludatur; civiles vero sint bono publico ad rectae rationis normam accomodatae. Itaque illud propositum esse debet legum latori, ut cum civium singulorum, tum civitatis universae felicitati per optimas leges consulat; provideatque, qua ratione, quibus studiis et exercitationibus homines ad virtutum cultum non modo

mo-

moralium, sed etiam intellectualium per leges inducantur. Cumque omnis humana vita in negotium et otium, bellum et pacem dividatur; et rerum agendarum quaedam necessariae et utiles sint, quaedam honestae: bellum pacis causa, negotium otii, necessaria et utilia honestorum suscipi debent. Ad quae omnia spectanti legum latori ferendae leges sunt. Sed rerum agendarum varia et inconstans natura nullam de ipsis legem ferri permittit, quae cunctis hominibus, temporibus et locis conveniat. Ita cum de rebus singularibus, quae infinitae numero sunt, non satis possit legibus constitui: efficitur, ut multa necessario principum vel summorum magistratuum arbitrio et consilio deliberanda et judicanda relinquantur. Atque haec quidem in primo libro.

In secundo de regia civilique administratione disputat: hoc est, utrum ea, quae legibus constitui non possunt, unius arbitrio et auctoritati, an plurium consilio et prudentiae sint relinquenda. De quibus accurate in utramque partem disserit, eamque sententiam tuetur, ut regium imperium ceteris omnibus rebuspublicis sit longe praeferendum: quam quidem multis rationibus ex historia maxime et rerum usu et cognitione petitis confirmat. Affert siquidem quamplurima argumenta, quae contra suam de Regio imperio ceteris praeferendo sententiam, et pro civili paucorum et optimorum administratione possent adduci. Quibus omnibus abunde sigillatim respondet, recensetque, quanto plura, quantoque majora incommoda et damna ex multorum, quam ex unius imperio et civibus, et toti civitati vel reipublicae deriventur; quantoque facilius et certius in regno, quam in republica omnibus ejusmodi incommodis provideatur. Deinde ad rationem deferendi regni descendit. Cum autem dupliciter regna deferantur, uno modo hereditario jure, cum Regi demortuo filius aut proximus quisque cognatione ex eadem familia succedit; altero ejusdem populi suffragio, ipsius viri, qui regno quaeritur, virtutibus spectatis: harum utra ratio sit potior, et magis e bono publico, non vacare inquit controversia. Sed auctor, prolatis in medium rationibus, quibus plerique ducti posteriorem deferendi regni rationem magis probent; ipse ob magna et certissima incommoda, quae ex ea exsistunt, quaeque longe plura multoque majora sunt, quam quae ex altera, fieri demonstrat, ut prior, quae regnum facit eidem familiae hereditarium, longe sit anteponenda.

In tertio libro de Regis officio paulo accuratius disserit. Multa enim

enim praecepta, quae Regibus a viris sapientibus dantur, in hunc locum congessisse videtur. Quae quidem cuncta unum exitum spectare dicit, ut Rex tota mente omnique ope in eam curam incumbat, ut a Regno suscepto calamitatem, si qua laboret, depellat; felicitatem partam rebus omnibus conservet. Regni autem felicitatem in eo positam statuit, si tum rerum ad usus necessarios et liberales pertinentium copia, tum pace fruatur: si omnis absit injuria non solum ab hostibus externis, sed etiam a seditiosis et improbis civibus: si cives ad omne virtutum genus, quoad fieri possit, exerceantur. Quod Rex duplici ratione praestabit: primum ferendis legibus optimis, quae virtuti egregiae praemia proponant, improbitati poenas constituant: deinde exemplo civibus ad rectam vivendi rationem cohortandis. Regem dare operam oportet, ut omnium civium animi ad sui benevolentiam alliciantur. Quod assequetur primum justitia, si summos cum infimis pari jure contineat, nemini injuriam inferri patiatur; deinde liberalitate et magnificentia, quibus multitudinis caritatem sibi conciliabit. Sed hoc in genere cavendum ei est, ne largitionibus maxime perpetuis rempublicam extenuet, et publica regiaque vectigalia magnopere minuat. Itaque non temere viri sapientes largitionibus sermonis affabilitatem in Rege praetulerunt, quae scilicet gravitatem Regiamque majestatem retineat, ad multitudinis animos conciliandos. Ceterum aliud est largitione popularium benevolentiam consectari, quod est Rege indignum; aliud egregiam virtutem meritis praemiis non fraudare, quod est officium Regis, pertinetque ad justitiam magis etiam, quam ad liberalitatem. Illud quoque justitiae est et humanitatis, ut se adiri Rex certis temporibus facile patiatur, et sui conveniendi potestatem faciat. Ad summam Regi est etiam atque etiam cavendum, ne avare, neve superbe aut crudeliter imperare videatur. Ex his enim rebus odium et timor popularibus innascitur, quibus malis nihil est alienius ad opes regnumque tuendum. Illud etiam tenendum est, cum ceteros, qui reip. judiciisque praesunt, tum maxime Regem decere, ad absolvendum, quam ad condemnandum; ad misericordiam, quam ad severitatem prociliores esse; et aequitatem ubique summo juri, quatenus res patitur, praeferre. Qua aequitate introductum est, ut in delicto ad plurimos pertinente multitudini parcatur, in auctores principesque sceleris vindicetur. Quo in genere sapientis et humani Regis est, ut beneficia virtutisque praemia, sic erratorum, cum oportet, veniam per

se ipsum tribuere; poenas autem legitimas et suplicia non nisi per magistratus et judices rerum capitalium irrogare. Cultus autem veritatis ex omnibus Regem plurimum decet, non modo ut fidem praestet et jusjurandum, si quod in susceptione regni de privilegiis et immunitatibus populis aut singulis civibus irrogatis, ceterisque institutis et moribus servandis dederit; sed ut neminem inani spe injecta deludat, aut fallaci oratione circumveniat. Sed nec a fide temporis gratia vel hostibus, vel improbis et seditiosis civibus data Rex justus et prudens umquam discedet. Cavendum etiam est, ne se unius etiam ingeniosi et rerum periti consilio voluntatique addicat; sed complurium gravium sapientumque virorum prudentia ducatur, multos consilio et virtute praestantes deliberationibus de magnis rebus adhibeat. Providendum quoque Regi est, ut per urbes magistratus supremi saltim viris ingenuis, probis et prudentibus mandentur: per minora vero oppida seu vicos hominibus popularium suffragio delectis, sed ex aliquo censu, deferantur: ut primum virtutis atque prudentiae, deinde etiam divitiarum ducaturratio. Sortito vero deferre magistratus, praeterquam si fiat inter jam suffragio delectos, aut de quorum virtutibus sit anceps judicium, multifariam bono publico nocet. Curandum quoque est, ut non solum ab annuis et temporariis magistratibus, sed etiam a perpetuis, ut Senatoribus, ratio gestorum munerum reposcatur. Sunt quibus speciosa quadam ratione et satis probabili doctrinaeque etiam Aristotelis consentanea, praetores aulicos esse sine provocatione et correctione non placet. Noster nihilominus auctor aliquot rationibus non minoris ponderis adductus eorum sententiae refragatur. Curandum tamen esse ait, ne hujusmodi officio quisquam, nisi prudens, gravis, integer, justitiae cultor, juris rerumque peritus praeficiatur. Sunt et alia quaedam in hoc libro Regibus quidem scitu non indigna; quibus recensendis, praecipuis jam allatis, ne omnia huc contulisse videamur, prudentes supersedemus.

Hoc eodem anno M.D.LXXI. pridie Nonas Augusti *Testamentum* suum condidit Sepulveda, quod paucis immutatis anno sequenti postridie Idus Junii confirmavit: egregium sane auctoris nostri monumentum, quod libenter hic apponeremus, nisi longius esset, quam hujus Commentarii limites patiuntur. Praetermittere tamen non possumus, Sepulvedam statim sub initium profiteri, [1] siquid a se

1 Vernacula auctoris verba subjiciamus: *E si el demonio enemigo de la naturaleza humana, y de nuestra sancta y catholica religion en el articulo de la muerte, o en*

se scriptum, dictumve fuerit, quod a fidei catholicae, quam mordicus tenebat, abluderet, pro indicto habendum, nam se suaque omnia sanctae Rom. ecclesiae judicio subjiciebat, id quod semper facere consueverat. Ad extremum libros suos, tum manu exaratos, tum impressos recenset, quos [1] partim Ecclesiae Cordubensi, cui plurimum se debere affirmat, partim aliis sive amicitia, sive cognatione conjunctis attribuit. Petro vero Sepulvedae nepoti ex fratre filio, cujus in epistolis meminit, exemplar legavit operum ex editione Colinaei anni 1541. manu sua emendatum, ut accuratius recuderetur.

Rerum ordo postulabat, ut *Historiam Caroli V.* et *Philippi II.* quae-

otro qualquier tiempo contra lo susodicho (nempe religionis mysteria) *algun mal pensamiento a mi juicio traxere, desde ahora le doy por ninguno; e si algun dicho, o palabra en ofensa de lo que assi tengo confessado dixere, digo desde agora para entonces, que es en si ninguna, y fuera de toda mi voluntad; y si la dixere, que no supe lo que me decia; y si algun libro o escriptura paresciere, mientras vivo, e despues de mis dias, en que se hallare algun dicho, o palabra, que sea, o parezca discrepante de la verdad catholica, digo y protesto, como muchas veces antes de ahora he professado assi en este, como en otros testamentos, que antes de este he hecho, como en otros libros, que yo he compuesto, que siempre fue mi intencion conformarme con la Iglesia catholica: por esso que los tales dichos y palabras, quando los escribí y dixe, no fue el proposito mio aquel que suena, sino conforme a la verdad catholica; o que no son palabras mias, sino fingidas de algunos de mis invidiosos y malquerientes, los quales tengo, y he tenido muchos, y algunos han procurado de dañarme por todas las vias con calumnias.*

1 Juvat etiam integrum de libris capitulum transcribere: *Item quiero, que los libros de mi libreria se repartan de esta manera: que los libros Griegos assi escriptos, como impressos, y todas las obras mias Latinas, assi translacion de Aristoteles y de Alexandro Aphrodisiense su Comentador, como los que compuse de mi ingenio, que estuvieren impressos, y Plinio* de Historia natural *de marca grande, y tambien las obras de Platon, y la Tabla o Indice de las obras de Aristoteles, todos estos libros se den a la Iglesia mayor de Cordoba, a quien yo debo mucho, y se pongan en su libreria, para provecho de los hombres estudiosos: y de los otros libros Latinos la* Biblia *con su* glossa ordinaria *de marca grande, y las obras de santo Agustin de marca grande, y las obras de Cypriano, Basilio, Origenes, Chrysostomo, y las quatro partes de santo Thomas con la glossa del Cardenal Cayetano, mando se den a mi sobrino fray Antonio de Sepulveda de la Orden de S. Geronimo cerca de Cordoba; y las obras de S. Geronimo y San Gregorio y S. Ambrosio se den a fray Juan de Sepulveda, su hermano, de la mesma orden cerca de Sevilla. Y los libros de Medicina, que son Dioscorides y Cornelio Celso y* Florida Corona, *se den al Licenciado Ambrosio Illan vecino de esta villa de Pozoblanco. Y los demas libros Latinos anejo a la dicha Capellania para que usen de ellos los Capellanes que succedieren: y assimismo la Suma de Navarro en Romance; pero todos los demas en Romance queden a Bartholome de Sepulveda mi hermano para que los dé a quien quisiere.* * Et paulo post: *It. quiero que al Racionero Pedro de Sepulveda mi sobrino se dé el* Mapa mundi o Indice *de Pergamino que está metido en una funda de hoja de Milan; y assimismo se le dé un libro de mis obras impresso en Paris por* Colineo *el año de mil quinientos quarenta y uno, el qual está emendado por mi despues de impresso, para que se pueda tornar a imprimir mas emendado, haviendo ocasion.*

* Mirari subit, cur nullam in suis testamentis mentionem fecerit Sepulveda Historiae Caroli V. Philippi II. et rerum ab Hispanis gestarum apud novum Orbem Mexicumque.

quaeque de rebus Hispanorum apud novum Orbem gestis, litteris consignavit Sepulveda, et a nobis nunc primum sunt edita, recenseremus; sed cum de iis copiosius dicturi simus; prius de Sepulvedae obitu paucis disseramus.

Non una eademque est doctorum virorum de Sepulvedae aetate, deque anno emortuali sententia; neque tamen necessarium ducimus singulas referre.[1] Andr. Schottus vixisse eum affirmat annos LXXXI. obiisse anno M. D. LXXII.[2] Nic. Antonius adducta inscriptione, quae legitur inter Sepulvedae Epistolas p. 219. b. editionis Salm. *adjectum postea fuisse* asseverat: *Vixit* ANN. LXXXI. OB. MDLXXI.

Joannes Fernandez Franco Sepulvedae concivis et familiaris, qui [3] notulas quasdam ad Sepulvedae Epistolas vernacule exaravit, scriptum reliquit loco citato: *En la ultima palabra está añadido* AN. LXXXIV. *y al pie la nota siguiente*: ochenta y quatro años pusieron, o mejor ochenta y dos *despues, porque el año de 55. quando escribió al Arzobispo de Sevilla, que es la carta siguiente, dice que fue su* [4] *climaterico de 63. y murió dia de Santa Catalina año de 74.* Ce-

1 Vide Sepulveda vitam ab Schotto scriptam et post hunc *commentarium* editam.

2 Vide quae ex Antonio adducimus post nostrum *Commentarium.*

3 Notas hasce Franci alibi edemus, cum non pauca contineant utilia: quare de iis suo loco.

4 Sepulveda non satis sibi videtur constare in assignandis aetatis suae annis: nam in epistola ad Ferd. Valdesium exarata pridie Nonas Martii an. 1555. cum narrasset se aestate superiore morbo ita fuisse afflictum, ut medici jam de sua salute desperassent, nec satis convaluisse, licet nonus jam mensis ab initio morbi ageretur, subjungit: *Hunc ego annum* (nempe quo in morbum inciderat, non quo haec scribebat, ut putat Francus) *aetatis meae sexagesimum quartum numerabam, tamen non defuerunt ex amicis meae saluti metuentibus, qui suspicione ad sexagesimum tertium revocarent, ut esset is annus climactericus traditione medicorum infamis.* In epistola vero ad Petrum Sepulvedam: *Me namque*, inquit, *mortalitatis vehementer admonuit gravissimus ille periculosusque morbus, quo diu anno superiore, quem suspicor mihi fuisse climactericum.... conflictatus fui.* Sed de his jam alibi egimus. Praetermittere tamen non possumus, Francum non recte Sepulvedae mentem assecutum, cum ait, nostrum affirmare, quo tempore ad Valdesium scribebat, scilicet pridie Non. Martii an. M. D. LV. uti diximus, annum sexagesimum tertium, sive climactericum se numerasse. Erroris ansam praebuere verba illa: *Hunc ego annum*, quae male ad M. D. LV. accommodantur: id quod epistolam ipsam attente legenti clarissime patebit. De die et anno, quo obiit Sepulveda dubitare nos non sinit Francus, qui eum die divae Catherinae sacro, h. e. XXV. Nov. an. M. D. LXXXIV. decesisse asseverat loco superius citato.

Unde non ante annum M. D. LXXIV. nostrum inter vivos esse desiisse credere par est, ni velimus scriptori συγχρόνῳ, ac Genesii perfamiliari fidem derogare. At quid dicemus de inscriptione, quae annum praefert M. D. LXXIII? Longo post tempore, et ab imperito artifice numeros illos insculptos fuisse, quod videntur indicare Arabici characteres saeculo illo minus usitati, praesertim in publicis monumentis. Utinam nobis lapidem ipsum inspicere licuisset, quo certius hac de re judicium ferre potuissemus.



D. CH. R. S.
JO. GENESIVS SEPVLVEDA QVISEITA
GERERE STVDEBAT VT IPSIVS. ET MORES
PROBIS. PIISQ·VIRIS ET DOCTRINA SCRI
PTIQ·DE THEOLOGIA ET PHIA·HISTORI
ARVMQ·LIBRI DOCTIS. ET ÆQVIS PROBA
RENTVR. S. V. F. VIX. AN. LXXXIII.
OB. AN. 1573.

J. Ballester f.t

Ceterum si [1] lapidi, quod sibi vivens fecit Sepulveda, quodque hodiedum exstat, fides habenda sit, vixisse eum annos LXXXIII. obiisseque anno M. D. LXXIII. dicemus: ita enim ibi scriptum reperiri nos monuere, qui lapidem ipsum recens consuluerunt. Verum cum numeri, quibus aetatis atque mortis annus designatur, postquam auctor noster e vivis excesserat, adjecti sint, nescimus, an Franco plusquam ipsi credendum inscriptioni, quam aere incisam lectorum oculis subjicimus. ☞ Con-

1 Testantur id Ant. Perezius Gomezius scriba, Putalbanus, et Josephus Munnozius a Cruce, Sacerdos ac ejusdem municipii incola, qui lapidem recens inspexere. Hic in epistola, quam penes nos habemus VII. Id. Sextilis anni superioris exarata, asserit, inscriptionem integram hodieque asservari, eademque characterum forma, qualis a nobis hic sistitur: addit praeterea ex probatis monumentis se didicisse, Sepulvedam parentes habuisse *Genesium Sancium Melladum* (alias *Albarrazin*) et *Mariam de Sepulveda*: nos alios auctori parentes initio hujus commentarii assignavimus, alios secuti: sed fides sit penes auctores. Perezius vero et inscriptionem et insignia accurate transcripta ad nos transmisit addita narratione, quam totidem verbis subjiciemus: *Copia de la Inscripcion sepulcral y figura de un Escudo que se mira por cabeza de aquella. Antonio Perez y Gomez, Familiar del santo Oficio, Escribano del Rey nuestro Señor, publico del Numero y Ayuntamiento de esta villa de Pozoblanco, certifico, que antes de principiarse la obra pendiente para aumento a la Iglesia Parroquial de ella, vi que en la pared interior de la Capilla destinada a honor del Sr. S. Pedro, que hacia testero de la dicha Iglesia, estaba colocado el Escudo e Inscripcion que va figurada en este pliego, reputandose por Sepulcro del Sr. Chronista D. Juan Gines de Sepulveda. Que despues en el año de mil setecientos setenta y tres se determinó con motivo de dicha obra, y para efecto de unir con perfeccion la que se construye con la antigua, demoler y arruinar la referida Capilla de S. Pedro, y pared dicha, como se hizo, y de ella se sacó una caja, reducida ya quasi en el todo a ceniza, con fragmentos de vestiduras Sacerdotales, y todos los huesos de un cuerpo humano puestos por su natural orden, que denotaban no haberse movido el del difunto que alli se sepultasse, desde su entierro hasta entonces. Y todos los dichos huesos reputados y estimados por los del cuerpo de dicho Sr. Chronista se recogieron en una caja o arca que se conserva en esta Iglesia Parroquial, y mandó fabricar a su costa D. Juan de Sepulveda y Escalera, posseedor entonces del vinculo que fundó dicho Sr. Chronista, y las piedras del Escudo e Inscripcion se incorporaron con los demas materiales y fragmentos de la obra, de modo que las del Escudo quedaron sepultadas sin haberlas descubierto en su posterior tiempo; pero ahora a diligencia y excavacion que ha hecho executar el Sr. D. Bartolome Herruzo Delgado, Comissario del Santo Oficio, Vicario y Cura de las Iglesias de esta villa, se ha logrado sacarlas al publico; y reconocidas resulta, que el Escudo, y dos bandas estan gravadas en tres piezas de piedra, que se hallaban unidas en dicha pared, el largo de todas de dos varas y una pulgada, su ancho una vara menos cinco pulgadas, y su grueso seis pulgadas. El largo de la figura del Escudo en su formacion treinta pulgadas, y su ancho veinte y tres y media, y cinco su grueso, y el de cada faja tres pulgadas. Y la inscripcion en otra piedra de una sola pieza, que tiene el mismo largo, ancho y grueso que las otras tres, y todas quatro rodeadas de una moldura con levante correspondiente de la misma piedra, que su calidad es de grano de sal y pez. Que assi el Escudo como la Inscripcion va figurado y copiada en el mismo modo que aquel manifiesta, y está con las mismas letras, abreviaturas, puntos y caracteres que se advierten, sin que en lo principal difieran en cosa alguna, ni se note otra particular, que merezca atencion y explicacion, quedando ahora las dichas piedras recogidas de orden de dicho Sr. Vicario en la referida Iglesia: de todo lo qual doy fee a su instancia, y lo signo y firmo en la villa de Pozoblanco a doce dias del mes de Marzo de mil setecientos setenta y ocho años. Antonio Perez y Gomez.*

Conditus est Genesius, uti ipse mandaverat, in Putalbani municipii aede sacrarum maxima D. Catherinae dicata, ac in primario sacello, ubi sepulcrum cum inscriptione permansit ad annum hujus saeculi [1] septuagesimum tertium: eo enim, cum aedem sacram vetustate deformatam sarcire necesse esset, multis ad hoc spectaculum rei novitate accitis apertum est sepulcrum, quod inscripto marmore claudebatur, intraque reperta sunt ossa humani corporis suo ordine collocata, simulque vestium sacrarum fragmenta, quae in capsula inclusa loco decenti asservantur.

Veniamus jam tandem ad Sepulvedae opera de rebus historicis, nam cum postuma remanserint post duo fere saecula, mirum non erit, si post auctoris obitum etiam recenseantur.

Ex quo Sepulveda, anno scilicet M. D. XXXVI. Historici Caesarei numere est donatus, nulli parcendum labori existimavit, quo provinciae sibi demandatae plene cumulateque satisfaceret. Cum autem probe nosset, historiam ab iis potissimum scribi recte posse, qui rebus, quae gerantur, interfuerint, [2] Caesarem assectari constituit. Quoniam vero non id semper exsequi dabatur, summa diligentia [3] nitebatur, ut auctores inveniret viros probos et graves, qui se de rebus gestis, quibus interfuissent ipsi, aut etiam praefuissent, bona fide docerent. Sed quia interdum aliqua silentio non praetereunda scribentibus, et singula intensiore cura rimantibus, in quibus haererent, occurrerent, quae percunctantibus aut referentibus in memoriam non venissent, commodissima ea perquirendi ratione uti solebat, ut quod scripsisset ex prima manu, per partes cum viris gravibus Latine doctis, quibus facta et consilia nota essent, communicaret. Eos autem, qui litteris aliquid consignassent, quod scire sua interesset, consulere non negligebat, ut siquid esset a se minus accurate conscriptum, [4] diligentius retractaret. His accedebat, quod per Carolum Caesarem licebat Sepulvedae, quae audire ex eo cuperet, percunctare: nec dedignabatur summus Imperator interroganti respondere, ceu scriptum reperimus [5] libro XXX. *de reb. ejus gest.*, §. XXXI. ex quibus quantum fidei auctoritati-

1 Ita plane constat ex Gomezii testimonio, quod in annotatione ad pag. CI. adduximus.

2 V. Epist. XI. ad Gasp. Contarenum.

3 V. Epist. XCIII. edit. Salm. ad Card. Reg. Polum.

4 Vide hac de re Epist. XIX. ad CII. edit. Salm.

5 Egregia sunt lectuque digna quae Sepulveda de sua in contexenda Caroli V. historia cura ac diligentia scripta reliquit in epist. ad Jac. Neylam inferius subjicienda.

tisque Sepulvedae historiae sit habendum, facili conjectura quis existimabit.

De stili elegantia non opus est dicere, cum eamdem ubique deprehendamus, quam in reliquis auctoris operibus, quae non infimum ei locum fecerunt inter praestantiores Ciceronis imitatores. In historia autem videtur sibi T. Livium ad imitandum proposuisse, cujus lacteam ubertatem eleganter expressit Sepulveda in Orationibus: id quod aperte testantur oratio Petri Lassi ad Senatum Toletanum (vol. I. pag. 47.) Philiberti ad Germanos (vol. I. pag. 267.)Barbaroxae ad Tunetenses post captam Goletam habita (pag. 391.) Caroli V. ad summum Pontificem, Cardinales aliosque aulae Romanae proceres (pag. 427.) Oratio Petri Velasci Comestabilis (vol. II. pag. 82.) aliaeque, quae licet adversus historiae leges peccare quibusdam videantur, tamen exemplo Livii, et Sallustii ex Latinis Historicis, et Thucydidis ac aliorum ex Graecis exemplo se tuentur. Ast non deerunt fortasse, qui sermonis genus reprehendent, quippe nimis fusum, et nonnumquam ad res levioris momenti profluens: sed haec, vel siquae erunt alia vitia, facile lector magnis virtutibus compensabit.

Cum Caroli V. Historia non ipsius Imperatoris modo, sed rerum fere in tota Europa per illa tempora gestarum narrationem complecti auctor intelligeret, altius exorsus, rerum ac consiliorum omnium, quae publice agitabantur, notitiam magna diligentia ubique adhibita praemisit, quo essent omnia ad cognoscendum illustriora. Nec solum res bellicas aut politicas attigit, sed et de rebus ad statum reipublicae Christianae pertinentibus plurima, et quidem secretiora, litterarum monumentis tradidit, ut quae spectant ad Concilium universale, quod tantopere urgebat Caesar, ne ejus coactio diutius differretur; cujus rei causas egregie depingit noster.

Quo tempore scribi coepta, quo absoluta haec Historia fuerit, non facile est conjectura assequi, quamvis auctor tum in epistolis, tum in ipsa Historia non semel ejus meminerit. Suspicari tamen licet, eum operi suo se accinxisse simul atque a Carolo Chronographi munus obtinuit, in eoque conficiendo assiduo versatum, etsi aliquando ad amoeniora sibique gratiora studia diverteret, ut indicant opera ab anno 1536. ad 1572. elucubrata. Postremam ab auctore manum Historiae impositam jam ab anno 1563. constat ex ejus Epistola ad Olivanum, quam superius exhibuimus pag. XCII.

Mi-

Mirari sane jure optimo quis poterit, qui factum sit, ut cum Sepulveda operi suo, ex quo immortalitatem sibi non injuria polliceri auderet, duos et viginti annos supervixerit, de eo edendo non cogitarit, aut certe editum non fuerit a Philippo Caroli Caesaris filio, cujus tanti intererat patris sui maximi post hominum memoriam Imperatoris facinora immortalitati commendare, aut saltim opus ipsum tot vigiliis elucubratum, tot rebus plane illustribus refertissimum ceu thesaurum auro contra non carum conservari jusserit, ne blattis tineisque traderetur depascendum, quod forte accidisset, nisi Caroli III. singularis litterarum patroni auspiciis nunc tandem in publicam lucem prodiret.

Ad auctorem quod spectat, dubium non est, quin Historiam hanc editioni paratam habuerit, sed, prout erat homo modestissimus, et qui amicorum monitis libenter obsequeretur, deterritus est a suo proposito [1] Jacobi Neylae, viri docti, prudentis ac nostro inter paucos amici, rationibus victus, quas videre licet in epistola a Genesio ad eum scripta, et a nobis in fronte Historiae Caroli V. locata, quae, ut verum dicamus, egregium est monumentum judicii animique moderationis Sepulvedae, qui non, ut homines ignari suique caeci admiratores facere solent, qui foetus suos impolitos licet et abortivos in lucem emittunt, operis sui editionem maturandam censuit, sed intra domesticos continendam parietes, ac perpoliendam: quod cum aliis in scriptis facere consuevit, ut sic doctorum amicorum judicium exquireret, et, si quid erratum esset, prudens emendaret, veterum scriptorum exemplum secutus, tum praecipue in Historia, quae, *quo diutius premitur* (verba sunt Sepulvedae) *et est in manibus, hoc omni ex parte perfectior exit, nam et stili perpoliendi major est facultas, et res multae initio latent, et vario dubioque sermone feruntur, quas tempus indicat et patefacit. Praeterea, si exspectandus sit auctoris obitus, minus loci corruptioni relinquetur, et omnia liberius et audacius tractabuntur memoriaeque prodentur.* Additque: *Faciam igitur, quod mones, et Historiam Caroli Caesaris, quam ad finem perduxi, po-*

1 Multum sane lucis ex hac epistola, si diem et annum praeferret, foeneraremur ad designandum tempus, quo Sepulveda Caroli V. Historiam conscripsit, et paene jam ad extremum perduxerat libros de *Orbe novo*. Exaratam eam tamen epistolam conjicimus ante annum 1563. quo absolutus jam erat *novus Orbis*, quemadmodum scripsit noster ad Olivanum, cui etiam nuntiat, vacare se concinandae Philippi II. Historiae. V. pag. XCIII. hujus *commentarii*.

posteris edendam mandabo, nec ipse interim, nisi paucissimis et opportunissimis... legendam dabo. Cum haec ibi scripsisset Sepulveda, nescimus, cur nec Historiam suam posteris edendam mandarit, ac ne ejus quidem meminerit in suo testamento, ubi alia opera recenset.

Erunt fortasse, quibus placeret, ut de Historiae hujus merito longum sermonem institueremus, eamque conferremus cum aliis, quae de rebus gestis Caroli V. scripta sunt, cum nostris, tum superioribus temporibus: ceterum de iis nihil in praesentia dicere opportunum ducimus, liberam viris doctioribus de his judicandi facultatem relinquentes.

Absoluta Caroli V. Historia, statim videtur Sepulveda animum applicuisse ad res Hispanorum gestas ad novum Orbem Mexicumque enarrandas, ne partem hanc intactam relinqueret. Quoniam vero eam Fern. Gonsalus Ovietus, vir prudens et diligens, copiosissimis commentariis, sed Hispane, pro munere ipsi publice commisso persecutus fuerat; satis habuit noster maximis tunc occupationibus impeditus, rerum memorabilium summam decerpere, quam VII. libris complexus est, eadem stili elegantia, quae in reliquis operibus elucescit: cujus illustre suppeditat exemplum Cortesii Oratio p. 118.

Orsus est suam Historiam Sepulveda ab anno M. CD. XCII. quo longissime ad ignotas, et inauditas gentes terrasque navigationis initium ab Hispanis factum est duce Christophoro Colono, Ligure, qui princeps auctorque fuit tanti facinoris aggrediundi. Operis filum perduxit ad annum M. D. XXI. quo finis impositus est Mexicano bello.

Praeterire hoc loco non possumus Ovieti [1] commentariorum partem primam, quae Hispali lucem vidit anno M. D. XXXV. apud Joan. Cromberger, in fol. non omnia complecti, quae a Sepulveda, servato temporum ordine, traduntur; quapropter eum plurima existimamus ex Fernandi Cortesii epistolis exscripsisse, ut utrumque opus inter se comparanti apparebit: nisi dicamus, Sepulvedam [2] commentarios integros perlustrasse, atque inde sua

 hau-

1 Praeter primam hanc partem edidit et librum XX. Ovietus, ex quo initium duxit secundae partis, quam morte praeventus absolvere non potuit. Lucem vidit hic liber Vallisoleti apud Franciscum Fernandez de Cordova anno 1550. fol.

2 Scripsit Ovietus L. libros, qui ubi laterent, ignoravit Nic. Antonius; at asservari omnes scimus in selecta bibliotheca sodalis nostri Marchionis Truxillorum, praeter libros sex a XXXI. ad XXXVI. qui forte negligentia deperditi illati sunt in biblio-

hausisse. Sed si credendum est ipsi auctori, non ita presso pede Ovietum sequebatur, ut non etiam ducum potissimum commentarios in consilium adhiberet, quaemadmodum testatur in laudata ad Neylam epistola eo tempore scripta, quo nondum opus ad destinatum finem perduxerat.

Postremum auctoris opus videtur fuisse *Historia Philippi II.* cujus uti et Caroli V. Chronographum se vocat in postremis tabulis. Sed, quod dolendum est, eam imperfectam reliquit, morte vitae cursum abrumpente: non enim complectitur nisi ab anno M.D.LVI. ad M.D.LXIV. Et quamvis senio jam confectus in hoc opus incubuerit auctor (nam, uti testatur in epistola Hispane scripta ad Olivanum et pag. XCIII. a nobis inserta) anno M. D. LXIII. aetatis suae LXXIII. in hoc negotio versabatur) tamen dictionem adhibuit castigatam adeo, ut de hac lucubratione dici non immerito possit, quod de Caesaris, quem Sepulveda sibi videtur tamquam exemplar ad imitandum hic proposuisse, commentariis pronuntiavit eloquentiae parens Tullius in *Bruto* cap. 72. *Commentarios scripsit valde quidem probandos: nudi sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta: sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit.*

Hujus operis antographum exstat in regia Matritensi Bibliotheca, unde exemplar quam diligentissime transcriptum nobiscum communicavit ejus Praefectus meritissimus Joannes Santander et Zorrilla, Regi a consiliis in supremo Fidei senatu, cui etiam debemus Sepulvedae et Melchioris Cani epistolas duas elegantissimas, quas statim post Philippi II. Historiam collocavimus a pag. 23. ad 70.

Restat, ut dicamus de aliis Sepulvedae operibus, quae nobis detegere non contigit, aut quae lucem numquam videre. Et primo quidem de *parvis Aristotelis naturalibus*, quos noster e Graeco in Latinum sermonem transtulit. Hanc opellam cum frustra diu quaesissemus, tum in hujus urbis Bibliothecis, tum alibi, etiam extra Hispaniam; demum vir excellentissimus, et laude omni major, Comes

bliothecam S. Ecclesiae Hispalensis. In tabulario Coenobii Montis-Serrati in hac urbe regia vidimus XL. priores libros magni hujus operis, quod in Reip. litterariae commodum edere jam diu meditatur laudatus Truxillorum Marchio, adjectis chartis Geographicis, quibus instructum est ejus exemplar.

mes Arandae, Caroli III. apud Regem Galliae Orator, eam reperit in Regia Parisiensi Bibliotheca, accuratamque ad nos transmisit descriptionem. Operis epigraphe hujusmodi est: *Libri Aristotelis, quos vulgo Latini* parvulos naturales apellant, *e Graeco in Latinum sermonem conversi: Joanne Genesio de Sepulveda Cordubensi interprete*: 1. vol. in fol. Dicatum est *ad gravissimum Praesulem, Principem illustrissimum, Julium Medicem, Cardinalem, Vicecancellarium*, &c. Sequitur *Joannis Genesii Sepulvedae praefatio in interpretationem librorum Aristotelis de animalibus, qui vulgo* parvi naturales *appellantur.*

Etsi nullam haec editio neque loci, neque anni notam praeferat, duo ex praefatione loca adducemus, ex quibus possit intelligi, eam ab anno M. D. XXI. ad M. D. XXIII. perfectam fuisse. Prior locus sic se habet: *Quae virtutes mihi ante quoque notae fuerant multorum sermone, qui te familiariter coluerunt: tunc vero oculata jam fide perspectae, cum tres abhinc annos ab Hispanorum Bononiensi Collegio res ipsius procuraturus, transeunte Florentia Joanne Emmanuele, Caesaris Legato, ad te missus sum.* Alter hoc pacto: *Jam vero quid de animi tui magnitudine dicam? Quae cum alias multis est testata documentis, tum maxime bello Mediolanensi, cum in oppugnatione unius oppidi exercitum ecclesiasticum tamdiu haerere non ferens, advolas, et summa industria ac strenuitate in agrum Mediolanensem rapis agmen, non ignarus videlicet, in uno Mediolano cetera oppida expugnari posse: securusque mortis, nullo recusato periculo, mirante toto exercitu, et partim progredi recusante, amplissimae urbis, et firmissimo praesidio munitae portis infestus ades: hostibus ante tuum adventum exsultantibus metum incutis. Quid plura? ceteros non damno, qui fortasse non tam suo arbitratu, quam ad majorum perscriptum rem gerebant, certe, quod constat, exercitus, qui tribus circiter mensibus haud grande oppidum obsessum frustra oppugnarat, idem te duce maximam urbem momento temporis expugnavit.*

Bellum Mediolanense gestum est anno M. D. XXI. quo tempore Julius Medices Legatus erat Pontificius, qui duobus post annis Romanam Sedem occupavit: unde hoc temporis intervallo in lucem emissam Sepulvedae credimus interpretationem.

Post praefationem sequitur pag. 1. *Liber Aristotelis de incessu animalium, interprete Joanne Genesio Sepulveda Cordubensi.* Pag. 9.

de sensu et sensibilibus. Pag. 21. *de memoria et meminisse.* Pag. 25. *de somno et vigilia.* Pag. 29. *de insomniis.* Pag. 32. *de divinatione per somnum.* Pag. 35. *de motu animalium.* Pag. 41. *de longitudine et brevitate vitae.* Pag. 44. *de juventa et senecta, vita et morte, ac de spiratione.* Pag. 46. ad 53. *de spiratione.*

Libellis hisce omnibus, praeter postremum *de spiratione*, accedunt notulae ad marginem, quae Sepulvedam auctorem agnoscunt, ut ipse tradidit in praefatione his verbis: *Qua ratione ductus difficillima quaedam loca, quae nulla fideli interpretatione satis poterant expediri, appositis scholiis explicare tentavi, quibus adjuta interpretatio diligentem et ingeniosum lectorem commentariorum necessitate magna ex parte, ut spero, levabit. Neque vero si qui juniorum haec eadem uno tempore experti Latina facere, editionem occuparunt, protinus erit labor noster irritus, et haec interpretatio Latinis philosophis minus utilis censenda. Illi namque, ut mihi quidem videtur, Aristotelis sensus tot tantisque erroribus depravarunt, ut vel hoc nomine interpretatio nostra sit in primis expetenda, quod in praefatione libri* de incessu animalium, *quem ad Albertum Pium dominum et patronum meum converti, testatus sum; quae si diligentius illi perpendissent, accuratiusque interpretati forent, consuluissem labori meo, qui ob hanc causam libros quoque* de generatione et interitu, *laboriosum opus, converti, cui, ne ante maturitatem emittatur, jam pridem otium damus. Et nunc* Metereologicorum *libri sunt in manibus, quos ex voluntate memorati Principis una opera interpretamur, et justis commentariis ex Graecorum potissimum fontibus haurientes enarramus. Exstant enim Alexandri Aphrodisiei, Jo. Grammatici, Olympiodori in hos libros, Graecae expositiones, quibus Latinae comparatae ridiculae sane videantur, et monstris insignes.*

Nicolaus Antonius *Parvos naturales* recensens dicatos ab auctore innuit Alberto Pio Carporum Principi, eosque una cum Aristotelis *Meteororum* libris quatuor ad Carolum Caesarem, duobus *de ortu et interitu* ad Hadrianum VI. et libellum [1] *de Mundo* in gratiam Mantuani Principis Latinum factum, omnes denuo ab ipso interprete recognitos, quin immo alios factos ex fide veterum exempla-

1 Joan. Alb. Fabricius *Bibl. Graecae* lib. 3. cap. 6. tom. 2. pag. 129. meminit versionis libelli *de Mundo* a Sepulveda factae Parisiisque editae 1548. in 4.

plarium et expositione Graecorum enarratorum, prelo subjectos asseverat Parisiis apud Jo. Parvum anno [1] M. D. XXXII. fol. Quod sane indicat opera isthaec, aut saltim aliqua lucem antea vidisse. Sepulveda ipse verbis proxime adductis citat praefationem libri *de incessu animalium*, quem ad eumdem Albertum Pium converterat, additque, se Latine transtulisse libros *de generatione et interitu*, habereque in manibus libros *Meteorologicorum*.

[2] Ludovicus Elias Dupinius et [3] Niceronius testantur Sepulvedam scripsisse libellum sub hac inscriptione: *Errata Petri Alcyonii in interpretatione Aristotelis*, qui nusquam ad manus nostras pervenit. *Fuit Petrus Alcyonius* (verba sunt Jo. Burchardi Menckenii in praefatione ad *Analecta litteraria* edita Lips. 1707.) *litterarum Latinarum in Italia lumen fulgentissimum, quo tempore complures alii purae dictionis elegantiam certatim quasi sectabantur: Graecas praeterea Musas sibi reddidit adeo familiares, ut non inutilem in transferendo Aristotele operam collocaverit. Qua in re etsi Sepulvedam acerrimum censorem nactus fuerit, non desunt tamen qui versionis elegantiam extollunt.*

Exaravit etiam Sepulveda *Enarrationes in libros Aristotelicos de Moribus ad Nicomachum*, quarum ipse mentionem injicit in scholiis

1 Citat hanc etiam editionem Parisiensem Fabricius l. c.

2 *Biblioth. Eccles.* saecul. XVI.

3 *Memoires des hommes illustr.* vol. XXIII. p. 347. et VI. p. 161. ubi ait: *Alcyonius fut si mortifié de cette critique, où il n' étoit gueres épargné, qu' il en acheta tous les exemplaires, qu' il pût trouver, et les jetta au feu: ce qui a rendu ce livre extremement rare.* Christoph. Longolius meminit hujus opellae, nam lib. III. epist. 27. *Illud quidem*, inquit, *meum, esse Bononiae Hispanum hominem quemdam, qui a se omnia P. Alcyonii in faciendo Aristotele Latino errata collecta esse, ac propediem editum iri huc scripserit: de quo ipso, si tibi videbitur, Alcyonium nostrum facies certiorem.* Epistola vero 37. *Misi ad te nuper nescio quid de quodam Hispano homine, qui P. Alcyonii in faciendo Aristotele Latino errata Bononiae colligeret. Nunc illud adjicio ea jam edita esse, et huc* (Patavium) *missa cum hac inscriptione:* Errata Petri Alcyonii in interpretatione Aristotelis a Joanne Genesio Sepulveda Cordubensi collecta. *Hoc, si tibi videbitur, Alcyonio significabis, aut per alios certe denuntiandum ei curabis. Sed, si bene te novi, ipse tu denuntiabis, ut hominis ad tantae contumeliae nuntium, vultum videas, quod unum sane spectaculum tibi magnopere invideo: numquam enim is ex oculis laboravit, qui tum ejus frontem spectarit.* Paulus Jovius in *Elogiis clar. vir.* loquens de Alcyonio scriptum reliquit: *Cum aliqua ex Aristotele perperam insolenterque vertisset, in eum Sepulveda, vir Hispanus egregie de litteris meritus, edito volumine peracuta jacula contorsit, non hercle indigna tanti philosophi vulneribus, si vindictae nomine merita poena multaretur, tanto quidem eruditorum applausu, ut Alcyonius ignominiae dolore misere consternatus, Hispani hominis libros in tabernis, ut concremaret, gravi pretio coemere cogeretur.*

liis [1] MS. ad libros *de Republica* abs se conversos: nescimus, an quoque eosdem libros in Latinum sermonem converterit. Omnes enim testantur, neque enarrationes, neque libros de moribus lucem vidisse.

Ipse nos [2] docet Sepulveda, se *Apologiam* scripsisse pro Historia Caroli V. qua injustas quorumdam reprehensiones accuratius confutavit, et quam legendam dederat Jacobo Neylae.

Denique nostro tribuunt Dupinius et alii editum [3] Parisiis anno 1570. tractatum *de veritate corporis et sanguinis Jesu Christi in sacrificio Missae.* Sed viderint, an nostri sit, quibus eum ad manus habere contigerit.

Eodem Dupinio auctore addiscimus, Sepulvedam [4] paraphrasin quamdam *Cantici Canticorum* concinnasse ex D. Ambrosii Commentariis desumtam, eamque inter sancti hujus doctoris opera fuisse editam, sed nobis nihil ea de re hucusque compertum.

Diximus p. XVIII. not. 3. nostri Commentarii, Jac. Neylae a Quignonio Cardinali provinciam fuisse demandatam edendi illius operis, qua Deum rogandi ratio continetur, et vulgo vocant *Breviarium.* Francus autem in notis suis ad Sepulvedae epistolas XL. et CIII. scriptum reliquit, Sepulvedam una cum Neyla et aliis Quignonio suppetias tulisse ad opus illud perficiendum. Illisque sine dubio tribuenda est elegans praefatio, qua exornatur.

Erunt fortasse alia auctoris opera, quae nobis in praesentia non succurrant, quod minime mirandum in tanta rerum varietate, quantam in hunc commentarium congerere coacti sumus.

Meminimus nos, dum libros de *Orbe novo* ederemus, nonnihil

1 Lib. 4. cap. 9. Scholio 1. fol. 126. b. sic inquit: *Eodemque vocabulo* (Timocratia) *Aristoteles utitur in libro de Moribus ad Nicomachum octavo, in cujus capitis enarratione ipsi de hujus vocabuli ratione, convicto publico errore, paulo accuratius disseruimus.* Libro vero 7. cap. 1. Scholio pag. 15. fol. 205. *Magna quaestio est, et a nobis primum librum de Moribus ad Nicomachum cap. 7. enarrantibus paulo accuratius tractata.*

2 Vide Sepulvedae epistolam ad Neylam Historiae Caroli V. praemissam.

3 Turpiter hallucinatur Favrus, qui Cl. Fleurii historiam Ecclesiasticam continuavit, sed non adeo feliciter, dum opus hoc inter reliqua Sepulvedae Coloniae editum asserit lib. 172. §. 71.

4 In editione D. Ambrosii Paris. apud Guil. Merlin an. 1569. vol. 5. p. 4046. legitur: *Expositio in Cantica Canticorum ex diversis D. Ambrosii opusculis ab Ant. Manchiaceno Democare, Doctore Sorbonico, excerpta, et in unum corpus collecta.* Et quamvis in praefatione ad hanc editionem alios idem tentasse legatur, altum est de Sepulveda silentium.

hil in Sepulveda deprehendisse, quod solidis Theologiae principiis adversari, existimatur de quo accuratius nos hic locuturos promisimus. Ait enim lib. 1. p. 12. ecclesiasticam potestatem, quam Christus tradidit Vicario suo, quamquam in iis potissimum rebus versatur, quae religionem attingunt, patere tamen latissime in omnem terrarum orbem, pertinereque etiam ad imperia civilia, et omne genus, si hoc religionis moderandae, vel propagandae ratio postulare videatur. Quam etiam sententiam tuetur in Dialogo *de justis belli causis*, ubi eam Rom. Pontifici potestatem, saltim *indirectam*, in temporalia ac in ipsos etiam Reges tribui, negari non posse afirmat. Quod quam longe abhorreat a veterum Doctorum placitis, magna eruditionis copia probare conati sunt Jacobus Benignus [1] Bossuetus, Ludovicus Elias Dupinius, [2] et alii quamplurimi. Quare nihil opus est, ut judicium nostrum interponentes, quod a proposito plane alienum esset, crambem hanc recoquamus.

Dicendum nunc nobis esset, si vulgatum vitarum scriptorum morem sequi vellemus, de summa Sepulvedae eruditione, stili elegantia, Graecae linguae cognitione, de Philosophiae, Theologiae, Historiae, Mathematicarum scientiarum, aliarumque rerum notitia, qua mirifice erat instructus: sed de iis suo loco verba fecimus. Illud certe praeterire silentio non possumus sine piaculo, Sepulvedam summam semper animi moderationem cum singulari animi constantia conjunctam in scriptis suis ostendisse. Et licet acerbissimos hostes habuerit, qui laboribus suis ac vigiliis, qua jure, qua injuria infensos se praeberent, modeste tamen semper adversariis respondisse: et, quod mirere magis, nusquam in ejus scriptis reperias Bartholomaei Casae nomen, qui tum in editis, tum in operibus ineditis nullam abire patitur occasionem Sepulvedae lacessendi. Erasmum etiam, adversus quem scripsit *Antapologiam* pro Alberto Pio, Carporum Principe, adeo comiter et urbane tractavit, ut quaedam in eum gravius dicta ex opere suo Romae impresso expungi pateretur, ne ejus animum offenderet. Prae ceteris vero commendanda est egregia illa animi docilitas, qua libenter labores suos, non modo doctorum, sed etiam indoctorum judicio subjiciebat, eorumque monitis pronas aures praebebat, si quid minus ipsis arride-

1 In *defens. declarat. conv. Clerici Gall.*

2 Dissert. 8. *de Antiq. Eccl. Discipl.* et in *Traitê de l' autorité Eccles. et de la Puiss. tempor.*

deret. Ut autem hujus animi virtutis perpetuo duraturum ad posteros testimonium transmitteret, sub initium testamenti professus est, nihil sibi fuisse antiquius, quam ut opera sua aliorum censurae permitteret, ne vel imprudens tantillum a vera religione, quam omnibus rebus sibi potiorem ducebat, aberraret.

Veritatis amantissimum fuisse Genesium, et ipse non semel testatur, et ostendunt ejus opera; nam nec Caesari ipsi blanditur, nec quae a viris principibus non recte fiebant, dissimulat. De morum probitate, non est quod dubitemus, cum videamus, eum nec arrogantem fuisse, nec honorum, aut divitiarum appetentem. Praeterea muneris sui diligenter exsequendi adeo erat studiosus, ut rem divinam etiam in senectute Mercurii et Veneris, festisque diebus faceret, nisi forte impediretur adversa valetudine, quemadmodum scriptum reliquit ad Gasparem Castrum epistola C. editionis Salmantic. in qua multa noster affert de sua vivendi ratione, de familia, ac de sumtibus: ex eaque discimus, Sepulvedam Bletissensi Archipresbyteratu fuisse auctum. Qua occasione non possumus, quin eorum hic notemus errorem, qui Canonicum fuisse Genesium nostrum Salmanticae, atque in ea urbe diem extremum vidisse, nullo idoneo teste adhibito, tradidere.

Atque haec quidem de Sepulvedae vita et scriptis dicta sunto; qui sane cum omnium judicio fuerit scriptor inter Hispanos sui temporis eloquentissimus, Theologus praestans, Philologus in primis eruditus, Historicus diligens, vir denique prisco candore et probitate insignis, et siquid ad rem plerisque illius aevi doctissimis hominibus: adde etiam, Primoribus necessarius, atque in aula Regum nostrorum tamdiu versatus, Carolo V. et Philippo II. acceptus; mirari satis non possumus virum tot ingenii atque industriae adjumentis instructum, ab eo tamen tempore, quo Caesar ipse Genesium sibi Historiographum sponte sua et illius doctrinae tunc primum elucescentis fama commotus delegit Romae anno M. D. XXXVI, fortunam suam vix amplificasse, quin immo laboribus tantum vigiliisque in litterarum studio gnaviter exantlandis et inimicorum calumniis magna animi moderatione repellendis per XL. fere extremos vitae annos superfuisse visum fuisse. Adeo rarum est, hominem supra aequales suos sapientem ita se gerere, ut posteaquam doctrinam et mores suos doctis piisque viris probaverit, invidorum etiam acerbitatem vitare valeat!

JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE

EMENDATIONES MS.

In suam octo librorum Aristotelis de Republica, sive Politicorum Latinam versionem,[1] Parisiis editam apud Vascosanum anno 1548. 4º designatis locis tum Parisiensis editionis, tum Matritensis anno 1775. Graece et Latine, fol.

Prior numerus paginam, posterior lineam denotat. Littera b *ubi apponitur, secundam folii (ut vocant) paginam editionis Vascosaneae. Litterae* Em. *ad paginas editiones Matritensis adjectae, significant locum in ea esse emendatum.*

Editio Paris.		IN PRAEFATIONE	Editio Matr.	
Fol.	lin.	AD PHILIPPUM HISPANIAR. PRINCIPEM.	Pag.	lin.
2.	19.	ET Aristotelis de Rebup. libros. *Emend.* de Rep. libros.	XVI.	28.Em.
ibid.	25.	Neque vero mihi interpretanti concilium fuit. *Emend.* consilium fuit.	ibid.	33.Em.
ibid. b.	21.	Suis utantur. *Emend.* suis utuntur.	XVII.	4.Em.
3.	2.	Quae ille rebus novis aetate inventis. *Emend.* et a se inventis.	ibid.	15.
ibid. b.	15.	Quicumque igitur te. *Emend.* Quamvis igitur te.	ibid.	penult.
		IN LIBRO I.		
		Cap. I.		
1.	17.	Dum eos interesse non specie, sed multitudine et paucitate differre existiment. *Emend.* Dum eos inter se.... differre existimant.	2.	12.
2.	8.	Quos quidam collactaneos vocant, filiasque, natosque natorum. *Emend.* filiosque.	4.	21.
ibid.	12.	Omnis enim domus ab eo, qui maximus natu est, tamquam a rege gubernabatur. *Emend.* gubernatur.	ibid.	27.
ibid.	21.	Homines deorum, ut formas, sic item vitas suis esse similes arbitrabantur. *Emend.* Arbitrantur.	5.	6.
		Cap. II.		
4.	24.	Quae cum vivendi fiat, tum recte vivendi gra-	9.	3.

[1] Consulantur, quae de his *Emendationibus* superius innuimus in Commentario nostro de Auctoris vita et scriptis, pag. LXVIII.

Edit. Par.		Edit. Matr.
	gratia consistit. *Emend.* Tamen recte vivendi gratia.	
ibid. 26.	Cum priores consociationes per naturam ineatur. *Emend.* Ineantur.	9. 5. Em.
ibid. b. 10.	Natura, quae soli ex animantibus homini sermonem tribuit. *Emend.* Sermonem et rationem tribuit.	10. 5.
ibid. 15.	Sermo vero datus est homini ad utile et inutile, ac proinde justum et injustum declarandum. *Emend.* Ratio vero et oratio data est homini.	ibid. 11.
	Cap. III.	
7. 9.	Haec autem sunt herilis facultas, et maritalis. (Nam feminae marisque consociatio nomine vacat.) Tertia quod filiorum effectiva facultas: nam et haec non proprio vocabulo nominantur: vocentur tamen hae tres, quemadmodum eas appellavimus. *Emendat.* Tertiaque . . . . . nominatur.	17. 11.
ib.b.11.et8.l.7.	Suppellex. *Emend.* Supellex.	18.13.et19.8.
8. b. 14.	Nam corpori animal herili, appetitui vero mens imperio civili regioque praeest. *Emend.* Nam corpori anima herili.	20. 17.
	Cap. IV.	
11. b. ultim.	Mornarchia. *Emend.* Monarchia.	33. 3. Em.
12. 1.	Civilis aut gubernatio imperium est in liberos et pares. *Emend.* Civilis autem gubernatio.	ibid. 4. Em.
ibid. 20.	Aut philosophia vacant. *Emend.* Aut philosophiae vacant.	ibid. 26.
	Cap. V.	
14. 15.	Qui cum pecora pastionis gratia loca necessario mutent, ipsi quoque eadem affectare coguntur. *Emend.* Eadem assectari coguntur.	41. 16.
ibid. b. 27.	Familiaris igitur administrationis pars est genus unum quaestuariae, qua opes convenienter naturae comparantur, quae vel suppetere debet, vel res ab ipsa comparari, quae condi reponique solent necessariae ad vitam, &c. *Emend.* Comparantur, quam partem adesse oportet, vel parari, ut res suppetant, quae condi reponique solent.	42. 22.
	Cap. VI.	
16. 15.	Is calceo, quo calceus est, utitur. *Emend.* Quia calceus est. Sed commodior videtur interpretatio *qua calceus est*, ut in versione, qua	47. 17.

usi

Edit. Par.		Edit. Matr.
	usi sunt Giphanius, et Heinsius, legitur.	
ibid. b. 15.	Publico gentium consensu constitutum est ad permutationes faciendas, ut tale quidam inter se darent, et acciperent. *Emend.* Ut tale quiddam inter se darent.	48. 20.
ibid. 24.	Genus aliud exssitit. *Em.* Genus aliud exstitit.	ibid. 32. Em.
17. 14.	Quare, qui recte parandis opibus student, in alias divitias, aliam parandi rationem quaerunt. *Emend.* Ii alias divitias.	49. 13.
ibid. 24.	Et artes suum quaeque finem sine modo petat. *Emend.* Sine modo petunt.	ibid. 25. Em.
ibid. b. 25.	Quam si nequeunt per rationem pecuniariam, per aliam causam ut assequantur, emittuntur. *Emend.* enituntur.	51. 3. Em.
18. 3.	Ac ratio quidem opes parandi non necessaria quae sint. *Emend.* Quae sit.	ibid. 12. Em.
	Cap. VII.	
21. b. 9.	Deinde cum ex mercatoribus mercatores venissent. *Emend.* Cum ex mercatibus. Quod etiam perspicitur ex scholio adjecto.	60. 19. Em.
ibid. 19.	Nam multis civitatibus quaestuaria ratione, et quaestibus hujusmodi opus est. *Emend.* Multis civitatibus pecuniam parare, et vectigalibus hujusmodi opus est.	61. 3.
	Cap. VIII.	
23. b. 30.	Nam paterfamilias et uxori praeest, et filiis, utrisque quidem ut liberis, non tamen ut ejusmodi imperium teneat in utrosque. *Em.* non tamen ut ejusdemmodi imperium teneat in utrosque.	65. 31.
24. 2.	Senior atque praefectus, quam junior et imperfectus principatu dignior est lege naturae. *Emend.* Senior atque perfectus.	66. 1. Em.
ibid. 5.	Nam avium natura aequalis esse debet, nec differre quidquam. *Emend.* Natura enim postulat, ut ex aequo imperetur, et pareatur sine ullo discrimine. In Matritensi legitur: *Nam eorum natura*, &c.	66. 5.
ibid. 23.	Sitne aliqua servorum virtus, praeter instrumentarias et administra, his diversa et honoratior. *Emend.* Et administras.	67. 5. Em.
25. 1.	Variae tamen insunt (sc. animae partes.) *Em.* varie.	68. 7.
ibid. 26.	At non perinde fortis hoc viri decus. *Emend.* At non perinde viro.	69. 14.

Edit. Par.		Edit. Matr.
ibid. b. 21.	Nam ut domus quaequae pars est civitatis. *Emend.* Ut domus quaeque.	70. 17. Em.
	IN LIBRO II.	
	Cap. I.	
29. b. 5.	Civitas a gente distrahit. *Emend.* Distabit. Emendatio a recentiore manu, sed ex alio exemplari a Sepulveda emendato desumta. Graece est Διοίσει, hoc est, *differet*, *discrepabit*.	80. 1.
	Cap. II.	
32. 20.	Quam cujusque officium possit. *Emend.* poscit.	85. 11.
	Cap. III.	
37. 8.	Ut si quis ex concentu vocum aequalitate, vel ex rythmo ingressum unum faciat. *Emend.* Vocum aequalitatem, vel ex rhythmo.	94. 35. Em.
	Cap. IV.	
40. b. 12.	Si quis talem vitam nec singulorum privatum, nec publicae civitatis probet. *Emend.* Nec singulorum privatim, nec publice.	106. 1.
41. 16.	Si forte accidat eorum, qui geniti fuerint, aliquos mittere. *Emend.* Aliquos interire. In Matrit. aliquos mori.	107. 8. Em.
42. b. 4.	Ut de hujusmodi Reipublicae disseramus. *Em.* Ut de hujusmodi Republica.	109. 24. Em.
ibid. 5.	Ex delectis delegi, periculosum est. *Emend.* Ex delectis deligi.	ibid. 25.
	Cap. V.	
44. b. 24.	Sedetiones. *Emend.* Seditiones.	116. 1. Em.
ibid. 28.	Oncstitutione. *Emend.* Constitutione.	ibid. 4. Em.
45. b. 17.	Improbus atque probus pariter donantur honore. *Emend.* Pars manet ignavum par fortiter arma cienti.	117. 25.
46. 7.	Ut magni honores discernantur. *Emend.* Decernantur.	118. 10.
ibid. b. 17.	Et inexplibili appetentia. *Emend.* inexplebili.	119. 15. Em.
47. 4.	Pertinere debet. *Emend.* Debent.	ibid. 33.
	Cap. VI.	
48. b. ultim.	Illud primum abjici posse. *Emend.* Objici.	126. 1.
49. b. 3.	Et in militibus alimentum suggerant. *Emend.* Et militibus.	ibid. 40.
ib. ult. et 50. 2.	An civitatibus leges a majoribus acceptas, si qua sit alia melior, mutare conducat, *Emend.* An civitatibus conducat leges a majoribus acceptas, si qua sit alia melior, mutare.	127. 30.

Qua

Edit. Par.		Edit. Matr.
50. 6.	Qua de re qui in hanc mentionem incidimus. *Emend.* Quoniam in hanc mentionem.	ibid. 37.
ibid. penult.	Qui ut in ceteris artibus, sic in doctrina civili fieri non potest. *Emend.* Quoniam ut in ceteris artibus. Matrit. quia	128. 23. Em.
ibid. b. 1.	Nacesse est. *Emend.* Necesse est.	ibid. 26. Em.
	Cap. VII.	
52. 26.	Aliquid sit ad optimam reipub. formam spectantibus institutam. *Emend.* Institutum.	134. 11.
ibid. b. 6.	Et a Thessalis initio penestae adsciverant. *Em.* Desciverant.	ibid. 28. Em.
53. antep.	Licurgus. *Emend.* Lycurgus.	136. 19.
ibid. b. 3.	Nam si quid ad mulieres pertinet, perperam fuerit institutum. *Emend.* Nam si quod.	ibid. 25.
ibid. 7.	Ad haec enim patrimoniorum inaequalitas. *Emend.* Ad haec etiam patrimoniorum inaequalitas.	ibid. 30.
ibid. 20.	Propter dotum, quae largitur dicuntur magnitudinem. *Emend.* Quae largiter dicuntur, magnitudinem.	137. 15.
54. 10.	Nonnihil est horum malorum emendatio in contraria. *Emend.* horum malorum emendationi contraria.	138. 4.
ibid. 21.	Homines pauperrimi ad imperium adciscantur. *Emend.* Ad imperium adsciscantur.	ibid. 18.
ibid. b. 4.	Certe est reipub. rationibus. *Emend.* Certe utilis est reipub. rationibus.	ibid. 33.
55. 15.	Hanc senatores diligendi rationem inivit, cum nemo non ambitiosus imperio se praefeci petat. *Emend.* Senatores deligendi . . . se praefici petat.	140. 26.
ibid. b. 5.	Legumlatori voluntati contrarius. *Emend.* Legumlatoris.	141. 15.
ibid. 7.	Qui nimia paupertate praemitur, particeps esse non facile possit. *Emend.* Cum qui nimia paupertate premitur.	ibid. 18.
ibid. 16.	Non injuria reprehendes. *Emend.* reprehendas.	ibid. 29.
ibid. 21.	Imperio petiti, perierunt. *Emend.* Imperio potiti.	ibid. 34. Em.
	Cap. VIII.	
59. 9.	Tamen pauca non prius. *Emend.* Non pejus.	149. 1.
ibid. 18.	Qui autem in coloniam venerunt. *Emend.* Venerant.	ibid. 12.
ibid. 21.	Ut minus ea legum decreta primus instituisse videatur. *Emend.* ut Minos.	ibid. 15.

Ibi

Edit. Par.		Edit. Matr.
ibid. ultim.	Ibi ad Caminum e vita migravit. *Emend.* Ibi ad Camicum.	150. 3.
60. 11.	Ex iis qui Cosmi cum magistratum. *Emend.* Qui Cosmicum.	151. 1.
	Cap. IX.	
62. b. 9.	Oportere censuit. *Emend.* Oportere censent.	156. 22.
	Cap. X.	
65. b. 24.	Habuitque pravos duces curae popularis captatores. *Emend.* Aurae popularis.	162. 3.
66. 3.	Chorondas. *Emend.* Charondas.	ibid. 17. Em.
ibid. 15.	Erat autem Philolaus ex Bacchiadarum genere. *Emend.* Ex Bacchidarum genere.	163. 1. Em.
ibid. 28.	Tum de filiorum procreatione. *Emend.* Tum de filiorum adoptione.	ibid. 16.
ibid. 29.	Quas leges illi theticas appellant, quasi positivas. Duo verba *quasi positivas*, deleta sunt.	ibid. 17.
ibid. b. 22.	Andromachus. *Emend.* Androdamas.	164. 7.
	IN LIBRO III.	
	Cap. I.	
68. b. 25.	Civis non loci babitatione censetur. *Emend.* Habitatione.	168. 21. Em.
69. 20.	Cujusmodi sunt judex et consultator. *Emend.* Et consultor.	169. 19.
ibid. b. 13.	Ut vero in aliis fieri quidem possit. *Emend.* Ut vero in aliis, fieri quidem possit.	170. 26.
70. b. 8.	Quasi quaedam Respublica. *Emend.* Respublicae.	172. 33.
	Cap. III.	
75. 7.	Unum autem civilem prudentem esse. *Emend.* Virum autem.	181. 23. Em.
ibid. 25.	Et parenti dicenda esse. *Emend.* Discenda esse.	182. 15. Em.
ibid. b. 29.	Justicia. *Emend.* Justitia.	183. 20. Em.
77. 7.	Et eum potissimum esse civem, qui honorum ac magistratuum est particeps, ut fecit Homerus. Sed sicubi quiddam tale celatur, hoc fit cohabitantes fallendi gratia, utque inhonoratum externumque rejecit. Nam velut inquilinus est is, &c. *Emend.* Est particeps, ut Homerus carmine docuit, *Me velut expertem quemdam tractavit honorum,* *Externum tamquam.* Sed sicubi quiddam tale celatur, hoc fit cohabitantes fallendi gratia. Nam velut inquilinus, &c.	185. 28.

Cap.

Edit. Par.		Edit. Matr.
	Cap. IV.	
79. b. 11.	Prout quisque potest recte vivendi particeps esse. *Emend.* Prout quisque recte vivendi partem nactus est.	192. 24.
	Cap. V.	
81. b. 12.	Vel multorum arbitrio gubernantur. *Emend.* Gubernentur.	197. 5.
	Cap. VII.	
87. b. 14.	Ut cibus impurus cum syncero temperatus. *Emend.* sincero.	209. 13.
88. 6.	Magistratuum nec dilectio nec correctio. *Emend.* Nec delectio.	210. 5. Em.
88. b. 6.	Senator, popularis, consultor et judex. *Emend.* Senator, popularis consultor, et judex.	ibid. 39.
ibid. 19.	Quamquam recte conditae leges. Cujusmodi esse debeant. *Emend.* recte conditae leges cujusmodi esse debeant.	211. 10.
	Cap. IX.	
94. b. 3.	Argonautorum fabulae. *Emend.* Argonautarum.	224. 12.
95. 10.	Ut monachae cum civitatibus concinant. *Emend.* Ut monarchae.	225. 22. Em.
	Cap. X.	
97. b. 16.	In bellicis expeditionibus lege praebente potestatem, ut declarat Homerus. *Emend.* In bellicis expeditionibus indicta causa, ut declarat Homerus.	230. 14.
ibid. 24.	Me penes arbittium cum sit. *Emend.* Me penes arbitrium necis.	ibid. 23.
98. 11.	Tyranni contra : cives praesidio muniuntur. *Emend.* Tyranni contra cives praesidio muniuntur.	231. 9.
ibid. ult.	Geroicorum temporum. *Emend.* Heroicorum.	ibid. 31. Em.
ibid. b. 10.	Erat autem jujurandum. *Emend.* Jusjurandum.	232. 6.
	Cap. XI.	
99. b. 17.	Primum illum heroicorum temporum. *Emend.* Primum illud.	234. 25. Em.
100. 12.	Unum esse reorum omnium dominum. *Emend.* Rerum omnium.	235. 23. Em.
ibid. 16.	Cum spes Reipublicae sit disserere. *Emend.* Cum species Reipublicae sit, disserere.	ibid. 27. Em.
101. 1.	Corruptioni patebant. *Emend.* Patebunt.	237. 19.
ibid. 17.	Ceterum cum in deterius labentes caepere Rempublicam habere quaestui, credibile est huic cum divitiae essent in honore, paucorum principatus extisse. *Em.* Coepere Rempu-	ibid. 38.

Edit. Par.			Edit. Matr.	
		publicam habere quaestui, credibile est hinc, cum divitiae essent in honore, &c.		
		Cap. XII.		
103.	25.	Et item Opunte, cum minore tamen potestate ex parte, sed de regno, quod plenum dicitur. Hoc autem est quo sua voluntate cuncta Rex moderatur, quibusdam ut unus principatum teneat, in cives omnes: ubi civitas ex similibus consistit, praeter naturam esse videtur. *Em.* Cum minore tamen potestate ex parte. Sed de regno, quod plenum dicitur, (hoc autem est quo sua voluntate cuncta Rex moderatur,) quibusdam, ut unus principatum teneat in cives omnes, ubi civitas ex similibus consistit, praeter naturam esse videtur.	242.	5.
ibid.	ult.	Pernitiosum. *Emend.* Perniciosum.	ibid.	13. Em.
104.	23.	Ast duo congressi. *Emend.* Ast duo si vadant simul.	244.	14.
105.	16.	Ab his qui virtute excellunt, gubernari: ad imperium civile multitudo Reip. conveniens est, in qua &c. *Emend.* Ab his, qui virtute excellunt, ad imperium civile gubernari. Multitudo Reipublicae conveniens est, in qua &c.	245.	38.
ibid. b.	4.	Natura, quae partem toti praeferri non sinit. *Emend.* praestare non sinit.	246.	17.
ibid.	20.	Quae vel optimatum administrationem, vel regio imperio gubernetur. *Emend.* Administratione.	ibid.	36. Em.
		IN LIBRO IV.		
		Cap. I.		
108.	19.	Divitissime conservari. *Emend.* diutissime.	252.	2. Em.
ibid.	25.	Nam plerisque eorum. *Emend.* Nam plerique eorum.	ibid.	9. Em.
		Cap. II.		
110. b.	6.	Et maxime diviva. *Emend.* Divina.	255.	34. Em.
111.	2.	Quomodo debeat, si quis velit has respublicas constituere. *Emend.* Si quis velit, has respublicas constituere.	256.	30.
ibid.	4.	Rususque paucorum potentias, postremo cum breviter de his omnibus, quatenus licebit, brevi memoraverimus. *Emend.* Rursusque paucorum potentias. Postremo, cum breviter de his omnibus, quatenus licebit, memoraverimus.	ibid.	33.

Cap.

Edit. Par.		Edit. Matr.
	Cap. III.	
ibid. b. 27.	Exempli gratia, aequorum alendorum. *Em.* Equorum quos alunt.	258. 17.
	Cap. IV.	
113. b. 9.	Locupletum vero parvus. Eo quidem modo. *Emend.* parvus. Nam eo quidem modo.	262. 2.
ibid. penult.	Et pauperum (qui plures numero sunt) *Emend.* sint.	ibid. 25.
114. 1.	Nobiliores (qui pauci sunt) *Emend.* sint.	ibid. 28.
115. 3.	Accidit, ut idem et milites sint, et agros colant. *Emend.* Ut iidem.	264. 25.
116. 8.	Aliud, ut cujus magistratum gerere liceat. *Emend.* Ut cuivis.	266. 26.
ibid. 26.	In praecio sint. *Emend.* In pretio.	267. 10.
	Cap. V.	
119. penult.	Qui ad eam sensus magnitudinem pervenerint. *Emend.* Ad eam census magnitudinem.	271. 39. Em.
	Cap. VI.	
120. b. 16.	Abunde etiam vestigalibus suppetentibus. *Em.* vectigalibus.	274. 25. Em.
121. 4.	In otio vinant. *Emend.* In otio vivant.	275. 21. Em.
	Cap. VII.	
122. b. 2.	Obligarchiam. *Emend.* Oligarchiam.	277. 20. Em.
ibid. 23.	Sunt tamen quidam, quos fama commendat. *Emend.* In his tamen sunt quidam.	278. 13.
	Cap. VIII.	
123. b. 23.	Est igitur causa, quoniam status optimatum optimis quibusque civibus praestantiam tribuere solet: et paucorum potentia ex virtute praestantibus potius videtur constare. *Emend.* Quoniam igitur status optimatum optimis quibusque civibus praestantiam tribuere solet: ideo paucorum potentiam ex virtute praestantibus potius constare dicunt.	280. 21.
ibid. 28.	Non quae optimis. *Emend.* Non quae ab optimis.	ibid. 27.
124. 22.	Reipubblicae. *Emend.* Reipublicae.	281. 20. Em.
	Cap. IX.	
125. b. 14.	Ex ea quae pertinent. *Emend.* Pertinet.	284. 13. Em.
ibid. 20.	Reipublilae. *Emend.* Reipublicae.	ibid. 19. Em.
	Cap. XI.	
127. b.	Novem hujus capitis XI. priores lineae ad illa verba *uti posset*, hoc modo sunt emendatae: Sed rogo quaenam est optima respublica, quae optima vita plerisque civitatibus	283.

Edit. Par.			Edit. Matr.	
		bus, et plerisque hominibus, non ad egregiam virtutem, nec ad institutionem, quae res naturam adjumentaque fortunae desiderant, nec ad rempublicam, quae optari posset, spectantibus; sed ad vitam, quae plerisque communis esse valeat, et ad rempublicam, qua uti queant pleraeque civitates: nam qui status optimatum vocantur, &c.		
128.	8.	Ut de utrisque sit, tamquam de una, disputandum. *Emend.* Ut de utraque.	289.	5.
ibid.	10.	Ex eisdem principiis faciendum. *Emend.* Ex eisdem elementis.	ibid.	7.
		Cap. XII.		
131.	28.	Quam superantur quali. *Emend.* Quam superentur.	296.	23.
ibid. b.	26.	Quibus est optimatum respublica constituere propositum. *Emend.* Quibus est optimatum rempublicam constituere propositum.	297.	29.
		Cap. XIII.		
132. b.	19.	Ut divites nisi indicia obierint. *Emend.* Judicia obierint.	300.	18. Em.
133.	11.	Ut omnibus reip. communicetur. *Emend.* Respublica communicetur.	301.	14. Em.
ibid.	15.	Definiri simplibiter non potest. *Emend.* Simpliciter.	ibid.	19. Em.
		Cap. XIV.		
134.	30.	Utque respulica pro harum partium discrimine *Emend.* respublicae.	305.	8.
ibid. b.	22.	Aut de republica velut audiant *Emend.* aut de republica, vel ut audiant, quae &c.	306.	3. Em.

IN LIBRO V.

		Cap. I.		
143. b.	pen.	Ad Helisam *Emend.* Ad Heliaeam.	327.	22. Em.
144.	6.	Inaequale est, si habeatur in pares *Emend.* iniquum est, si.	ibid.	30.
		Cap. III.		
147.	26.	Cum prave administretur respublica *Emend.* administraretur.	336.	14.
ibid. b.	6.	Duabus palmis pateat. *Emend.* duobus.	ibid.	26.
ibid.	13.	Et a Iapigibus deleta. *Emend.* a Iapygibus.	337.	3.
ibid.	17.	Conscisi. *Emend.* concisi.	ibid.	7. Em.
ibid.	22.	Hoc quoque rarius quidem accidit, tamen in statibus popularibus. *Emend.* rarius quidem, accidit tamen in statibus popula-	ibid.	13.

la-

EDIT. PAR.			EDIT. MAT.	
		laribus,		
ibid.	ultim,	Suffragio adciscebantur. *Emend.* adsciscebantur.	ibid.	22.
148.	21.	Idem accidit cum inquilinis. *Emend.* accidit cum simul habitantibus.	338.	4.
		Cap. IIII.		
150.b.	28.	Propter puellam etiam orta seditio est. *Emend.* puellam locupletem orbam.	346.	20.
151.b.	11.	Nisi genere Reipublicae. *Emend.* in omni genere Reipublicae.	347.	35.
		Cap. V.		
153.b.	27.	Ut Myleti ex prytatania. *Emend.* ut Myleti ex prytania.	353.	28.
		Cap. VI.		
155.b.	24.	Quoniam saffragio plebis deligebantur *Emend.* suffragio.	358.	26.Em.
		Cap. VII.		
159.b.	11.	Cum aliquis a fortitudine praestans. *Emend.* cum aliquis fortitudine praestans.	367.	18.
		Cap. VIII.		
164.	12.	Egenorum multitudo cum oppulentis. *Emend.* cum opulentis.	379.	1.Em.
ibid.b.	21.	Graviori poena santiendum. *Emend.* sanciendum.	380.	7.
ibid.	22.	Si quis ipsorum contuliam inferat. *Emend.* contumeliam.	ibid.	8.
		Cap. IX.		
167.	27.	Postremo, ut nec respublica quidem sit. *Emend.* ut ne respublica.	391.	10.
168.	12.	Cujus causa est parva libertatis definitio. *Emend.* est prava libertatis definitio.	392.	21.
		Cap. X.		
170.	4.	Ut populum injuriis eorum prohiberet. *Emend.* injuriis nobilium prohiberet.	399.	2.
ibid.	14.	Curam diuturniores constituebant. *Emend.* curam diuturniorem.	ibid.	14.
ibid.	21.	In tyrannidem convertunt. *Emend.* in tyrannidem converterunt.	ibid.	22.
172.	9.	Dedario timens. *Emend.* de Dario timens.	403.	17.Em.
173.	9.	Siracusani. *Emend.* Syracusani.	405.	13.Em.
		Cap. XI.		
177.	1.	Ut id quodammodo minus, sed majus effecerit. *Emend.* non minus.	423.	16.
ibid.	pen.	Hoc est, ausultatores *Emend.* auscultatores.	424.	12.
179.	10.	Ut facile contematur. *Emend.* contemnatur.	427.	20.Em.

EDIT.	PAR.		EDIT.	MAT.
180.	3.	Itaque maxime caveri debet. *Emend.* caveri debent.	428.	41.
ibid.	5.	Auctore Hereclito. *Emend.* Heraclito.	ibid.	44.Em.
		Cap. XII.		
183. b.	27.	Cum populariter administratur. *Emend.* administretur.	448.	22.

IN LIBRO VI.

EDIT.	PAR.		EDIT.	MAT.
		Cap. I.		
185. b.	25.	Tribunalia vero optimatum Reipulicae. *Emend.* Reipublicae.	459.	19.Em.
186.	26.	Videntur. Haec composita. *Emend.* videntur, haec composita.	460.	13.
		Cap. II.		
188.	11.	Secundum numerum status. *Emend.* secundum numerum , status.	465.	35.
ibid.	12.	Et populus existit. *Emend.* et populus , existit.	466.	1.
		Cap. IV.		
190. b.	pen.	Paucorum potentiae. *Emend.* paucorum potentias.	476.	2.
		Cap. V.		
194. b.	2.	Oportet praesidium , tutior sit respublica, comparare. *Emend.* quo tutior sit respublica.	490.	19.Em.
195.	11.	Rususque indigent eodem. *Emend.* rursusque.	491.	31.Em.
		Cap. VI.		
196. b.	17.	Ad navigantium instructa. *Emend.* ad navigandum.	499.	5.Em.
		Cap. VII.		
197.	30.	Ubi ager compestris est. *Emend.* ager campestris.	502.	24.Em.
		Cap. VIII.		
200.	18.	Hic ergo praeter hos omnes magistratibus alii complures sunt , alicubi pauciores *Emend.* Hic ergo in his omnibus plures magistratus sunt , illic pauciores.	510.	20.

IN LIBRO VII.

EDIT.	PAR.		EDIT.	MAT.
		Cap. I.		
203. b.	9.	Sed has virtutes parere homines atque tueri videamus. *Emend.* has virtute parare homines.	520.	21.
		Cap. II.		
206. b.	18.	Hinc ex poculo , quod in solemni quodam epulo circumferebatur , bibere non licebat.	529.	30.

EDIT. PAR.		EDIT. MAT.
	bat. *Emend.* huic ex poculo.	
ibid. 25.	Perabsurdum fotasse videatur. *Emend.* fortasse.	ibid. 38.Em.
	Cap. III.	
208. pen.	Confirmant, quoniam utrique partim recte partim perperam edisserunt. *Emend.* confirmant, quod utrique.	537. 9.
ibid. b. 25.	Et hoc perperam ponittur ab eis. *Emend.* ponitur.	538. 11.Em.
209. 9.	Qua sit ad agendam instructus. *Emend.* ad agendum.	ibid. 28.Em.
ibid. 11.	Tum publicae cujusque civitatis *Emend.* tum publice	ibid. 31.
	Cap. IV.	
211. 19.	Jacienda sunt disseramus. *Emend.* jacienda sint.	545. 15.
212. 14.	Modo in statum commodum delabetur. *Emend.* modo in statum incommodum	547. 9.
ibid. b. 4.	Et judicare ad judicandum. Porro de justis, et magistratus pro dignitate mandandos. *Emend.* et judicare. Ad judicandum porro de justis	ibid. 32.Em.
ibid. 6.	Cognoscat inter se necesse est. *Emend.* cognoscant.	ibid. 35.Em.
	Cap. V.	
214. 13.	Ad ferandam opem. *Emend.* ad ferendam opem.	555. 30.Em.
	Cap. VI.	
ibid. b. 13.	Ut hostibus obsistatur, eos, quorum saluti consulitur. *Emend.* ii, quorum saluti.	559. 9.
	Cap. VIII.	
218. 23.	Quod fiat domui animi structore commune. *Emend.* domui cum structore.	569. 22.Em.
ibid. 25.	Ipse tamen in civitatis parte non numerantur. *Emend.* ipsae.	570. 1.Em.
ibid. 28.	Optimae, quoad ejus fieri potest, vivendi causa conflata. *Emend.* optime.	ibid. 4.
ibid. b. 2.	Discrimina cinitatis. *Emend.* civitatis.	ibid. 10.Em.
ibid. 12.	Ut detractantes coërceantur. *Emend.* detrectantes.	ibid. 23.Em.
	Cap. IX.	
219. b, 20.	Reliquum est, ut utrum haec omnia ab omnibus obiri debeant. *Emend.* reliquum est, ut num haec omnia.	571. 13.
220. 5.	Justos sortita est. Civium vita nec forensis sit. *Emend.* sortita est, civium vita.	572. 6.Em.

Cap.

EDIT. PAR.			EDIT. MAT.	
		Cap. X.		
222.	23.	In Italia vero multo vetustior. *Emend.* multo vestustius.	574.	24.
ibid.	27.	Dimidiati diei itinere distantes. *Emend.* itinere inter se distantes	575.	1.
223.	25.	Non omnes ejusdem rationis. *Emend.* ejusdem nationis.	576.	36.
		Cap. XI.		
224. b.	15.	Proximae ab his quae in Aquilonem vergunt. *Emend.* Proxime	577.	24.
225.	4.	Ventorumque vis talem naturam obtinent. *Emend.* obtineat.	578.	19. Em.
		Cap. XII.		
227.	7.	Si eminentiam probe ad virtutis situm accommodatum habeat. *Emend.* accommodatam habeat.	580.	27. Em.
		Cap. XIII.		
229.	21.	Causam esse putat. *Emend.* causam esse putet.	584.	21.
ibid. b.	19.	Ut tractatabiles se docilesque legumlatori praebeant. *Emend.* tractabiles.	586.	2. Em.
		Cap. XIIII.		
232.	21.	Et eo cujus gratia gratia fiunt. *Emend.* cujus gratia fiunt.	588.	7. Em.
		Cap. XV.		
236.	22.	Animae partes duas esse , rationi expertem. *Emend.* rationis.	593.	12. Em.
		Cap. XVI.		
238.	29.	Fere una provisione continget. *Emend.* contingent.	595.	16. Em.
ibid. b.	1.	Debet autem conjunctionis initium per aetatem in haec tempora congruere. *Emend.* debet conjunctionis initium.	ibid.	19.
		Cap. XVII.		
241. b.	24.	Providendum est in adolescentibus , ne quid tale vel dicant , vel audiant. *Emend.* providendum est in pueris , ne quid.	600.	4.
		IN LIBRO VIII.		
		Cap. I.		
243. b.	10.	Sua est administratio dirigenda. *Emend.* administratio accommodanda.	602.	14.
ibid.	22.	Eademque cura et procreatio. *Emend.* cura et procuratio.	ibid.	28.
		Cap. II.		
244.	25.	Sed neque illud satis constat , ad mores a-	603.	23.

ni-

EDIT. PAR.		EDIT. MAT.
	nimae, an ad intelligentiam potius institutio sit dirigenda. *Emend.* Sed neque illud satis constat, utrum ad intelligentiam potius institutio sit accommodanda, an ad mores animae.	
ibid. b. 5.	Sed cum liberalia illiberalibus divisa sint. *Emend.* liberalia ab illiberalibus.	604. 7.
	Cap. III.	
245. b. 9.	Et multifariam commodas. *Emend.* commodae.	605, 10.
246. b. 22.	In promtu sit intelligere, Ex his palam fit oportere. *Emend.* intelligere; ex his palam fit, oportere.	607. 40.
	Cap. IV.	
248. 16.	Dum assidue laboribus exercentur. *Emend.* exercerentur.	609. 4.
	Cap. V.	
251. b. 13.	Sed qui musicae non ob hanc solum. *Emend.* Sed quia musicae.	613. 19.
252. pen.	Cum ipsa statim concentuum natura. *Emend.* cum in ipsa.	615. 7.
ibid. b. 15. et 17.	Adulescentes. *Emend.* adolescentes.	ibid. 26. et 29.
	Cap. VI.	
254. b. 8.	Huc accidit, quod pueros oportet esse. *Emend.* Huc accedit, quod	616. 25. Em.
255. 4.	Adulescentes. *Emend.* adolescentes.	617. 20. Em.
ibid. b. 26.	Quae ad certamina pertinent, in qua qui agit. *Emend.* pertinet.	618. 44.
	Cap. VII.	
257. b. 5.	Certamina spectacula quae sunt. *Emend.* spectaculaque sunt.	621. 15.
258. 6.	Adulescentes. *Emend.* adolescentes.	622. 12. Em.

MIrum nemini videri debet, si in hoc indice emendationum quam plurimas videat, quae nihil aliud sunt, quam menda typographica ab operarum incuria profecta, atque ejusmodi, ut cuivis legenti cognitu sint facilia, neque Aristotelis sententiam immutent aut perturbent. Cujusmodi sunt *ineatur*, pro *ineantur*: *suppellex*, pro *supellex*: *mornarchia*, pro *monarchia*: *exssitit*, pro *exstitit*: *emittuntur*, pro *enituntur*, et alia hujus generis. Nam pleraque hujusmodi menda in exemplari Vascosaneo, quo usi sumus, et de quo jam

an-

EDIT. PAR. EDIT. MAT.

antea mentionem fecimus, Sepulvedae ipsius manu aut ejus librarii sunt emendata: quibus et nos alia nonnulla addidimus, quae codicem perlustrantes obiter offendimus. Sed id eo potissimum consilio fecimus, ut palam lectoribus fieret incuria typothetarum, et supina oscitantia in corrigendis inter excudendum opus ejusmodi erratis, quae deinceps Sepulvedae dedecori esse possent, et fortasse inscitiae verterentur. Illud vero taciti praeterire non possumus, nonnullas periodos esse ita vitiose interpunctionibus distinctas, ut ad sensum, qui Aristotelis verbis inest, quemque Sepulveda Latine reddendum sibi proposuit, non satis apte sint expressae. Hujusce rei aliquot exempla ex superiore indice peti possunt. Nos vero duo praeterea huc adducemus loca hoc vitio defœdata, non adeo magno intervallo inter se distantia, quorum alterum Sepulveda ne attigit quidem, in altero autem unam tantum litteram emendavit. Ea sunt ex libri III. capite VII. quae ita se habent.

87. b. 27. *Judicium autem tribui peritis, nihilominus quam scientibus solet, atque eadem ratio delectionis esse videtur: nam recte deligere munus est cognitionem habentium, exempli causa, geometram: recte deligere, eorum est qui geometrica noverunt: ut gubernatorem ii recte deligunt, qui gabernare sciunt.* Sed emendandum est, *nam recte deligere munus est cognitionem habentium: exempli causa: geometram recte deligere, eorum est, qui geometrica noverunt.* 209. 28.Em.

88. 12. *Tum quia in nonnullis rebus effector, nec solus nec melius ceteris omnibus judicat. Qui opera cognoscunt, nec artem habent, ut domum cognoscere, non ejus modo est qui eam aedificavit, sed id melius etiam judicabit, qui domo utitur, hoc est paterfamilias, et gubernator, quam faber lignarius. De temone, de epulis, conviva melius quam coquus judicabit.* Qui locus hoc pacto corrigendus est. 210. 12.

est. *Tum quia in nonnullis rebus effector nec solus, nec melius ceteris omnibus judicat, qui opera cognoscunt, nec artem habent. Ut domum cognoscere non ejus modo est qui eam aedificavit, sed id melius etiam judicabit, qui domo utitur: hoc est, paterfamilias: et gubernator, quam faber lignarius de temone: de epulis conviva melius quam coquus judicabit.*

Hujus generis sunt fortasse alia quam plurima, quae nostros oculos emendationes hasce accurate perquirentium effugisse arbitramur. Neque enim id unum agebamus, ut omnia emendatu digna annotaremus; sed quae ipse interpres emendasset. Non igitur miramur, quod Sepulveda ad Vascosanum scribens (epist. 78. edit.Salm.) ejus vigilantiam magnopere desideret, qui inter initia nonnihil dormitasset, cum ipse menda non pauca librum percurrendo viderit, et adnotarit, quibus, ut epist. 86. ait, librarii hoc opus multis in locis depravarunt. Atque de his hactenus. Nunc emendationes et additiones ejusdem auctoris in scholia huic versioni adjecta recenseamus.

JO. GENESII SEPULVEDAE

In scholia ad octo Politicorum Aristotelis libros emendationes et additiones.

Numerorum, qui ad editionem Parisiensem remittunt, prior folium, posterior paginae lineam, ut antea; qui vero ad editionem Matritensem, prior paginam, posterior scholion eodem numero notatum designat. Scholiorum loca in hoc indice exhibentur non ut antea vitiose excusa sunt, sed prout ab auctore, ut videtur, ad alteram editionem sunt emendata.

IN LIBRO I.

Editio Paris. Fol.	lin.		Editio Mat. Pag.	schol.
		Cap. I.		
2. b.	33.	Simili huic principio exorsus est libros de moribus ad Nicomachum.	2.	2.
3. b.	10.	Ita cum civitas ex vicis domibusque constet, sitque finis dictarum omnium societatum et communionum: fieri tradit, ut civitas multo etiam magis natura consistat, cum sit finis illarum.	3.	10.
ibid.	28.	Ferreum instrumentum multis usibus accommodatum.	ib.	14. Em.
		Cap. II.		
5. b.	2.	*Vivendi gratia fiat.*	9.	3.
6.	4.	*Solivagae sunt aves.*	10.	14. Em.
ibid.	6.	*Sermonem et rationem tribuit.*	ibid.	15.
ibid.	13.	Nunc eamdem natura potiorem esse declarat.	ibid.	17. Em.
ibid.	21.	Fieri, inquit, non potest, ut virtute quisquam male utatur.	11.	19.
ibid.	29.	Habitus electivus in mediocritate ad nos relata consistens.	ibid.	eod.
		Cap. IV.		
12. b.	19.	Nam cum reges vel magistratus suffragio populi deliguntur.	31.	5.
		Cap. V.		
15.	ultim.	Instituta ratio seu modus poscit.	40.	2. Em.
ibid. b.	9.	Lacuna, quae collectitiam ex pluviis aquam stagnantem torpentemque continet.	41.	3.
ibid.	26.	Totum scholion ultimum hoc modo est emendatum:	42.	9.

Quam

Edit. Par.			Edit. Mat.	
		Quam partem adesse oportet. Aut hoc quaestuariae facultatis naturale genus, quae pars est oeconomicae, adesse debet patrifamilias atque homini civili; aut si non adsit, ab eisdem parari, ut per id res necessariae ad vitam, et civitati domuique commodae ab ipsis per se vel administros parentur.		
		Cap. VI.		
18.	29.	Qui cum commutatur nummo, non quia corium est, commutatur.	47.	4.
		Cap. VII.		
21. b.	27.	Itaque diversa est tum a familiari, tum a civili facultate.	56.	1.
22.	12.	Id est, nummus per foenus nummum auget.	57.	4.Em.
ibid.	25.	Commodior tamen esse videtur scriptura et intelligentia prior, quam secutus est interpres.	ibid.	5.Em.
ibid. b.	5.	Tertium quod his duobus est interjectum.	ibid.	6.Em.
23.	18.	Quod vere fit, ut ex his possit futura copia praecognosci.	60.	17.
		Cap. VIII.		
26. b.	5.	Praefectus civitatis quamdiu praeest privatis, ornatu et cultu differt.	66.	5.

IN LIBRO II.

Edit. Par.			Edit. Mat.	
		Cap. I.		
30.	22.	Nullam esse docet, quae non indigeat correctione.	77.	1.Em.
ibid. b.	10.	Quae dicitur optima ex positione, seu suppositione.	78.	2.
31. b.	3.	Et artem rhetoricam Theodectis, a Theodecte: non ut ab illis tamquam auctoribus proditi libri viderentur.	80.	20.
		Cap. II.		
34.	2.	*Nunc non ita loquerentur.* Haec duo scholia apponenda sunt infra ad lineam 13, post verbum *appellabit.*	84.	4. Em.
		Cap. III.		
38. b.	24.	*Sed maxime tales.*	92.	5.
39.	11.	*Cuncta enim fere inventa sunt.*	95.	14.
ibid. b.	25.	Fieri ergo potest, ut totus numerus sit par.	97.	25.Em.
		Cap. IV.		
42. b.	28.	Opus autem de legibus maxima ex parte leges sunt.	104.	5.Em.

Edit. Par.			Edit. Mat.	
43.	19.	Ut si hostes injuriam agros vastando, aut incursionibus infestando, ac praedas agendo per occasionem intulerint, metuant tamen, ne postea injurias persequentibus poenas luant.	106.	14.
ibid. b.	25.	Area domus est spatium terrae.	107.	23.Em.
ibid.	27.	*Cum ex iis qui arma tenent, constituatur.*	108.	25.
		Cap. V.		
47. b.	4.	A Plutarcho traditur in Solone.	116.	5.
48.	7.	Potissima ratio seditionum occasiones tollendi.	119.	17.
		Cap. VI.		
51.	6.	Cum vel milites agricolae fiant, vel agricolae intolerabili onere graventur.	124.	1.
ibid.	21.	Sed suspicor mendum subesse librariorum.	ibid.	4.Em.
ibid. b.	10.	Si agricolae non solum agros suos privatos, sed etiam publicos, unde milites alantur, colant.	126.	12.
52.	5.	Cum genus humanum incepit, tunc renovatum esse videri volebat.	128.	17.
ibid.	16.	*Consuetudo imperantibus non parendi.* Legibus non obtemperandi. Nam ut Princeps in regno, et summi magistratus in ceteris rebuspublicis ea constituere ac imperare debent et solent, de quibus lege caveri nequit: sic leges, ubicumque servantur, dominari et imperare dicuntur, et debent in iis, de quibus lege sanciri potest, ut ipse docet lib. 3. cap. 7.	129.	20.
		Cap. VII.		
56.	32.	Socia scilicet arma hostibus adjungendo.	134.	4.
ibid. b.	17.	Amisso Rege Cleombroto.	136.	15.
ibid.	pen.	Sed quid recte factum sit et institutum, et quid secus, disputatur.	ibid.	16.
57.	22.	Puellae, ad quas, cum nullos habeant fratres.	137.	18.Em.
ibid.	33.	Plutarchus in Agesilao et Demosthene Spartanorum civium sortes &c.	ibid.	21.
58. b.	1.	Quoniam utrosque magistratus ἀνευθύνους, id est, sine correctione intelligere licet.	140.	34.
ibid.	31.	Auctore Platone omnia ad bellicam laudem et victoriam, quasi ad finem referri, ideoque bellicam virtutem vel solum, vel maxime coli: cujus interpretationis ut rationem reddat, &c.	141.	40.

Sed

Edit. Par.			Edit. Matr.	
59.	2.	Sed errant in eo, quod victoriam et laudem bellicam atque divitias, quae inde sequuntur, anteponunt virtuti.	142.	42.
		Cap. VIII.		
61.	5.	Et sine correctione et controversia dijudicant.	149.	1.
		Cap. IX.		
64.	8.	Ephori ex omni populo poterant, sed ex plebeis et vulgaribus magna ex parte creabantur.	155.	4.
ibid. b.	ult.	*Quidquid autem Reipublicae principes.*	157.	13.
65.	5.	Quamvis, inquit, non consuleretur proborum hominum egestati.	ibid.	15.
		Cap. X.		
67.	7.	Et philosophos, qui leges scripserint, recenset.	160.	1.
ibid.	21.	Tres respublicae depravatae inter se cognatae sunt.	161.	7. Em.
ibid. b.	15.	Solon, ut in Sol. et Mar. Cat. refert Plutarchus, maximum primumque censum quingentorum medimnorum esse voluit.	162.	11.
ibid.	23.	Locros Epicnemidios, qui olim Leleges dicebantur.	ibid.	12.
68.	4.	Totum scholion hoc pacto est correctum: *Quas leges illi theticas appellant.* A verbo θέσθαι. Nam θέσθαι παῖδα, et παῖδα ποιεῖν Graece pro *adoptare filium* dicitur.	163.	17.
ibid.	9.	*Hujus temporis legum latoribus argutior.*	ibid.	19.
ibid.	22.	*Androdamas quoque Rheginus.*	164.	24.

IN LIBRO III.

		Cap. I.		
71.	28.	Hoc loco interjiciendum est Scholion, inferius linea penultima appositum: *Judicii et imperii.* Judicandi, quod fit etiam ferendo suffragium in mandandis magistratibus, et consultandi in conventu populari. Magistratus igitur sive imperia quaedam sunt definita tempore, non perpetua, quaedam indefinita.	169.	12. 13.
ibid. b.	13.	Ut ipse dixit libro secundo, capite ultimo. Consultorem autem, sive consultatorem convertit interpres, &c.	ibid.	15.
ibid.	26.	Nihil nostra intersit, nec ea nos cura solicitet.	170.	17. Em.

Nam

Edit. Par.		Edit. Matr.
72. 22.	Nam quidam civem esse definiunt, qui utroque parente, aut etiam avis civibus natus sit.	171. 26.
ibid. b. 31.	Quasi idem significet injustum et falsum.	172. 32.
	Cap. III.	
77. b. 16.	Ut bonus latro, bonus foenerator, bonus leno dicuntur, qui solertiam habent &c.	180. 4.
78. 26.	Ab iis qui non lintre, aut equo, sed manibus natando ob egestatem flumen trajiciunt.	182. 14.
ibid. ultim.	Non debet servus more artificum appellari. Nam servus domini est servus; dominus autem diversus est a servo.	183. 17.
79. 17.	*Ut Homerus.* Libro Iliados nono. Sunt autem citata verba Achillis ad Ajacem de injuria sibi ab Agamemnone illata expostulantis. Qui se non ut civem egregium, sed ut inhonoratum quemdam et advenam tractavisset. Sed hujus loci scripturam tum in Aldino, tum in ceteris omnibus Graecis exemplaribus, ex quibus hic Romae correctus fuit, praepostere sese habere, declarat manifesta ratio, et codicis testimonium, quem secutus est vetus interpres, qui suo instituto Aristotelem ad verbum convertit. Quibus rebus factum est, ut ego non dubitarem hanc eamdem scripturam in ordinem, quemadmodum supra se habet, redigere.	185. 30.
	Cap. IV.	
80. b. 20.	*Prout quisque recte vivendi partem nactus est.* N. In editione Matritensi ab his verbis *Prout quisque* incipere debet scholion 5. Deinde scholion 5 notandum est numero 6. Atque ita deinceps.	192. 4.
ibid. 25.	Ac ut decet ingenuum hominem. Hanc sententiam pluribus ipse verbis explicat hujus libri capite sexto in extremo.	ibid. 4.
ibid. 26.	In libris aliis extra hos de Republica.	ibid. 6.
ibid. 31.	Ut jure civili periti consueverunt: qui, cum leges ecclesiasticas citant, quae extra jus civile rescriptis Pontificiis continentur, quae *Decretales epistolae* vulgo nominantur, *extra* inquiunt, ac titulum et caput adscribunt. Non enim exoterici sermones seu libri certo ali-	ibid. eod.

ali-

Edit. Par.			Edit. Matr.	
		aliquo genere continentur, &c.		
		Cap. V.		
83.	5.	Si multorum, communi vocabulo Respublica nominatur: nec aliter in hoc opere de Republica a philosopho nuncupatur. Nam in opere de moribus ad Nicomachum libro octavo *Timocratia*, id est, ambitiosa Respublica eadem appellatur. Quod si ad imperantium commoditatem &c.	196.	1.
ibid.	15.	Multi scilicet solent esse praediti, cum sit difficile, ut multi &c.	197.	3.
ibid.	22.	Quia multum viris fortibus indiget Respublica, ut ipse testatur in problemate.	ibid.	eod.
		Cap. VI.		
85.	25.	Imparibus enim imparia deberi: populares autem cum libertate sint divitibus et nobilibus pares, &c.	201.	1.
		Cap. VII.		
89.	14.	Ut suffragio deferre magistratus, eosdemque corrigere, et gesti muneris rationem poscere.	206.	1.
ibid.	penult.	Et pictori data potestate, quam vellet eligendi, Zeuxis elegit quinque.	208.	8.
		Cap. VIII.		
92. b.	29.	Ut jure ipsarum eo plus sibi quisque tibiarum postulet.	216.	8.
93. b.	10.	Ut sit locus delectui, quibus sit imperium deferendum.	218.	16. Em.
		Cap. IX.		
95. b.	25.	Et ceteris, ut idem faciant, tum verbis, tum exemplo praecipiant.	224.	4. Em
ibid.	ult.	Et tunc omnes honoribus et commodis exaequari, vel nobis suffragantibus, postulate.	ibid.	5.
96.	16.	Sed quia Thrasybuli tyranni rationibus conveniebat.	ibid.	8. Em.
ibid.	19.	Cujus non factum dominus, sed solertiam et astutiam, quae prudentiam imitatur, laudavit.	ibid.	eod.
ibid.	26.	Arbactus, sublato Sardanapalo, ad Medos transtulit.	225.	10.
ibid.	31.	Sed quia sic est privatis eorum rationibus utile.	ibid.	12. Em.
ibid. b.	24.	Pro magna ipsius in omnes ordines effusione coëgit.	ibid.	*

Au-

Edit. Par.			Edit. Matr.	
97.	5.	Auctoribus Alcibiade, et Nicia.	226.	15.Em.
		Cap. X.		
98. b.	20.	Nunc regnum Aragonensium.	229.	1.
ibid.	22.	Herile tamen imperium exercent.	ibid.	eod.Em.
99.	9.	Totum scholion hoc pacto est immutatum: *Indicta causa.* Citra causae cognitionem, quod Graece dicitur ἐν χειρὸς νόμῳ, id est, *in manus lege.* Cum enim Princeps, vel dux militem indicta causa perimit, manu pro lege causaeque cognitione utitur. Ut scilicet Covarruvius adnotavit, is qui juris egregiam peritiam Graecarum Latinarumque litterarum doctrina cumulavit. Nam frater Episcopus, vir jurisperitissimus hac disciplinarum parte contentus fuit, quam ita coluit, ut consentiente doctorum judicio laudem eximiam haberet, editis plenioribus commentariis, quibus magno ingenio, magnaque doctrina multas judiciarias quaestiones tractavit, impeditosque juris locos expedivit.	230.	7.
ibid. b.	3.	Estque imperium omne tyranicum herile.	231.	15.Em.
		Cap. XI.		
101. b.	23.	Respublica ad subjectorum commoditatem gubernatur.	234.	1.Em.
102. b.	11.	Et Respublica sive Timocratia.	235.	10.
103.	2.	Multitudinis credentium erat cor unum.	237.	18.
		Cap. XII.		
106. b.	32.	Appetentia sive appetitus, quod graece est ὄρεξις.	243.	14.
107.	15.	Illud Homericum, *Ast duo si vadant simul.*	244.	19.
ibid. b.	5.	Et quidem parva. Aut sensus est, si vir tantus modo imperaret, modo pareret imperio, is esset unus de numero civium, et pars civitatis; atque ita fieret, quod natura non patitur, ut pars totum excellat, cum hic unus virtute praestet omni civitati.	246.	29.

IN LIBRO IV.

		Cap. I.		
109.	25.	*Qui est optime naturalibus adjumentis instructus.*	251.	3.Em.
ibid. b.	11.	Quae sunt theoremata IX, et I. primi elementorum.	ibid.	8.

Cap.

Edit. Par.			Edit. Matr.	
		Cap. II.		
111.	24.	*Secundum virtutem copia rerum necessariarum et commodarum instructam.*	255.	4.Em.
ibid.	31.	Vix potest inter Respublicas etiam depravatas numerari, ut ipse docet libro quarto, c. 8.	256.	5.
ibid. b.	7.	Nam popularem Rempublicam bonarum pessimam, malarum optimam esse dixit.	ibid.	8.
		Hic interjicit auctor sequens scholion.		
		Id est, optima paucorum potentia. Paucorum potentia dixit pro statu optimatum. De bonis enim rebuspublicis verba facit, et status optimatum paucorum optimorum virorum respublica est. Plato igitur popularem rempublicam statu optimatum, et regno, et republica pejorem esse dicebat; meliorem autem tyrannide, et paucorum potentia, quae proprie intelligitur. Quod perperam traditum esse Aristoteles ait &c.		
		Cap. III.		
113.	2.	Ut ipse declarat paulo post capite IIII.	258.	5.
ibid.	17.	Ut auctor est idem Aristoteles Meteorologicorum libro II.	259.	10.
117.	pen.	Hoc in loco interserit auctor hoc scholion.	262.	post
		Sed nec esset status popularis. Id est, δῆμος. Sic scriptum est in omnibus exemplaribus Graecis, quae mihi videre contigit. Si quod tamen pro δῆμος haberet ὀλιγαρχία, commodior sensus videretur, ne bis idem exemplum repeteretur in eodem capite. Nam quod supra dixit: *Si essent omnes mille trecenti* et c. eumdem sensum habet, quem haec oratio: *Sed nec status popularis* et c. In exemplo enim superiore proximoque si quis pro δῆμος reponeret ὀλιγαρχία, ut facere quidam vir doctus meus amicus censebat, sensum corrumperet. Esset enim ejusdem exempli inepta repetitio in eodem capite, cum eumdem sensum habeant verba illa: *si pauci essent egeni* et c. Illud autem certum est, neutrum locum posse falsi convinci, aut inconstantiae, quasi aliquid habeat abhorrens ab	schol.	9.

Edit. Par.		Edit. Matr.
	Aristotelis doctrina: ut contra fidem consentientium exemplarium aliquid mutare, studii magis rerum novarum, quam gravitatis esse videatur.	
118. b. 17.	Itaque nec tyrannis nec respublica popularis proprie sunt in rebuspublicis numerandae.	267. 49.
119. 11.	Immo vero maximum. Nam Rex Laconicus imperium legibus praescriptum ac definitum certis in rebus habet.	268. eod.
	Cap. V.	
120. 6.	*Qui desiderantur, hos ipsi cooptant.*	271. 4.
ibid. 16.	*Alii alios parvis rebus superantes.*	272. 10.Em.
	Cap. VIII.	
125. 12.	*Quoniam igitur status.* Cur scilicet tales Respublicae &c.	280. 11.
	Cap. IX.	
126. b. 2.	*Deinceps de Republica vocata.* Statum civitatis, qui communi vocabulo Respublica dicitur, nec aliter in his libris de Republica ab Aristotele nuncupatur, Plato in libro octavo de Republica *Timocratiam* quasi ambitiosam Rempublicam appellavit, eodemque vocabulo Aristoteles utitur in libro de moribus ad Nicomachum octavo, in cujus capitis enarratione ipsi de hujus vocabuli ratione, convicto publico errore, paulo accuratius disseruimus. Haec igitur Respublica quomodo ex variis generibus, id est, populari, et paucorum potentia constituatur, docet: quod tripliciter fieri posse declarat &c.	283. 1.
ibid. 10.	Partem utriusque in commune conferentes.	ibid. 2.
	Cap. X.	
127. ultim.	Sed omnia unius libidine administrentur.	286. 1.
ibid. b. 25.	In similes habere imperium perpetuum, injustum est.	287. 8.
	Cap. XI.	
130. 15.	*Sed rogo, quaenam est optima Respublica, quae optima vita plerisque civitatibus.* Optima Respublica duobus modis dici potest, altero, ut plerisque civitatibus accommodari potest, et plerisque hominibus ad recte vivendum convenire. Haec autem est quae	288. 1.

ex

Edit. Par.		Edit. Matr.
	ex civibus mediocres divitias habentibus consistit &c.	
ibid. 21.	Itaque civitas ex mediocribus consistens plurimum conservatur, eaque optima est.	ibid. eod.
ibid. 25.	*Quae optima vita plerisque civitatibus.* Dupliciter ergo dicitur optima Respublica: vel quia simpliciter est optima, &c.	ibid. 2.
ibid. b. 5.	In libro vero secundo Ethicorum virtutem in mediocritate quadam consistere declaratum est.	ibid. eod.Em.
ibid. 6.	*Non ad egregiam virtutem.* (Deleto pronomine *qui.*)	ibid. 3.
	Cap. XIII.	
134. 2.	Ut plures numero sint, quibus per censum Respublica patet.	300. 1.
ibid. 11.	Ut milites, qui nomina dant in delectibus militaribus.	ibid. 6.
	Cap. XIV.	
136. 25.	Item de ferendis et abrogandis legibus.	305. 1.
	Cap. XV.	
140. b. 29.	Ut verulucerna, et gladius Delphicus ob ferri penuriam ita fiunt, &c.	314. 14.Em.
ibid. 31.	Hos enim Aristoteles solet πεπαιδευμένους appellare.	ibid. 15.
141. 10.	Totum scholion hoc modo est correctum. *Censu, genere, vel virtute.* Divitiis, nobilitate, aut virtute, aliave re quapiam simili, ut institutione, sive doctrina.	315. 19.
ibid. 20.	Et contractibus, qui inter mercatores exercentur.	316. 21.
	Cap. XVI.	
142. 28.	*Instituta ratione.*	320. 3.Em.
ibid. b. 18.	Haud dubie non ad statum popularem, sed ad paucorum potentiam pertinet.	321. 9.Em.

IN LIBRO V.

	Cap. II.	
146. 28.	Quave persuasione inducti cives in Republica seditiones moliantur.	331. 1.
	Cap. III.	
148. b. pen.	Aut habeant quaestui Rempublicam, aut bona privatorum invadant.	335. 1.
	Cap. IV.	
152. 6.	Principium appellat principes Reipublicae.	345. 4.Em.

Edit. Par.		Edit. Matr.
ibid. 29.	*Insimulantes eum.* Falsis scilicet criminibus.	346. 10.
ibid. b. 16.	Quae causa fuit victoriae Graecorum ex barbaris partae, commisso praelio navali ad Salaminem insulam, &c.	347. 14.
	Cap. VI.	
158. 15.	Corrupte, ut arbitror, scriptum est βασιλίδων id est, Reginarum, pro βασιλιδῶν (aut potius βασιλειδῶν) id est, regiorum.	358. 10.
159. 14.	*Nam saepe cum census fuerit pro ratione temporum definitus.*	361. 34.Em.
	Cap. VII.	
162. 24.	*Continenter esse duces.*	370. 19.Em.
ibid. 32.	Quia talis erat ipsorum Respublica, ut in paucorum potentiam inclinaret.	ibid. 21.
	Cap. VIII.	
165. 21.	Illa quoque cautio cunctis Rebuspublicis communis est, ne quis honoribus et potentia ultra commensum augeatur.	375. 1.
ibid. b. 28.	*Sed ubertate succedente*: εὐπορίας γιγνομένης.	377. 17.
	Cap. IX.	
169. 3.	Incontinens, ut Aristoteles cum aliis locis, tum septimo Ethicorom docet, hoc differt ab intemperante, licet uterque proprie in gulae et veneris voluptatibus versetur, quod intemperans habitum vitiosum jam ingeneratum habet, &c.	390. 7.
	Cap. X.	
174. 10.	Quibus rebus conservari Respublicas, ac vicissim deleri diximus, quas regnum et tyrannis imitantur: eaedem regno tyrannidique salutares sunt, aut perniciosae.	398. 1.
ibid. 22.	Sed cum conspiratio vel in caput Principis, vel in ipsum principatum fiat: quae ex injuriis a contumelia proficiscitur, ea capitalis esse solet.	ibid. eod.
ibid. b. 9.	*Auctis jam civitatibus.* Quae initio rerum erant parvae.	399. 6.Em.
175. 23.	*Conspiratio facta in Pisistratidas.*	401. 29.
ibid. b. 6.	Ultionemque, quam ab adversario non poterat, ab iniquo judice, eodemque Rege exegit, ipsumque interfecit.	402. 31.
ibid. 21.	Ut ipsius scilicet aetate diutius abuteretur.	ibid. 38.
176. 10.	Ac, ut ait Plutarchus in Demet. lata et ubere regione potitus, auctor stirpsque fuit Regum, &c.	404. 47.Em.

Hic

Edit. Par.		Edit. Mat.
ibid. 13.	Hic igitur Mithridates, ut videtur, cum ab Ariobarzane Rege suis copiis fuisset praefectus, &c.	ibid. eod.
ibid. b. 16.	Vel si inviti parere cogantur: jam non erit regnum, sed tyrannis, si Rex, jure exactus, ut Tarquinius Superbus, regnum per vim receperit, et nolentes externo praesidio sibi parere cogat.	406. 63.
	Cap. XI.	
181. 14.	Qui Regibus erat oppositus, ut Romae plebis tribunatus Consulibus.	423. 7.
	Cap. XII.	
184. b. 5.	Ut tyranni quidam ambitiose fecisse traduntur.	445. 3.
	IN LIBRO VI.	
	Cap. I.	
187. 7.	Et desideriis naturalibus uti pro legibus seu principiis naturae.	460. 12.
	Cap. II.	
188. 22.	Hinc enim illa communis sententia nata esse videtur.	463. 1.
ibid. b. 19.	Ut in distributione Reipublicae aequalitas arithmetica, non geometrica servetur.	464. 6.
	Cap. III.	
190. 10.	Ut bini pauperes censu singulos divites aequare videantur.	471. 3.
ibid. 13.	Ut viginti exempli gratia deligantur ex egenis	472. 4. Em.
	Cap. IV.	
192. b. 25.	Rationemque gesti muneris reposcendi potestas permittatur.	475. 1. Em.
	Cap. VIII.	
201. b. 6.	Item Imperatores ducesque bellorum, quibus minores alii magistratus obtemperant.	507. 1.
ibid. 20.	Ac ut res venales aptis locis proponantur, et conveniente justoque pretio vendantur.	508. 4.
202. 29.	*Illic vero pauciores.*	510. 19.
	IN LIBRO VII.	
	Cap. I.	
205. 26.	Sed tamquam instrumenta, ut in artificiis sine instrumentis opus confici non potest. Nam	521. 15.

Edit. Par.		Edit. Mat.
ibid. 32.	Nam quodcumque bonum addas, pars est felicitatis, vel ejus instrumentum. Sed num felicitas possit cum alio bono connumerari, magna quaestio est, et a nobis primum librum de moribus ad Nicomachum capite septimo enarrantibus paulo accuratius tractata.	ibid. eod.
	Cetera quae in hoc scholio verba illa *vel ejus instrumentum* sequuntur, deleta sunt.	
	Cap. IV.	
213. 8.	Ut intelligatur hoc meliorem quamque civitatem seu Rempublicam fore, &c.	545. 2.Em.
	Cap. VI.	
215. b. 11.	Quae supersunt ex iis, quae abunde in regione agroque proveniunt.	558. 1.Em.
ibid. 25.	Et Romae etiam nunc Transtiberina regio	559. 6.
	Cap. VII.	
217. 25.	Sic fervor aestusque solis ingeniosissimos eos, qui solis radiis ad perpendiculum jactis feriuntur.	564. 4.Em.
ibid. b. 20.	Atque eadem pars animae cupiditas dicitur.	565. 9.Em.
ibid. 32.	Vocat autem Aristoteles ἀγρίους, id est, agrestes et intractabiles, quos Plato modo χαλεποὺς, id est, difficiles, modo θυμοειδεῖς, hoc est, iracundos dicit.	ibid. eod.
ibid. ultim.	Archilochus poëta fuit Lacedaemonius.	ibid. 10.
218. 5.	Et minus limatae in confirmando diligentiae desiderans.	ibid. 11.
	Cap. IX.	
220.b. pen.	*Reliquum est, ut num haec omnia.*	571. 1.
	Cap. X.	
224. 1.	*Comessationes tum primum institutas.* Coenas communes.	575. 4.
	Cap. XI.	
226. b. 16.	Qui cum magno exercitu Laconicam regionem hostiliter ingressi.	579. 12.
ibid. 18.	Quo tempore optandum fuit Lacedaemoniis, ut urbem firmissimo muro munitam haberent.	ibid. eod.
	Cap. XIII.	
230. 21.	Si desint bona externa, quae ad fortunam referuntur, ut divitiae, vel bona corporis.	583. 4.
ibid. b. 31.	Tales enim operationes et virtutum usus praeparant efficiuntque felicitatem.	584. 12.

No-

Edit. Par.		Edit. Mat.
231. 10.	*Nobis porro Respublica.* Ex nostra sententia &c.	585. 15.
	Cap. XIV.	
234. 17.	Harum usu fieri vitam beatam, potius quam activarum, statuendum est.	586. 1.
235. 4.	Cum activa in rebus inconstantibus et variantibus versetur.	588. 14.
ibid. 5.	Moralibus, quae sunt in parte rationis experte.	ibid. 15.
ibid. 32.	Aut iis, quorum depravati mores.	590. 22.Em.
	Cap. XV.	
237. b. 11.	Ut in ceteris rebus naturalibus vel artificiosis.	593. 14.Em.
ibid. 17.	Et praeparato semine, cujus generationis primus finis est &c.	ibid.eod.Em.
	Cap. XVI.	
240. 11.	Scholion, quod incipit ab his verbis: *Debet autem conjunctionis initium*, totum oblitteratum est, et infra lin. 25. post verba *poscet obeunda* interjectum, loco scilicet suo: est enim scholion 5. hujus capitis, ut perlegenti caput ipsum facile patebit. Unde in editione Matritensi quem oportet, obtinet locum.	595. 5.Em.

IN LIBRO VIII.

Edit. Par.		Edit. Mat.
	Cap. II.	
244. b. 28.	Scientiae vero liberales non propter aliud, sed propter ipsas cuique sunt addiscendae.	603. 1.
245. 2.	*Ad mores animae.* Ad virtutes morales. Haec verba deleta hic sunt, et infra post scholion sequens, lin. 4. adjecta.	ibid. 5.
	Cap. III.	
247. b. 27.	Altera igitur, id est, palaestra corporis habitus afficitur qualitate quadam.	608. 17.
	Cap. IV.	
249. b. 12.	Alii ut Lacedaemonii feros et immanes reddunt, cuncta ad unicam virtutem bellicam referentes.	ibid. 1.
250. b. 2.	*Ut somnus, et longior vini potus.*	610. 11.
	Cap. VI.	
256. 30.	Nam ut pugilibus et palaestritis, sic etiam musicis certamina antiquitus erant.	617. 6.
ibid. b. 8.	*Non suae virtuti servit, sed audientium voluptati.* Non idcirco canit, ut ipse delectetur, et bonum habitum moremque induat.	619. 10.

ADDITIONES ET EMENDATIONES AD COMMENTARIUM.

Pag. VI. *lin.* 6. Albornotianae. VII. 10. post *Genesii* adde: ***Sepulvedae Cordubensis sacrosanctae Theologiae Doctoris , Caroli V. Imperatoris , Historici , Opera, quae reperiri potuerunt omnia. Quorum elenchum vide lector pag. quinta. Nunc primum singulari studio in Hispania , Italia et Gallia ad publicam utilitatem conquisita , et jam simul in lucem edita.*** Ib. 44. vertit. XXV. 8. *Adde* : „ Vidimus „ primam hujus operis aeditionem, quae ex tabulario Septimancensi ad nos transmissa „ est. In fronte hanc gerit inscriptionem : *Jo. Genesii Sepulvedae Artium et Theolo-* „ *giae magistri de ritu nuptiarum et dispensatione liber.* Ad finem legitur: *Excussum* „ *mense Augusto anno M. D. XXXI.* Deest loci nota. I. vol.4." XXVI. 8. postridie. XXXIV. 30. haeresis. XLI. 1. hunc. XLVI. 7. qui. XLVII. 3. depravata. LXVI. 25. quibus eum. LXVII. 11. tribuit, *lege* denegat, 12. denegat, *lege* tribuit. 33. prodere. LXVIII. 17. pretium. LXXIII. 24. *multo magis.* 32. aureae. LXXIV. exaggerando. 20. *post* Sept. *adde* , transmisit. 25. quem. 32. pervenit. 35. devincies. LXXV. 12. *tuique.* LXXVI. 22. nostri. LXXVI[I]. 31. idololatriam. LXXVIII. 11. Haec. 19. affectatam. 24. ditionem. 29. intelligetur. LXXIX. 21. prosequetur. 33. *consejos.* 36. *porque el dicho Obispo de Segovia viendo el dicho su libro.* LXXX. 19. et 20. res, divitias, imperium gentis, &c. 36. versabatur , haec. 35. lib. IX. c. 15. lib. XIX. c. 5. LXXXI. 2. Oceanum. 23. praecipue. LXXXI. 18. *afirma.* LXXXIV. 12. cognoscere. 23. fuerat amplexus. LXXXV. 31. quoddam. LXXXVI. 19. et 20. qui quo anno elucubratus fuerit. 21. potuerit. LXXXVIII. 26. aestate. XCI. 10. et 11. extremum. C. 20. Sepulvedae. CII. percunctari.

ERRATA, QUAE VOLUMINI IRREPSERUNT.

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Corrige*
5	28	inter Burium	protenditur Durium
6	6	quae	qua
10	9	Homerum	Homerus
11	6	transmissere	transmisere
	17	Gneus et Publius	Gneum et Publium
17	30	*illae*	*illa*
23	4	peninsula	paeninsula
	22	pene	paene
	25	pene	paene
	27	peninsula	paeninsula
	31	peninsula	paeninsula
29	10	reditas	redditas
30	17	Chsistianorum	Christianorum
41	23	Jesae	laesae
46	30	providereretur	provideretur
75	19	Castella	Castilla
77	16	pecunia	pecuniam
101	19	per paucos	perpaucos
102	9	Pachieca	Pacheca
104	12	Thaebas	Thebas
106	4	sedmaximo	sed maximo
	31	circunventus	circumventus
108	21	Zugniguae	Zugnigae
113	30	commodum	coenobium
119	24	quoad	quo ad
134	18	confidendi	conficiendi
142	3	, desperati	Desperati
148	8	Abbiangrasso.	Abbiagrasso.
150	15	immisserunt	immiserunt
153	23	in	e
184	17	fratruum	fratrum
189	20	cuppisque	cupisque
199	18	circunjectos	circumjectos
200	1	quatere	quater
205	15	majora	majore
206	14	LXIV.	LXV.
226	25	tum	tunc
253	20	qua	quam
264	10	contra quae	contraque
271	15	*ad*	*a*
277	24	inopiam	inopia
281	8	Prunsvicensi	Brunsvicensi
282	20	Prunsvicensis	Brunsvicensis
289	2	per optatam	peroptatam
	24	coepit	capit
302	20	urbes	urbis
	25	collum	colem
310	14	quiete	quieti
314	26	summe	summae
326	28	esset	esse
334	6	talis	telis
339		LIB. XI.	LIB. X.
	21	fauces	per fauces
346	6	quarum	quorum
352	11	Beneventis	Beneventi
369	7	reliquens	relinquens
370	23	commune	communi
376	22	Direptum	Diremtum
378	30	continere	contineret
383	6	seco	se
	22	quas	quos
384	12	accecisset	accessisset
393	7	suasque	suosque
396	12	comportarentur	comportaretur
	22	ad	ac
399	8	reliquens	relinquens
409	5	nomine	nemine
411	15	ex	ea
428	22	ducerent	decerent
431	16	consobrina	matertera
455	30	ventus corus	ventum corum
458	15	deficere	defuere

DOCTORUM VIRORUM
DE JO. GENESIO SEPULVEDA
TESTIMONIA ET ELOGIA.

JO. GENESII SEPULVEDAE VITA
EX [1] ANDR. SCHOTTO
Hisp. Bibl. Francof. 1608. 4° *tom.* 3. *classe I. Baeticorum.*

JOannes Genesius Sepulveda Cordubae honestis parentibus antiquo Christianorum apud suos genere natus anno Christi, ut opinor CIↃ. CCCC. XCI. puer liberaliter institutus, primisque litteris in patria est imbutus, ad quas natura se rapi genioque videbat. [2] Complutum vero Carpetanorum frequentem Academiam (hodie *Alcala de Henares* a flumine nominatur) ad uberiorem ingenii cultum a parentibus tamquam ad mercatum mittitur: deditque operam in Dialecticis et Physicis Xantho Mirandae, egregio ejus aetatis Philosopho, ac Theologo, et acerrimo disputatori, ut solus paene in scholis regnare putaretur. Decursis jam triennio Philosophiae humanae spatiis, ad sacram illam scientiarum dominam animum convertit, ut Ecclesiae Dei utilem navare operam posset. Ne vero parentibus oneri esset amplius, vacaretque Bononiae alumnis Hispaniae locus, eo se non invitus Sepulveda contulit, quo ut Philosophiae, sic et Theologiae culmen superare, Deo bene juvante, aliquando posset. Cujus de Collegii Bononiensis fundatoris Aegidii Carrilli Albornotii vita rebusque domi, et militiae gestis Latine et eleganter rogatus a sodalibus, eo postea scripsit libentius, quo grati animi testificationem apud posteros exstare cupiebat ardentius. Adjecit et Collegii illius Hispaniensis ori-

1 Exstat haec Genesii vita tum in editione ejus operum Coloniae Agrippinae adornata a Iac. Mylio an M. D. CII. tum in Andreae Schotti *Bibliotheca Hispana* Francof. impressa tribus post annis. Unde dubitare quis possit, num a Mylio, an ab Schotto sit contexta. Nos utramque editionem inter se contulimus, & duo loca, quae in Francofurtensi desiderabantur, e Coloniensi restituuntur, ac imae paginae subjiciuntur.

2 In editione Francof. desiderantur haec verba: „Est autem Corduba ulterioris „Hispaniae in Baetica urbs celebris, et non modo frugum optimorumque equorum „feracissima, sed et ingeniorum parens, et militarium virorum, ut astutorum copia „felix. In his olim Fernandus Gunsalvus fuit, dux Regum Catholicorum, qui rerum „gestarum gloria Magni cognomentum retulit. Genesius vero Complutum Carpe„tanorum.“

originem, doctosque homines recenset, qui ad eum diem, tamquam ex equo Trojano, inde prodiissent. Totum hic se Theologicis studiis ac S. Scripturae, qua disputando, qua lucubrando, sic tradidit, ut et Philosophica interdum retractaret, et horis subsecivis Graecas litteras, quas jam inde a puero adamaverat, et eloquentiae Ciceronianae jungendas arbitrabatur, respiceret: confectoque jam sacrarum litterarum curriculo, Romam ultro honoris gratia est evocatus in familiam Alb. Pii Carporum Principis, viri non modo natalium splendore, sed et Philosophiae ac Theologiae scientia adeo excellentis, ut aequalium cederet fortasse nemini. Huic libenter studiorum sese socium Genesius adjunxit, qui, ut in Apologia adversus Erasmum testatum ipse reliquit, tam honorifice semper, tamque amanter multos annos eum tractavit, nihil ut honoris, vel benignitatis, vel denique favoris cuiquam suorum tribuerit, quod illi non fuerit sane libens impertitus. Erat in docta illa familia (seu Athenaeum appellare libet) doctorum hominum, non assentatorum copia, Aldus Manutius Rom. et Marcus Musurus Cretensis: quo quidem Graecae linguae, ut illo Latinae usus doctore Albertus fuerat: Triphon Byzantius utriusque peritus linguae: Petrus quoque Pomponatius, et Joannes Monsdocus Hispalensis, qui post Philosophiae magistri publice inclaruerunt, ille Bononiae, hic Pisis et Patavii. Theologi quoque complures alii hic cernebantur. Igitur otium nactus, liberaliter Genesius ad commentandum, litterisque mandandum, quae pridem meditata haberet, animum attulit. Cumque magnam esse oratoris laudem in interpretando didicisset, et penes Graecos philosophiam esse, quae muta adhuc apud Latinos jaceret, careretque litterarum lumine; Aristotelis Peripateticae scholae principis libros quosdam, Bononiae primum, post etiam Romae in illa viginti duorum annorum Italica peregrinatione, Latinitate donavit. Animadverterat enim elegantius quosdam, quam verius, sensa Philosophi reddere, et Ciceronianos, quam Aristoteleos videri se maluisse, ut Alcyonium, ut Perionium. Convertit enim duos *de ortu et interitu* libros, et quatuor *Meteorologiae*: quorum alteros Adriano VI. Pont. Max. alteros Carolo V. Caesari obtulit. Libellos quoque ad animantium naturam pertinentes, qui vulgo *parvi naturales* nominantur, *de sensu et sensibilibus*: *de memoria ac recordatione*: *de somno ac vigilia*: *de insomniis*: *de divinatione per somnium*: *de vitae longitudine ac brevitate*: *de juventa ac senecta*; *vita ac morte*, *de spiratione*, *de motu animalium*; *de eorum denique incessu*, quos ad Albertum Pium Principem misit, Graecorum scholiis in iis adjutus Alexandri, Simplicii, Philoponi ac Michaëlis Ephesii. *De Mundo* quoque libellum aureum ad Alexandrum, quisquis tandem auctor est, Latinum etiam fecit, in gratiam Herculis Gonzagae Mantuani Principis. Praete-

terea Clementis VII. P. M. voluntate ac jussu doctissimam Alexandri Aphrodisiei enarrationem in XII. Aristotelis libros περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *de prima Philosophia* Latine reddidit : nam duos , qui restant, Alexandri libros Graece exstare audio Patavii apud nobilem juxta atque eruditum virum Vincentium Pinellum. Post Aristotelis *de optimo reip. statu* libros 8. non solum e Graeco in Latinum sermonem , veterum et castigatorum exemplarium fidem secutus convertit , sed eorum difficiles quoque locos brevibus scholiis explanavit. *Ethica* quoque Νικομάχεια majorum vigiliarum opus paraphrasi, quae tamen lucem nondum aspexit , illustrasse videtur , et Argyropoli versionem castigasse hortante Jo. Matthaeo Giberto , Veronensi Episc. apparet ex epist. 6. et 7. qua commentatione natam sibi scribit illam quaestionem , quam et profligavit , ad exitumque adduxit, *de Convenientia militiae cum Christiana Religione* , et *Democrates* inscribitur Dialogus : nam altera huic affinis et longe difficilis quaestio accessit , cui titulus : *Democrates alter* , sive *de justis belli causis.* Quaesitum enim , *jurene , an injuria barbari apud Indos in Hispanorum ditionem redigerentur.* Asserebat nimirum Genesius , novi Orbis incolas , quos Indos vocamus , in Christianorum ditionem armis redigi jus fasque esse : non in servitutem tamen , sed ditionem adducendos : non bonis spoliandos , sed sine injuria conservandos : non heriliter eis , sed regie ac civiliter ad illorum utilitatem esse imperandum : editusque olim hac de re Romae libellus paucis admodum exemplaribus , procurante Ant. Augustino V. C. Pontificii tum tribunalis , quam *Rotam* a forma vocant , Auditore , ut ait epist. 69. et 70. Verum , quod constanter a reliquis contradici videret , premi et intercidere passus est. Apologiam tamen ejus , qua rationes sententiae suae apertius reddebat , in Italia nacti sumus. Vide epist. 67. et 71. Disputavit et ipse hac de re coram judicibus cum Dominicanae familiae Theologis , qui et ipsi de hoc jure sententiam suam copiose explicarunt , Franciscus Victoria , Dominicus Soto , et Bartholomaeus Casa , Chiapae in India Episcopus. Sed et Complutensis Academiae doctores a *Sepulveda* dissensisse didici e lib. VIII. Alv.Gomezii de Vita Franc. Ximenii Card. Consulebatur autem ut praestans ejus aetatis Theologus frequenter , difficilesque ad eum nodi et scrupuli rejiciebantur, quos diserte ipse resolvit, et quidem fere Dialogorum ritu , Platonis , et , quem studiose sectabatur , M. Tullii exemplo. Sic *de gloria appetenda* , *de fato et libero arbitrio* , *de nuptiarum ritu ac dispensatione* , denique *de testimonii dicendi in occultis criminibus ratione* : qui libelli in manibus sunt citanturque , praesertim de *ratione dicendi testimonii in causis occultorum criminum* , et in rem praesentem afferuntur a summo Jureconsulto Martino Doctore Navarro *Enchiridii confesorum* cap. 12.

litt. *A.* et cap. 18. numer. *61.* et cap. 25. num. 43. Ceterum cum Erasmo novis rebus studente, et ambigue atque occulte Ecclesiam oppugnante, sic edita apologia contendit, ut et modestiae suae numquam oblitus, et veritas altercando quaesita videretur. Jactarat ille ejus libri auctorem (quem Albertus Pius Carporum Princeps pro Catholica religione in ejus errores evulgarat) Sepulvedam esse, ut epistola 18. refert: quodque frigide illum in *Ciceroniano* suo Batavus, ac veluti spei bonae juvenem praedicasset, cum grandis natu jam esset, editisque libris clarus, in alia omnia *Genesius* discessit, et Ciceronem unum ut eloquentiae parentem, non quosvis imitandos esse recte censuit epist. 10. et *39.* Quemadmodum vero in anni mensiumque correctione, de qua pauci tum egerant, hodie vero plurimi, instaurata a Gregorio XIII. P. M. dissensit a nostro Gaspar Contarenus Card. Venetus Mathematicus et Philosophus egregius, epist. 25. *26.* 27. sic et ille a Fredenando Nonio Pintiano discrepat in saltus Pyrenaei terminis apud Plinium, motuque solis per signiferum epist. *46.* 47. 48. 3 Sed haec hactenus. Post cum annos amplius 20. ἀποδημίᾳ per Italiam peregrinatus esset, qua in re Ulyssem illum Homericum superavit, tandem aliquando magna suorum civiumque exspectatione in patriam revertit Genesius, collecta jam ingenti gloriae adorea foris parta. *Multi enim*, inquit ille, *extra patriam bene rem gessere, domi obscuri atque inglorii futuri.* Patriam enim suos Prophetas honorare solitam negat Christus. Caesar illum Carolus V. vere Augustus ex Italia per Germaniam sponte adductum, nihilque tale ambientem ultro in domesticorum numerum retulit, et Historici titulo cohonestavit, epist. 8. *9.* et *29.* Cujus etiam Imperatoris res praeclare domi forisque gestas, ut summa fide diligentiaque, sic et elegantia pari litteris prodidit: asservarique ajunt eos commentarios a Regibus Catholicis, qui inanis gloriae contemtum, iis hactenus latere jussis, declarant, dum tempore, ut fit, invidia decedat: posteri enim incorruptius fere judicant. Climactericum agens annum LXIII. plerisque fatalem, gravi morbo ad Medicorum desperationem conflictatus, Dei benignitate, qui ad majora eum reservaret, incolumis evasit, ut ait epist. 87. Gravis jam annis, octogenario enim major erat, atque in affecta fessaque studiis aetate, a Carpetanis Vaccaeisque Cordubam rursum secessit, ut ubi spiritum primo hauserat, ibidem redderet. Igitur in praedio Mariano, ut animum defatigatum relaxaret, rusticabatur: in quo et otii et studiorum gratia perinde versabatur, atque in Tusculana sua villa disputationibus no-

3 In Coloniensi post 48. additur: „Et nequid dissimulem, in *Aerae* Hispanorum „etymo hallucinari Genesium docuit doctus Lusitanus Andreas Resendius epistola ad „Joannem Vasaeum Brugensem data, indeque Didacus Covarrubias Variarum Reso„lutionum lib. 4. et in Anni Emendatione Scaliger.“

nobilitata M. Tullius. Is enim fundus erat ad convallem Mariani montis, qua Cordubae imminet, Gallique cognomentum habet, diserte descriptus epist. 64. 67. et 84. Fratrem habuit Bartholomaeum Sepulvedam, qui multis et ipse annis Caesari militavit, fratrisque alterius filium Petrum Sepulvedam Cordubensis Ecclesiae sacerdotem. Caelebs perpetuo vixit et continenter: sacerdotia minime ambivit, in studiis adquiescens, suoque succo ac Caesaris liberalitate privatus vivens, qua et priscos Philosophos beatam metiri vitam non ignorabat. Ad stilum quod attinet, poëtica leviter tinctus fuit, soluta oratione Ciceronem semper aemulatus. Hispanos inter excelluit, conjuncta cum sapientia vera eloquendi facultate, ut et apud Lusitanos Hieronymus Osorius praestitit. Oratio ejus suavis, diserta et gravis, ut judicio philosophum excelluisse vel hinc agnoscas; uberior tamen est ac venustior, quam Philosophorum aut Theologorum nostri temporis. Epitaphium inscriptum marmoreo lapide sepulcro suo hoc sibi vivens fecit, exstatque epist. 86. quod in Putalbani municipii aede sacrorum maxima, et primario sacello Antistitis et presbyterorum concessu sibi, fratrique, ac posteris designavit.

D. X. S.

JO. GENESIUS SEPULVEDA,
QUI SE ITA GERERE STUDEBAT,
UT IPSIUS ET MORES PROBIS
PIISQ. VIRIS, ET DOCTRINA, SCRIPTIQ.
DE THEOLOGIA ET PHILOSOPHIA
HISTORIARUMQ. LIBRI
DOCTIS ET AEQUIS PROBARENTUR,

S. V. F.

VIXIT ANNOS LXXXI.
OBIIT ANNO CIↃ. IↃ. LXXII.

ELENCHUS OPERUM JO. GENESII SEPULVEDAE.

» De vita et rebus gestis Aegidii Albornotii Card. libri III.
» Descriptio Collegii Hispanorum Bononiensis.
» De Regno et Regis officio libri III.
» Epistolarum libri VII.

De

„ De correctione anni et mensium Romanorum.
„ Dialogus de appetenda gloria, qui inscribitur Gonsalus.
„ De honestate rei militaris, qui inscribitur Democrates, libri III.
„ Apologia pro libro de justis belli causis suscepti contra Indos.
„ Oratio ad Carolum V. ut bellum suscipiat in Turcas.
„ Dialogus de ratione dicendi testimonium in causis occultorum cri-
„ minum, qui inscribitur Theophilus.
„ De ritu nuptiarum et dispensatione, libri III.
„ De Fato et libero arbitrio contra Lutherum, libri III.
„ Antapologia pro Alberto Pio Comite Carpensi in Erasmum. "

EJUSDEM SEPULVEDAE VITA

EX NIC. ANTONIO

Biblioth. Hisp. nov. t. 1. *p.* 533.

JOannes Genesius de Sepulveda, Cordubensis, quomodo audire ipse ab urbe amabat inclita, & quod ejus ditionis sit Putalbanum (*Pozo blanco* vernacula lingua), patrium, ut credimus, ejus oppidum in tractu illo, quem a propinquitate laudatae urbis, & propter lapidum copiam, *Los Pedroches de Cordoba* vulgus appellat; cui quidem tractui suis ipse in scriptis, praecipueque in epistola XLV. ad Ferdinandum Nonium Pintianum non obscure natales suos debere profitetur; circa annum M. CCCCXC. honestis parentibus editur, studiorum, quae excoluit, nomine haud minus civibus suis, quam exteris sublimi quodam loco semper habendus. Compluti operam Xanto seu Sancio Mirandae Philosopho ac Theologo eximio in Physicis dedisse, postquam Grammaticis fuisset in patria imbutus, dicitur. Nec contentus in Seguntinae urbis, & Academiae Collegio aperuisse sibi, sodales inter illius, ad majora aditum, Bononiense illud, ex quo magni Albornotii Cardinalis munificentia Hispani adolescentes celebris toto orbe Academiae partem haud contemnendam constituunt, cogitavit, delegitque pro mercatu omnium bonarum artium; ad quas cum ingenii nervos, tum actiones omnes, sine ulla prorsus deductione, contulisse toto vitae suae tempore videri voluit. In gymnasii istius luce sacrarum litterarum & Philosophiae graviora studia Graece atque Latine, quod paucissimis contigit, aeque excoluit; nec minus ab eloquentia vigorem illis et cultum, decus vero sibi ac praesidium celebritatemque comparavit. Adeptus

ptus est ibi praeceptorem Petrum Pomponatium inter alios professorem Philosophiae egregium, quod in Antapologia refert pro Alberto Pio Carporum Principe. Cui summo litterarum, quas natalium splendori adjunxerat, fama viro Genesius post aliquod in ea urbe & sodalitate transactum tempus adhaesit, Romam ab eo ad domum suam seu potius studiorum ac in studiis praestantissimorum hominum vere gymnasium, honorifice invitatus, benignissimeque apud eum deinceps habitus. Pro quo & adversus Erasmum Roterodamum laudatam paulo ante defensionem scripsit grati sui erga benefactorem animi perpetuum monumentum futurum. Frequentes erant in ea domo Aldus Manutius Philologus, Petrus Pomponatius laudatus nuper, Joannesque Montesdoca Hispalensis, Philosophi, Marcus Musurus Cretensis, Triphonque Byzantius Graeci, Latine quoque docti, praeter alios Theologos. Quorum consuetudine totus exarsit ad Philosophi principis doctrinam in ipsis Graecae linguae adytis perscrutandam, pluresque ejus libros, atque ejusdem enarratorum fideliter ac philosophice, non Ciceroniane vertendos; in quo sibi plus aequo Alcyonius ac Perionius indulserunt. Idque Clementis VII. Papae auspiciis, cui in eo obsequium exhibere se atque aliis summa dignitate viris, in eisque Matthaeo Giberto, Praesuli Veronensium amplissimo, non semel datis ad hunc litteris profitetur. Quae ejus cura fructus paulo post referendos in communem utilitatem protulit. Cum Erasmo etiam Roterodamo reciprocavit aliquando litterarum commercium, ut constat ex ejus ad Erasmum tertia super quodam Pauli ad Galatas difficili testimonio de Sina monte Arabiae a se ex Graeci textus recta interpretatione restituto, Erasmique ad eum quinta, quae inter alias Genesii sunt, epistolis. Atque ille quidem in *Ciceroniano* suo vix quidem alium a Genesio Sepulveda in Tullianae facundiae imitatorum albo admisit; iis tamen non adhuc solidae laudis verbis, quae causam dederunt nostro, ne quidem plenas ei habendi gratias, nil retardatus, quin optimum & litteratissimum Principem sibi ita benevolum ab ejus impugnationibus defendendum susciperet. Contulit quoque operam cum Didaco Neyla, Salmantinae postea Ecclesiae Canonico, in conficiendo *Breviario* illo, quod Franciscus Quiñones S. R. E. Card. jussu Clementis Pontificis a se et aliis elaboratum in lucem edidit; de quo ei ad Neylam scribenti centesimam ex suis epistolam fidem habemus. Attamen cum jam ab aliquo tempore reditum cogitaret in patriam, eo quod, quantumvis, ut idem ait, directa ad Enecum Mendozam Burgensium Antistitem XIV. epistola, *magna* esset *Romae optimorum et vetustissimorum librorum copia, frequensque doctorum hominum concursus, quibus rebus studia litterarum aluntur, difficile* tamen sibi videretur *in fortunae quasi officina vel suis vel alienis cupidita-*

ti-

tibus non inservire, atque aliis ex aliis nascentibus negotiis inextricabilibus non implicari. Commodum huic ejus voto accidit, post XXII. annos Italicae suae peregrinationis, adventus Romam Caroli Caesaris, qui eum Regii Chronographi titulo cohonestatum sequi aulam jussit. In transitu Bononiense visitavit Collegium ex alumno Censor factus Pontificia auctoritate a Quiñonio jam memorato Cardinali Collegii Protectore sibi procurata; nempe anno M. DXXXVI. ut ex *Epistola* ejus octava ad Matthaeum Gibertum apparet. Sub finem ejusdem anni Genuae dedit *Epistolam* XXIII, sequentique tricesimam Pintiae Vaccaeorum in Hispania, atque inde alias usque ad annum illius saeculi LVII. vel in eo oppido, vel Cordubae, vel Matriti, vel in hibernis suis Putalbanis, quo ad vitandum Castellae aëris rigorem, seu potius gratia studiorum, annua consuetudine secedebat. Medio hoc tempore in Hispaniam redierat Indorum causam propugnaturus Bartholomaeus Casas, Dominicanus, Chiapensis Episcopus, contra quem disputavit contentissime coram virorum doctissimorum coetu Pintiam evocato regiis auspiciis, nec non & pluribus editis scriptis noster, licere Hispaniae Regibus in ditionem Indos non herilem, sed civilem & regiam lege belli redigere. Quae magnis utrinque animis decertata causa est; in qua sibi adversos habuit Dominicanos cum Casa eorum sodali, immo et Complutensem Academiam, uti de rebus gestis Ximenii Cardinalis libro VIII. Gometius refert. Quare & a Melchiore Cano lib. XI. de Locis Theologicis cap. 11. non omnino probatur. Anno LVII. Carolum adiit ex Caesare jam privatum, & coenobitarum Ordinis S. Hieronymi contubernalem; accessitque per occasionem Salmanticam atque Bletissam, cujus Ecclesiae Archipresbyteratu quodam fuerat nuper ornatus. Ab eo tempore, cum annum jam ageret sexagesimum septimum, abstinuisse videtur Curiae tumultu, in proprioque frequens esse tractus Cordubensis praedio, quod ad convallem Mariani montis, qua Cordubae imminet, situm graphice is atque eleganter in *Epistolis* LXIV. LXVII. LXXXIVI. descripsit. Quo in loco, aut Cordubae, aut Putalbani, ut credere par est (nam & Cordubensis Ecclesiae sacerdotio ditatum eum fuisse apud Bernardum Alderetum libri primi *Antiquitatum Hispanarum et Africanarum* capitis IV. fine legitur) anno M. D. LXXII. uno major octogenario diem vidit extremum. Hujus clarissimi mortalis famam divulgaverunt olim, ac nunc tuentur, non quidem magnae molis, sed ad Cleanthis lucernam evigilata opera, vulgareque amplissimorum hominum nunc de eo judicium. In quorum numero sunt Ambrosius Morales, Paulus Jovius, Lilius Gyraldus, Josephus Scaliger, Michaël Medina, Martinus Doctor Navarrus, Didacus Gratianus, Antonius Possevinus, Gaspar Barrerius, Alfonsus Garsias Matamorus, aliique hujus ordinis. Morales nempe Lib. VIII. *Hi-*

Historiae suae *Hispaniae* Cap. 11. excellentis doctrinae, ac singularis utriusque linguae eruditionis merito Cordubae urbis ingeniorum sapientiaeque altricis veterem gloriam instaurasse eum, clarioremque reddidisse ait. Jovius in Elogiis: *Sed hodie procul dubio* (inquit) *Joannes Sepulveda Cordubensis ipsam eximiae laudis arcem obtinet, qui Graecae peritus linguae, et scientiarum prope omnium validis instructus praesidiis, dum assiduae atque ideo feliciter stilum exercet, eloquentissimus evadit.* Ab Scaligero *de Emendatione temporum* Lib. V. dum de Era agit Hispanorum, *vir doctissimus* audit; quo super argumento scribens Antonius Possevinus in Bibliothecae selectae Lib. XVI. Cap. XIV. *virum praestantem et doctissimum* appellat. Consule sis Barrerium *in Chorographia* sua, quo loco *de Pace* urbe tractat, Didacum Gratianum in proemio translationis Hispanae *Plutarchi moralium operum*, Martinum Aspilcuetam in *Repet. ad Cap. Inter verba* XI. q. III. Melchiorem Canum loco proxime adducto. Abstineo nunc Michaëlis Medinae testimonio paulo post referendo, et aliis, contentus subjungere pro omnibus unum Alfonsi Matamori elogium eminentissimo quolibet scriptore dignissimum: „Mox adest (ille ait in Apologetica sua de doctis Hispaniae viris narratione) Genesius Sepulveda Cordubensis, in quem intuenti crebro in mentem mihi venit vereri, ecquod sit habitura curriculum illa et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria, qui, cum multis in rebus excellat, sic in omnibus tamen eminet, ac si totum suum otium in singulis reposuisset. Latine vertit Aristotelem; et quae a doctis accepit Graecis, si digna existimaret, in quibus elaboraret, multo quam in ipsis fuerant explicata auctoribus, meliora reddit. Genus orationis habet fusum, tractum et cum lenitate quadam profluens, quale historia, auctore Cicerone, postulare videtur. Hinc quibusdam error natus est (modo errore illi ac non vera potius certaque sententia trahantur) ut in tam admirabili aureoque eloquentiae flumine, quantum in Genesio Sepulveda attoniti intuemur, spiritum aliquem ampliorem desiderent, calorem intensiorem quaerant, et flammas majoris incendii postulent; non intelligentes fusioribus numeris placidam quietamque orationem reddi. Sit igitur hoc Genesii proprium perpetuumque elogium, laudatum fuisse ab Erasmo, celebratum encomiis a Paulo Jovio, sublatum in caelum a Lilio Gyraldo Ferrariensi; neminemque virum esse ex his, qui de claris doctrina viris aetate nostra conscripserunt, qui non Hispanorum primum Genesium Sepulvedam meminisset. Satiusque jam esset de aucta ejus dignitate loqui, quam de artibus et studiis, de quibus nemo, modo eruditus esset, umquam dubitavit." Haec Matamorus. Ad opera jam devenimus.

Interpretatus est felicissime in Latinam linguam e Graeco:

Aristotelis *Meteororum* lib. IV. cum nuncupatione ad Carolum Caesarem, cui eos Placentiae obtulit, usus summi Philosophi enarratoribus Alex. Aphrodisiensi, Joanne Philopono, et Olympiodoro.

Ejusdem de Ortu et interitu libros duos, ad Hadrianum VI. Papam.

De sensu et sensibilibus. De Memoria. De Somno et Vigilia. De Insomniis. De Divinatione per somnium. De Vitae longitudine ac brevitate. De Juventa ac Senecta. De Vita et Morte. De Spiratione ac motu animalium, ac de eorumdem incessu: quos omnes Parvorum Naturalium nomine appellant; ad Albertum Pium Carporum Principem, adjutus Alexandri, Simplicii, Philoponi, ac Michaëlis Ephesii commentariis.

De Mundo libellum ad Alexandrum (cujuscumque ille sit) Latinum fecit in gratiam Mantuani Principis. Quos omnes libros denuo ab ipso interprete recognitos, quinimo (ut prae se fert editionis inscriptio) alios factos ex fide veterum exemplarium et expositione Graecorum enarratorum subjecit iterum prelo suo Parisino Joannes Parvus anno 1532. in fol.

Ejusdem Aristotelis *Politicorum* libros VIII. cum interpretatione et scholiis. Parisiis apud Vascosanum in 4. Coloniae 1601. in 4. *Quam versionem et notas, ut quisque erit ingeniosior, ita pluris semper aestimabit*, Gabriel Naudaeus ait in Bibliographia Politica. Probavitque adeo interpretationem vir Graece peritissimus Daniel Heinsius, ut eam in editione sua hujus operis aliis omnibus, tamquam optimam, praetulerit.

Ejusdem *Ethicorum* libros paraphrastice interpretari debuit, ut Clementi VII. Papae obsequeretur, sive Joannis Argyropoli Latinam versionem recognoscere: quam quidem paraphrasim se perduxisse ad secundum usque librum scribit in Epistola VII. ad Matthaeum Gibertum.

Praeter hæc Philosophorum principis opera:

Alexandri Aphrodisiei Commentaria in ejus libros XII. de prima Philosophia, seu περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ interpretatus est, atque edidit Romae anno 1527. in folio typis Marcelli Silber, Clementi Pontifici nuncupatos. Quibus (ait ille in Epist. XX. ad Rodericum Manricum) „ nihil eruditius, nihil ipsorum auctore, vel gravius, vel subtilius, teste non solum Averroë cive meo, qui ipsum est plerisque in locis sequutus, sed etiam Hieronymo, qui se commentarios ejus vertisse in epistola quadam gloriatur.“

Sequentia vero jam ex penu deprompsit propria:

De Vita et rebus gestis Aegidii Cardinalis Albornozii libros III. ex veteribus schedis Joannis Garzonis Bononiensis cujusdam, qui eas olim collegerat nullo temporum ordine servato. Romae 1521. fol.

Bo-

Bononiaeque anno sequenti, et iterum 1559. apud Antonium Giaccarellum. Simulque

Descriptionem Collegii Hispanorum Bononiensis. Haec historia Italice versa est a Francisco Stephano, Murciano, ejusdem Collegii Rectore, atque ibidem edita a Joanne Rossi 1590. atque item Hispanice ab Antonio Vela, apud Joannem de Ajala Toletanum typographum 1566. in 8.

De Regno et Regis officio: cujus operis meminit ipse in epistola LXXXIV. ad Leopoldum de Austria, Cordub. Episcopum.

De correctione anni et mensium Romanorum. Parisiis apud Nicolaum Divitem 1547. Hoc opus laudat Jacobus Augustus Thuanus, recordaturque ejus Genesius ipse in scholiis cap. XII. Lib. V. *Politicorum.*

Dialogum de appetenda gloria, qui dicitur Gonzalus.

De Honestate rei militaris, qui inscribitur Democrates; tribus libris, Romae 1535. sive de *Convenientia militiae cum Christiana religione*; quo modo inscribitur in codice manu exarato Bibliothecae Francisci Card. Barberini. Hos in linguam nostram convertit Antonius Barba, Francisco Card. Quiñonio a secretis, atque edidit Hispali apud Cromberger 1541. in 4 cum hoc titulo: *De como el estado de la milicia no es ageno de la religion Christiana.*

Apologiam pro libro de justis belli causis contra Indos suscepti. Romae 1550. in 8. De quo opere infra nobis agendum est.

Orationem ad Carolum V. ut bellum susciperet in Turcas: cujus ipse meminit ad Albertum Pium scribens Epist. XII.

Dialogum de ratione dicendi testimonium in causis occultorum criminum qui inscribitur Theophilus. Parisiis apud Colinaeum 1541.

De Ritu nuptiarum et dispensatione, ad Cardin. Quiñonium. Romae 1531. in 4.

De Fato et libero arbitrio lib. III. in quibus dogma nefarium Martini Lutheri de cunctarum actionum, eventorumque necessitate, cum naturalibus, tum Theologicis rationibus doctissime confutavit. Romae 1526. in 4. ad Joannem, Toletanum Episcopum Cordubensem. In quo opere (ait alicubi Michaël Medina) *et Ciceronis eloquentiam, et Aristotelis Philosophiam, et, quod prius est, Christiani pectoris integritatem invenies.*

Antapologiam pro Alberto Pio Comite Carpensi in Erasmum. Romae 1532.

Epistolarum Libros VII. ad Ludovicum de Mendoza, Marchionem Mondexaris, Indiarum Senatus Praesidem, Didaci a Mendoza summi viri fratrem. Quae quidem una cum superioribus omnibus in unum volumen conjecta prodierunt Coloniae 1602. in 4. Credo et Parisiis edidisse hoc idem operum systema Simonem Colinaeum 1581.

in 8. Certe in his epistolis de rebus gravissimis et utilissimis plerumque agit: uti ad Gasparem Cardinalem Contarenum *de emendatione anni*; ad Joannem Valdesium *de cometis et ostentis*; ad Ant. de Corduba *de vitae activae aut speculativae majore praestantia*; ad Gasparem Cardillum *de Aristotelis sententia super παλιγγενεσία animarum Pythagorica*; ad Alph. Stunicam Gibraleonis Marchionem, et ad Franciscum Argotem, de quaestione illa, *an liceat habere columbas, quae sese agrestibus aliorum seminibus pascant*: ad Gonzalum Perezium *de arborum umbris ubique terrarum inter se parallelis*, super Plinii quemdam locum; ad Petrum Serranum Theologum *de salute Ethnicorum, qui secundum rationis regulas vixerint*, et consequenter *de laudibus Aristotelis*; ad Michaëlem Medinam *de interpretatione* ejusdem *Aristotelis dicentis laudabile esse inimicos ulcisci potius quam iis reconciliari*; ad eumdemque, *an liceat homini Christiano, ut amici consulat saluti, mortem, quam vitare possit, oppetere*; ad Ferdinandum tandem Pintianum *de motu sosis, et Orospedae montis situ*; *ac de duobus Baetis fluvii ostiis* ad L. Quiñonium.

Praeter hos liber ille jam supra memoratus

De Justis belli causis contra Indos suscepti, sive Democrates alter, editus olim fuit Romae paucis admodum exemplaribus, procurante Antonio Augustino, Romanae tunc Rotae Auditore, ut auctor ipse ait Epist. LXIX. et LXX. qui et ante hanc editionem multis descriptis exemplaribus Complutum, Salmanticamque missis evulgatus fuerat, referente ipso Epist. XCI. qui et sequenti ad Petrum Serranum, contentam in eo sententiam „adversariis ipsis invitissimis non solum Romae et per omnem Hispaniam, sed etiam per omnem Christianum orbem doctis omnibus non pertinacibus se probavisse“ gloriatur; scripta scilicet ea, quam habemus vulgarem inter alia opera, Apologia pro hoc libro. In Collegio Granatensi Iesuitarum adservari scimus Dialogisticum opus *De Jure belli adversus Indos* quo respondet Casae Episcopi argumentis. Diversumne id sit ab eo opere, quod jam laudavimus, dicere non ausim. Plane diu, serioque hunc contentionis funem ab nostro cum Antistite illo Chiapensi tractum satis apparebit legentibus, quae nos in hujus mentione prolixe annotavimus.

De solis per signiferum motu et terrae transitu, libellum se scripsisse ait ad L. Quiñonium, Salmanticae Gymnasiarcham Epist. XLVIII. super quaestione a se cum Ferdinando Pintiano Epistolis XLVI. et XLVII. disceptata.

Pro Matrimonio Regis Angliae Henrici VIII. cum Catherina conjuge decertasse scripto eum apparet ex Nicolai Sanderi lib. 1. Schismatis Anglicani referentis de hoc argumento scriptores. *Apud Hispa-*

spanos vero, ait, *Franciscus Rojas*, *Alfonsus Viruesius*, *Alfonsus de Castro et Sepulveda.*

De rebus gestis Caroli V. Imperatoris, quos debuit ex munere, commentarios, ut summa fide, diligentiaque, sic et pari elegantia conscriptos, a Regibus nostris asservari Andreas Schotus tradit, Latinos, ut suspicor, decuitque Latine eloquentissimum, nam partem eorum aliquam, quae attingeret res Britannas, remisit olim ad Reginaldum Polum Cardinalem corrigendam, supplendamque, ut constat ex data ad eum XC. Epistola: deque sua hac Historia ad Zenetti Marchionissam scribit in *vigesima nona*: nosque habemus ejusdem veluti

De Bello Africo a Caesare gesto, hoc est, de Tunetana expeditione commentarium, ex codice Collegii S. Pauli Granatensis Societatis Jesu manu exarato.

Jacet in primario Ecclesiae praecipuae Putalbani sacello, quod sibi et Bartholomaeo fratri plurium stipendiorum militi, ac suis construxerat ipse vivus, sepulchro sic volens inscribi;

D. X. S.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

Qui se ita gerere studebat,
Ut ipsius et mores probis, piisque viris
Et doctrina, scriptique de Theologia
Et Philosophia Historiarumque
Libri
Doctis et aequis probarentur.

S. V. F.

Adjunctum postea fuit,
Vixit Ann. LXXXI
Ob. M.D.LXXI.

EJUS-

EJUSDEM SEPULVEDAE VITA

EX JAC. BRUCKERO

Hist. Philosophiae t. 4. p. 1ª. pag. 195.

HIspania ut ferax fuit Philosophorum, ita Scholae Peripateticae dedit Joannem Genesium Sepulvedam, anno M. CCCC. XCI. in lucem editum. [1] Is Cordubae humaniorum disciplinarum praecepta hausit, philosophiam rationalem et naturalem autem praeceptore Xantho Miranda, cujus summa tunc in philosophia fama erat, in Complutensi academia per triennium didicit, et tum sacrarum litterarum studio se addixit. Ut vero parentes sumtibus, quos ejus causa erogaverant, levaret, in Bononiensem academiam abiit, in qua civibus suis, qui litteris ibi in Collegio Hispanico [2] vacabant, ephorus datus est. Id quod eruditioni Sepulvedae exoptatissimum accidit, et vehementer ejus incrementa promovit. Tanta enim felicitate in disciplinarum non modo philosophicarum, sed et sacrarum studio progressus est, ut fama eruditionis ejus ad Albertum Pium * principem Carpensem penetraret, qui tum omnium maxime litteris favebat, virosque eruditione claros fovebat. Is enim cum domum suam Musarum domicilium fecisset, ad quod confluebat, quidquid doctrinae praestantia, atque litterarum cognitione inclaruisset, Sepulvedam in familiam domumque suam recepit, quo pacto illi occasio faventissima enata est virorum doctissimorum consuetudine fruendi, et ex eorum conversatione eruditionis incrementa confirmandi. Et hoc loco imprimis Aldi Manutii, Petri Pomponatii, Marcique Musuri, aliorumque amicitia gavisus est, et ex tantorum virorum doctrina valde profecit. Id quod eo majoribus fiebat successibus, quo diuturnior ejus in Italia fuit commoratio, in qua viginti annos contrivit. Tandem in patriam redux, cum ingeniorum quamdam in ea sterilitatem deprehendisset, et ipse summo labore disciplinarum semina diligentius spargere, et inopiam conversationis litteratae, commercio

1 Vita ejus praefixa est Epistolis. Conf. Nic. Anton. *Bibl. Hispan.* T. II. Teiss. T. II. p. 444. seq. Schottus *Bibl. Hisp.* T. III. p. 465.

2 Hujus Collegii Hispanici descriptionem postea Sepulveda edidit, et doctos viros, quos dedit, recensuit.

* Vid. ejus *Antapologiam pro Alberto Pio Comite Carporum, in Erasmum* Romae 1552. Ipse vero Erasmus Sepulvedam in *Ciceroniano* laudavit, quamvis cum illo nonnihil litigaret.

cio litterario, quod cum celeberrimis Europae viris alebat, levare sategit. Cum enim Graece Latineque esset doctissimus, et prolixa eruditione adjutus, per omnem theologiae, philosophiae, philologiae, historiae et mathematicae campum discurrisset, genus autem scribendi illi esset fusum et cum lenitate quadam abunde profluens, epistolae ejus jucundissimae fuerunt viris doctis, hodieque non sine utilitate leguntur. [3] Salmanticae canonicatu auctus cum omnes in id vires converteret, ut doctrina alios antecelleret, ita Carolo V. Imperatori commendatus est, ut eum sibi Theologum et Historiographum adscisceret; cui quoque muneri vitam maximi principis debemus. Laudandus vero magnopere Sepulveda est, quod philosophiam, quam Hispani Scholastico squallore deformare eo tempore pergebant, suo nitori restituere et severiori disciplinae humanitatis studia jungere felicissimo labore conatus sit, qua de re virorum clarissimorum testimonia adduxerunt Nicolaus Antonius [4] et Antonius Teissierius [5], qui videndi. Maxime vero accurata sincerioris philosophiae Aristotelicae cognitio Sepulvedae eruditionem extulit: debemus enim illi versiones librorum *de ortu et interitu*, *de meteoris*, *parvorum naturalium*, *de sensu et sensibilibus*, *de Divinatione per somnum*, *de vitae longitudine et brevitate*, *de juventa et senecta*, *vita ac morte*, *de spiratione ac motu animalium*, *de eorum incessu*, *de optimo reipublicae statu*, *et mundo*: * itemque traslationem *Commentarii in metaphisicos libros* Aristotelis, quem scripsit Alexander Aphrodisaeus. Quas ejus versiones et notas, ut quisquis fuerit ingeniosior, ita pluris semper aestimaturum esse judicavit Gabriel Naudaeus [6], a quo tamen Naudaei judicio dissentit P. D. Huetius [7] eo quod castigatam interpretationum fidelitatem se repudiasse declarasset, et sic aditum sibi ad hujus artis perfectionem obstruxisset. Notas quoque ejus in opus Aristotelis politicum celebriores forte quam accuratiores esse censet Joannes Henr. Boeclerus [8], qui tamen post Danielem Heinsium proximam eum laudem mereri asserit. Sed et ipse Sepulveda argumentum philosophiae moralis tetigit: leguntur enim

3 Septem libris aliquoties seorsim, et in operibus Coloniae 1604. 4. editis prodierunt. Conf. Morhof. *Polyhist.* t. 1. lib. 1. c. 24. §. 52. p. 297.

4 Loc. cit.

5 Loc. cit.

* Vid. Schott. pag. 265 qui merita ejus in Peripateticam philosophiam enarrat. Morhof. l. c. pag. 297. Tanto autem amore Aristotelem persecutus est, ut de ejus aeterna salute non desperaret, eo quod luci naturae convenienter dixisset. Vid. Epist. 91.

6 *Bibliograph. politic.* p. m. 26.

7 *De claris interpret.* p. 289.

8 *Bibliograph. Crit.* p. 560.

enim ejus libelli *de regno et regio officio*, *de appetenda Gloria*, *de honestate rei Militaris* aliique, de quibus vide sis D. G. Morhofium. [9] Ceterum ut laudem meretur ejus modestia, qua ductus libros suos non summorum tantum in litteris virorum censurae subjecit, sed et eorum quoque judicium exegit, qui infra suam eruditionem erant: ita merito culpanda est quaedam animi pertinacia, qua sententiam semel admissam etiam de meliore convictus dimittere noluit. [10] Cujus exemplum dare potest controversia, quam cum Bartholomae Casa, qui a sacris confessionibus Carolo V. fuit, aluit, et iniqua immanem Hispanorum saevitiam haud exiguo famae suae detrimento defendere ausus est *. Obiit octogenario major [11] anno M. D. LXII. in patria.

PE-

9 *Polyhistor. liter.* t. 3. p. 503.
10 Thuanus ad an. 1572. Teissier. l. c. p. 441.
* Historiam controversiae late persequitur Alvarus Gomez in vita Cardinalis Ximenis lib. 8. brevius enarrat Thuanus l. c. ea cum momentum in historia juris naturalis habeat, paucis ita habe: Diu valde detestatus erat Casa saevitiam, avaritiam, tyrannidem, quam oculis viderat ab Hispanis in India occidentali exerceri in indigenas. Quas pesimas artes cum homines, ne dicam Christianos dedecere cerneret, sanctius Regis consilium serio hortatus est, ut modum inhumanitati ponerem iramque Divinam a patria averterent, non nisi his emendatis declinandam. Quam viri gravissimi cohortationem cum bonus quilibet probavisset, ea tamen illis displicuit, quorum emolumentum ista tyrannis promovebat. Sepulveda autem, quod mireris, quam orbis detestabatur, excusare, probareque saevitiam ausus est, causatus, Americanos jure Hispanorum, hincque omnia his in illos licere. Id peculiari dissertatione consignata Sepulveda defendere conatus est, vero a Casa et Episcopo Segoviensi suppressa est. Re post consultationes crebras ad Theologos Salmanticenses delata, Sepulveda causa inferior discessit, et liber ejus edi prohibitus est. Is ut sententiam theologorum eluderet Romam librum misit typis edendum, id quod tamen ab Imperatoris legato impeditum est. Quod ita offendit Sepulvedam, ut publicae disputationis aleam cum Casa subeundam exposceret: qua venia impetrata Dominicus Soto arbiter ab Imperatore controversiae datus est. Neque tamen sic pervicit Sepulvedae pertinacia quae licet rationibus pro infanda tyrannide nihil effecisset, ipsa tamen neglecta postea jacuit Imperatore ad alia vocato et detento, mansitque intolerabile servitutis jugum.
11 Errare Thuanum LXXX. annos ei tribuentem ex Antonio observavit Teissierius.

PETRUS CURTIUS *in Apol. pro Italis adversus Erasmum.*

Quid tu (*Erasme*) Genesium Sepulvedam Hispanum, qui Philosophiam ac Theologiam Graecis Latinisque litteris graviter persecutus, utramque etiam orationis gravitate decoravit, ad scribendum contra te traxisse cogites, nisi officium, nisi pietatem?

JO. VASAEUS *in Chron. rer. Hisp. cap.* 7.

Duos hoc loco nominabo, qui hoc munere docte atque amice functi sunt. Prior est Jo. G. Sepulveda, Theologus, Philosophus, Orator insignis, de cujus singulari eruditione quid opus est dicere, cum tot editis libris testatissima vulgo sit? Satis sit ad laudem ipsius, quod illum ex tanto doctissimorum virorum numero Carolus V. Imp. semper Augustus potissimum delegerit, a quo res ipsius terra marique preclarissime gestae, perpetuae memoriae commendarentur. Is igitur, cum ipsi a Maximiliano Bohemiae rege tunc regias vices in Hispania cum uxore Maria gerente censura hujus *Chronici* demandata esset, candide atque erudite quaedam notavit, in quibus illi non satisfecerant. Quod adeo non aegre tuli, ut etiam magni beneficii loco tulerim. Alter est Didacus Neyla, &c.

IDEM cap. 22. *in epist. ad L. Andr. Resendium, loquens de Aera Hispana.*

Postquam haec scripsissem, admonitus sum a Jo. G. Sepulveda longe aliam esse Aerae originem, quam a S. Isidoro et aliis scriptoribus prodita sit. Cujus de hac re annotationem, quia non solum ingeniosa, verum etiam erudita mihi visa est, ad verbum hic ascribendam duxi.

L. ANDREAS RESENDIUS *in respons. ad hanc Epist.*

Commentum autem Genesii Sepulvedae, quo ex compendio scriptionis *A. ER. A. CAES.* id est, *annus erat Augusti Caesaris*, fecisse imperitos Aeram Caesaris, nobis nititur persuadere, fateor, non sine admiratione propter hominis eruditionem legi.

IDEM *in notatione praefixa VASAEI Chron. edit. Salmant. an M. D. LII. legimus:*

Postea vero etiam Valladoliti (examinatum) mandato Serenissimi D. Maximiliani Bohemiae Regis a viro undecumque doctissimo Jo. G. Sepulveda, Oratore, Philosopho, Theologo consummatissimo, et Caroli V. Imp. Historiographo, qui non solum probavit, sed etiam multa se reperisse scitu digna, & ad veram Hispaniae laudem pertinentia chirographo suo testatus est.

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS *de Poetis suor. temp. Dialogo* 2.

Nam multos quidem cognovi et versu, et prosa, sed doctrina

magis praestantes, ut Jo. Genesium Sepulvedam, qui et Graece et Latine et bonis omnibus artibus est eruditus, in primisque Philosophia et Theologia.

GASPAR CARDILLUS VILLALPANDEUS, *Comment. in duos Arist. libr. de ortu atque interitu, pag. 2. quaest. praeambul.*

Quamquam multi nostris temporibus apte fortasse verterunt libros Aristotelis *de ortu atque interitu*, quos in praesentia enarraturi sumus, maluimus versione illa uti, quam Genesius Sepulveda fecit, quam ulla alia, quod ea nobis prae ceteris probaretur: nam neque paraphrasen agit, neque sermoni Latino plus aequo indulget, neque voces receptas ab schola mutat, in quibus saepenumero magna sententiae vis sita est; sed rem exponit pure, Latine, accommodateque. Hoc praeterea debemus Hispani Hispano homini atque doctissimo viro.

ALVARUS GOMECIUS *libro octavo de rebus gestis Francisci Ximenii.*

Anno quadragesimo, Ferdinando Barriovero rectore, cum novi Orbis per Hispanos patefacti indigenae, duro et acerbo servitio a militibus nostris premerentur, servos eos esse contendentibus, quasi barbari homines et contumaces, palamque religionem aversantes, jure belli justissime capti essent: Genesius Sepulveda, vir nostra tempestate doctrina et eloquentia illustris, illorum causam libello elegantissimo, aliis contra asserentibus, defendit. Hujus rei cognitio nostrae academiae commissa est: quae post longam cum Genesio disputationem, hisce verbis ad regium senatum scripsit: „Doctrina hu„jus libri accurate probat quod assumit: sed quoniam non est satis „tuta, librum hunc imprimi aut evulgari aequum non est.“ Atque ita juxta Complutensis academiae decretum factum esse in hunc diem videmus.

DIDACUS GRACIANUS *in versione Hispana moralium Plutarchi in praefat.*

Puedo dar por testigo (*nempe diligentiae, quam in versione sua adhibuit*) al Doctor Ginesio de Sepulveda Coronista de S. M. varon doctissimo en todo genero de doctrina, y tanto en Griego, como en Latin, y en todo singularmente: y a Ambrosio de Morales : : : con los quales yo conferí y comuniqué todos los lugares escuros y passos dificiles que habia en esta obra.

JAC. AU. THUANUS *Hist. sui temp. lib. 54. ad an. 1572.*

Ultimum agmen claudet Jo. G. Sepulveda Cordubensis, Salmanticae, ubi sacri Collegii sodalis erat, mortuus, cum vitae cursum cum saeculo numeraret: homo Graece Latineque doctus, et philosophi-

phicis studiis clarus, quod eruditae ejus lucubrationes editae testantur, sed obnoxius, et quamquam Theologiam professus, ab humaniore sententia, quae Theologum magis decebat, alienus. Nam cum Barth. Casa, qui Carolo V. Caesari a sacris confessionibus erat, apud eum ante XVIII. annos de Hispanorum Indias ad Occidentem vastantium avaritia, crudelitate et libidine conquestus esset, tantique Principis mandato de re tota certius coram cogniturus in Indias trajecisset, et reversus dictis majora vidisse se testatus Pintiae in concilio instaret, ut modus immani licentiae poneretur; alioqui fore, ut Deus ea immanitate irritatus imperio Indiarum Hispanos exueret, et coepta divini verbi promulgatio illis locis, quae causa justi contra Indos gerendi belli obtendebatur, minime procederet; reperti sunt tamen, qui lucrum ex ea intemperie captantes factum excusarent: quorum causam tuendam Sepulveda suscepit, et per divina et humana jura Hispanis, quod facerent, licere dixit, quippe qui in bello captos tamquam servos belli jure uterentur: idque libro complexus est, quem cum edere omni ratione cuperet, intercessit Casa, et Segoviensis Episcopus. Itaque negotium rursus in diversis Hispaniae consessibus agitatum fuit, tandemque decretum, ut quando res ad conscientiam pertineret, Theologorum super ea sententiae exquirerentur. Id actum anno hujus saeculi XLVII. Secundum hoc Compluti et Salmanticae consulti Theologi, post longas altercationes censuerunt, e re christiana esse, ut liber Sepulvedae tamquam doctrina minus sana refertus non ederetur: neque propterea Sepulveda quievit, sed Romam ad amicos eum misit, ut publicaretur. Cum rursus Caesar per oratores suos id prohibuisset, et interim omnia exemplaria in Hispania reperta supprimi curasset; nihilominus Sepulveda in pertinacia perseverans, et turpe vinci existimans, cum Casa et Segoviensi Episcopo publica concertatione committi petit, et obtinuit. Nam triennio post publica disputatio instituta est, cui Dominicus a Soto, magni nominis Theologus, et Caesari ipsi a sacris confessionibus, interfuit: isque exitus actionis fuit, ut, Caesare aliis bellis occupato, potius permissa, quam approbata Hispanorum in Indiis grassandi licentia fuerit.

DIDACUS COVARRUVIAS A LEYVA *tom. 2. oper. variar. resolut. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. *in fin.*

Deinde apud eumdem auctorem (Vasaeum nempe) legi diligentissimam hac de re Gen. Sepulvedae annotationem. Etenim is censet, dictionem istam AERA a veteribus inscriptionibus deductam fuisse, quibus anni ab Augusto Caesare ita memoriae tradebantur: *Aera Caesar.* annus, inquam, erat Augusti Caesaris. Hanc vero conjecturam multi quidem facimus propter viri multis nominibus in re litteraria illustris auctoritatem: potius tamen probamus Aerae significationem, quae ad numerum annorum ex Lucilio ac Nonio Marcello constat.

GONZALUS DE ARGOTE ET DE MOLINA *in elogio ad Ambrosium Moralem et civitatem Cordubensem, praemisso Antiquitatibus Hispaniae ejusdem Moralis.*

Y con letras escriba
De perlas muy ufano
En la urna cristalina
De su luciente mina
Dos Senecas, un Mena, y un Lucano,
Un *Genesio*, un Eulosio,
Y entre estos un ilustre y claro Ambrosio.

GASPARUS BAETIUS (vulgo Baeza) *de inope debitore cap. 16. fol.* 114.

Genesius Sepulveda de bonis litteris et Philosophiae studiis optime meritus scribit. *Fidalgum* corrupto vocabulo *Italicum*, significare, immunemque esse, sicuti immunes erant a tributis, qui in Hispania Italici juris censebantur, quales erant Pacenses, Emeritenses, Valentini et Barcinonenses, quorum meminit Jurisconsultus in l. *in Lusitania ff. de censib.*

JOANNES ARCE OTALORA *in Summ. nobilit. Hispan. part. 2. cap. 3. pag.* 33.

Reperi virum apud nostrae nationis viros ad amussim eruditum, maxime in Latina Graecaque lingua, et antiqua bonarum litterarum lectione, qui hanc eamdem opinionem auctoritate sua firmavit, diciendo que el vocablo *hidalgo* se derivó del *Italico*, y se mudaron y trocaron las letras, ut dictum est: hic est Doctor Ginesius de Sepulveda, Caesaris nostri Caroli V. chronista et historiographus meritissimus, qui in epistola ad Philippum Regem nostrum in fine hanc opinionem ut novam et curiosam simpliciter et succincte posuit.

AUBERTUS MIRAEUS *de Script. saec. XVI.*

Jo. Gen. Sepulveda... Ciceronem dictione semper aemulatus, Hispanos inter excelluit... Moriens reliquit commentarios de Caroli V. Imp. rebus gestis, ut summa fide et diligentia, sic et elegantia pari conscriptos: quos utinam quis proferat!

ANTONIUS POSSEVINUS *in Apparatu sacro pag.* 880.

Joannes Genesius Sepulveda Cordubensis Theologus, ac Caroli V. Imp. Historicus, qui ann. 82. caelebs, et in bonis Artibus continenter versatus, insumsit, obiit anno 1572. sepultus in Putalbani municipii aede maxima prope Cordubam. Scripsit quae ad manus habentur.... Ad Historiam quod attinet, quam de rebus Caroli V. Imp. scripsit, eam audio apud Catholicum Regem asservari....

Ceterum quoniam Sepulveda, ubi agit de Erae Hispanicae nomi-

mine et ratione, quin et de modo illius scribendae, existimavit se veritatem fuisse assecutum, reliqui vero docti inter se dissentiunt, Vasaeus, Resendius, Didacus Covarrubias: planius autem de ea disseruere Stephanus Garibayus, Ambrosius Morales, Caesar Card. Baronius, Joannes Mariana noster post Faustum Rhegiensem, Isidorum, et Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem (mitto alienos a Fide Catholica, qui de hoc scripserunt) ideo legendum puto quod Garsias Loaysa in collectione Conciliorum Hispanicorum attulit de Aera in notis ad Concilium Eliberitanum, quae pro supputatione annorum diu fuit apud Latinos usurpata. Sic enim inter alia scribit: *Omnes figmentum Genesii viri docti rident: de aliis inter se dissident. Superare Nativitatis annum triginta octo annis Aeram* sine controversia affirmant, *excepto Episcopo Gerundensi*, &c.

NIC. ANTONIUS *loquens de Barth. de las Casas*, *Bibl. Hisp. novae t. 1. p. 149.*

Summo eruditione, doctrina ac eloquentia, viro Jo. Genesio Sepulvedae Cordubensi.

JO. HENR. BOECLERUS *in Bibliogr. Critica edit. Lips. pag. 650.*

Genesii quoque Sepulvedae notae (in Aristot. Politic.) celebriores forte, quam accuratiores sunt.

JOANNES DE SOLORZANO PEREIRA *tom. 1. de Indiarum jure lib. 2. cap. 1. num. 23. 28. et 29.*

Sumtaque hinc occasione (Bartholomaeus Casas), et ut apologiis responderet, quas eodem tempore Joan. Genes. Sepulveda contra aliquas ejus propositiones evulgaverat, libros quosdam scripsit... Praedictus etiam Joan. Genesius de Sepulveda.... qui, ut praeter alios refert Ant. Possevinus *in Apparatu 1. tom. pag.* 880. Cordubensis fuit, Theologiae et bonarum litterarum impense doctus, ac Caroli V. Imper. Historicus. Hic annos 81. caelebs, et in diversis studiis versatus, insumsit, et obiit anno 1571. sepultus in Putalbani municipii aede maxima prope Cordubam, et varia opera scripsit, quae cum sparsim variis temporibus fuissent a typographis evulgata, demum ab Arnoldo Mylio conquisita, simul in lucem edita sunt in officina Birmanica Coloniae anno 1602.

Et inter reliqua, ut audio, peculiarem librum elucubravit *de justis causis belli contra Indos suscepti*, cujus ratione, cum in pluribus Episcopi Chiapensis assertionibus contrairet, et inter illos verbo et scripto, privatim et publice multae contentiones habitae fuissent, *Apologiam* quamdam pro praedicti libri defensione vulgavit. Horum librorum copiam usque adhuc habere non potui, fuerunt quippe auctoritate Regia in Hispaniae et Indiarum provinciis in-

interdicti, schedula ad id apud D. Martinum exposita 19. Octobr. an. 1550 quae exstat *in dict.* 1. *tom. schedul. imper. pag.* 230. ubi hujus prohibitionis ratio ea esse dicitur, quia extra Regnum typis excusi fuerunt, et quia non convenit, ut materiae ejusmodi sine expressa et peculiari Regis licentia pertractentur, et publicae factae, vulgi linguis et manibus conterantur.

JOANNES FRANCISCUS DE UZTARROZ, *Progressos de la historia en el Reyno de Aragon, y Elogios de Ger. Zurita, añadidos por Dormer, p.* 319. *col.* I. *&* II.

Juan Gines de Sepulveda Coronista del Emperador Carlos V.... Refierense sus grandes noticias en todo genero de letras, el credito dellas que tiene entre proprios y estraños, y el catalogo de sus muchos escritos por el P. Andres Schotto... y Don Nicolas Antonio.

D. FR. PRUDENTIUS SANDOVAL *Hist. de Carlos V. lib.* 25. §. 24. *fol.* 428. (*edic. de Pampl.* 1634).

Apretaba Fray Bartolome (*de las Casas*) de tal manera, que si se hiciera lo que el queria, no fuera España señora de las Indias. Opusosele el Doctor Juan Gines de Sepulveda Coronista del Emperador y su Capellan, hombre grave y doctissimo, y sobre todo gran latino.

IDEM *lib.* 30. §. 15. *fol.* 664.

El Doctor Sepulveda varon doctissimo y de los mayores Latinos de su tiempo, Coronista del Emperador, defendió la justificacion que havia, para que los Reyes de España fuessen señores del nuevo mundo.

FERD. DE AVILA ET SOTOMAYOR *latens sub nomine Fernandi de Ayora y Valmisoto in libro inscripto: Arbitro entre el Marte Frances y las Vindicias Galicas, cap.* 9. *fol.* 92.

Juan Gines de Sepulveda, Cordobes erudito y docto, quanto otro alguno de su tiempo, escribió muchos tratados contra los que publicó el Obispo (es el de Chiapa Fr. Bartolome de las Casas) antes y despues de haber subido a aquella dignidad, ni de entrar en la Orden de S. Domingo, como lo refieren los Autores. Y en las disputas delante del Emperador tuvo contra si gravissimos votos, como refiere Bartolome Leonardo de Argensola; y los dos Padres de la Orden de S. Geronimo, que passaron a la Isla Española con poderes de los Reyes Catholicos, para gobernar, y dar forma a las cosas de los Indios, tuvieron contrario parecer en la disposicion de las Encomiendas. Alabamos en unos y otro el zelo santo, y el fin a que encaminaban sus discursos. Pero no hay que admirar que los pareceres fuessen contrarios, ni que el Obispo encendido con el ca-

lor

lor de la disputa y llevado de la fuerza del proprio dictamen escribiesse algunas cosas con menos templanza, ponderando la culpa de algunos Españoles y el mal modo de su gobierno con los Indios.

D. ANTONIUS LEO PINELUS *Epitom. de la Bibliot. Orient. edit. Matrit. tom. 2. pag.* 571.

Apologia del Doctor Sepulveda: esta fue contra un libro que el insigne Juan Gines de Sepulveda queria imprimir: leyóla en una junta que para ello se formó, y por ser de noventa pliegos se entregó al M. Fr. Domingo de Soto para que sacasse el Sumario: puso en el las razones de ambos.... Diose traslado de este Sumario al Doctor Sepulveda, que reduciendole a doce puntos o objecciones, satisfizo a ellas con otro tratado breve y docto.... Con que se acabó la disputa, y estos tres tratados se imprimieron, 1552. 4.

Doctor Juan Gines de Sepulveda, Coronista de España, y celebrado de toda Europa, entre las obras que escribio fueron dos Libros. *Democrates, de la conveniencia de la guerra con la Religion Christiana* imp. 1553. Otro, *Democrates alter, de las causas justas de las guerras*: sobre el primero, fue la disputa con el Obispo de Chiapa; y en su defensa el segundo, que parece haberse impresso, pues se mandó recoger por el Real Consejo de las Indias y hizo un Sumario de el en Romance, contra el qual escribió el Obispo Don Fr. Bartolome de las Casas su *Apologia*, que (cumo va dicho) abrevió *Fr. Domingo de Soto, Confessor del Rey*, como se refiere en el argumento de esta Obra: lo que se halla impresso es una *Apologia* por este segundo libro en Latin como los dos, Año 1550. 1556. 16. y con sus Obras dedicadas a Marcos Velsero 1602. 4. Latin.

JO. GUIL. BERGERUS *de naturali pulchr. orat. Lipsiae* 1720. 4° *In praefat.*

Ut alios taceam, magnum fuit nomen Jo. Genesii Sepulvedae, sed eidem veteris amor elegantiae odia suorum, fereque periculum conflavit.

DANIEL GEORG. MORHOFFIUS *in Polyhist. litter. t. 1. lib. 1. c. 24. n. 53.*

Jo. G. Sepulvedae Epistolae multa continent memorabilia. Fuit ille Cordubensis, Caroli V. Historiographus, Graece et Latine doctissimus, cujus sunt praeclara in rem litterariam merita. Latine vertit Aristotelem et Alex. Aphrodisiaeum in libros Metaphysicorum. Genus orationis ipsi fusum, tractum et cum lenitate quadam profluens. Fuerunt ipsi cum Erasmo quaedam liticulae. Scripsit Epistolarum libros VII. in quibus multa varii argumenti, theologici, philosophici, philologici, historici, mathematici. Habentur judicia de auctoribus.

LUD.

LUD. ELIAS DUPINIUS *in Scriptor. Eccles. saec.* XVI.

Jéan Genes de Sepulveda né á Cordoüe l' an 1491. devint un des plus fameux Theologiens et Jurisconsultes d' Espagne. Il fut honoré par Charles V. de la qualité de son Theologien et Historiographe, et eut un Canonicat á Salamanque. Il se rendit celebre par sa traduction de la plûpart des ouvrages d' Aristote, dont Mr. Naudé fait bien plus de cas que Mr. Huet.... Sepulveda mourut l' an 1572 agé de 81. ans. Ses Oeuvres ont eté imprimées a Cologne en 1602. Il a encore fait un autre ouvrage de même nature, *de la veritè du Corps et du Sang de Jesus-Christ dans le sacrifice de la Messe*, imprimé a Paris en 1570. Il a redigé un Commentaire sur le Cantique des Cantiques tiré de S. Ambroise, qui est parmi les Oeuvres de ce Pere.

JACOBUS ECHARD *de Script. Ord. Praedic. t.* 2. *p.* 193. *col.* 2.

Joannem G. de Sepulveda virum insignem, Ciceronem Hispanum suo saeculo dictum.

GREGORIUS MAJANSIUS *in vita Ant. Augustini ex edit. Latina Lucae* 1766. *p.* XXIX.

Jo. Gen. Sepulveda doctus in primis atque eloquens vir. (*Recenset Majansius fata Democratis , comitia Vallisoletana , auctoris hostes , tum subjungit*): Quamobrem minus mirum videri debet, Melchiorem Canum , qui ad Insulas fortunatas amplissimum gerebat sacerdotium , virque erat praeclara eruditione , summoque ingenio , sed natura asperrimus, ita de Genesio Sepulveda illiberali quidem sermone scripsisse (*lib.* 9. *c.* 5. *de loc. Theol.*): „Sepulveda homo neque meo judicio imperitus, et suo valde doctus, „certe et eloquendi arte clarus, et a Theologiae studio non abhor„rens." Adeo inurbana oratione magis Ciceronem (*de Orat. l.* 1. *c.* 83.) imitatus mihi Canus videri solet, quam ea locutus , quae quidem Sepulvedam tanti nominis virum decuissent.

MONITUM.

Plura quidem doctorum virorum in Sepulvedam collata elogia huc conferri possent , sed alia inter epistolas ejus leguntur, alia in nostro *Commentario*, alia denique apud Schottum , Antonium et alios. Eorum vero testimonia, qui Auctores a nobis adductos exscripsere, nec ipsa Sepulvedae opera videntur inspexisse, ut rectum de iis judicium ferrent, prudentes scientesque praetermissimus.

JO-

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

JACOBO NEYLAE,

JURIS PONTIFICII DOCT. CANONICO SALMANTICENSI,

VIRO OPTIMO ET DOCTISSIMO,

S. D.

Pergrata mihi fuit epistola tua, Jacobe Neyla, amicorum optime, qua me pro tua singulari prudentia hortaris, et pro vetere nostra conjunctione solicite mones, ut Historiam, quam de rebus Caroli Caesaris nostraeque gentis Latino sermone persecutus sum, intra domesticos parietes ante editionem contineam, perpoliamque, nec temere passimque legendam praebeam, in tanta quorumdam hominum iniquitate, et meis scriptis obtrectandi libidine; quos bipartitos esse, duplicique morbo laborare dicis; alteros enim invidia et fastidiosa malignitate propter notissimas causas impelli; alteros ambitione duci, ne mea scripta, quae a ceteris doctis vulgo probentur, ipsi quoque non parvi facere videantur, hac scilicet obtrectatione significantes, a se meorum scriptorum vel doctrinam, vel elegantiam facile aequari posse, atque etiam, si eis stomachum movero, superari; quod in colloquio illo Toletano accidisse putas, parte ejus Historiae Francisco Mendozae, Burgensi Episcopo, et Romano Cardinali, cui

roganti negare non potui, recitata, cum viri aliqui linguarum periti et rerum gestarum non ignari adessent, sic animati, uti sensi, ut mihi nullius delicti, vel erroris gratiam facturi viderentur; quod ipsum mihi minime molestum fuit, qui liberas amicorum admonitiones libenter audire, et admittere, ac in bonam partem recipere consuevi, praesertim, si opus adhuc sit in manibus, ut illud erat, imperfectum scilicet et inchoatum; modo nequis maligne agat et calumniose. Aequo igitur animo, quae mihi ab illis objiciebantur, audiebam; sed ita ut injustas quorumdam reprehensiones voce refellerem, quas postea per scriptam apologiam, quam ipse legisti, accuratius confutavi.

II. Tu tamen Historiam, cujus fidei et auctoritati invidorum calumnia, et mendacio noceri possit, perpaucis et fidissimis communicandam esse censes: nam edito opere, quod possit justa laude commendari, iniquorum obtrectationes aequiorum recto judicio, et graviore auctoritate facile refelli; siquis inimico animo solus vel cum paucis legerit recitantem, eo timore sublato liberius mendacio corruptoque judicio librum infamare potest. Nec tamen idcirco editionem properare censes, sed potius heredibus mandare, mortuis enim non invideri. Quam tuam admonitionem prudentiae ac officii plenam et probo et amplector, libenterque tuis amicissime monitis parebo, qui res meas et existimationem non minus caras tibi esse, quam tuas, multis documentis declarasti, et quotidie declaras. Quamquam ego, qui nonnullis viris gravibus et rerum gestarum ignaris eamdem Historiam per partes legen-

gendam dedi, rationem quamdam secutus sum nequaquam, ut arbitror, reprehendendam. Non enim ostentationis causa feci, et laudis cupiditate, sed cognitionis et veritatis explorandae; quae veritas eo modo, et continente lectione, quam percunctationibus, perquisitius atque plenius exquiritur.

III. Nam cum ad scribendum Historiam rerum gestarum consiliorumque cognitio sit necessaria, nec possit scriptor rebus omnibus interesse; plerisque in locis aliorum exquisito testimonio, qui rebus interfuerint, aut etiam praefuerint, utatur, necesse est; quod qui sedulo facit, et gravium auctorum fidem sequitur, hunc quis non fidum et diligentem historicum perhibeat? Nisi forte putamus Sallustium, qui primum locum tenet in historia Romana, et qui huic proximus est, Livium, item Trogum et Curtium, maximae auctoritatis fideique scriptores, rebus omnibus interfuisse, quas ad memoriam posteritatis prodiderunt, quos nulli, aut minimae parti interfuisse constat, cum pleraque superiorum temporum memoraverint. Quominus ferenda est quorumdam meorum iniquorum calumniosa levitas, quos audio meis scriptis de rebus Germanicis fidem ea re minuere conari, quod ego Carolum in Germaniam proficiscentem non fuerim secutus, nec negotiis, Germanicisque bellis interfuerim.

IV. Ego vero, qui rerum hac memoria in Hispania et Italia gestarum, et a me monumentis mandatarum, multis gerendis interfui, aut prope aderam, cum gererentur, fateor tamen me multo plura ab aliis audivisse, ut illi, quos modo nominavi, ab aliis acceperunt; sed in exqui-

renda veritate me ad summam diligentiam nihil mihi reliquum fecisse profiteor, et Imperatoris et ducum epistolas de rebus gestis, quarum exempla mihi jussu Caroli suppeditabantur, diligenter legebam; nec modo duces ipsos, ac legatos et proceres, qui in bello consiliis solent adhiberi, de rebus omnibus, sed ipsum Carolum Caesarem de rebus ab ipso per se gestis percontabar, cum de his inter ceteros parum constabat; quam mihi facultatem suppliciter petenti ipsius humanitas non denegabat, et sinceritate quadam paene religiosa, ut erat simplicis veritatis amantissimus, respondebat.

V. Praeterea commentarios, a curiosis et diligentibus hominibus ad castra confectos, perlegere non gravabar. Multi enim hujus memoriae res gestas partim brevibus et manu scriptis commentariis, partim longioribus et excusis prodiderunt; sed quos nominare non pigeat: Paulus Jovius, Joannes Sleidanus, Galleatius Capella, qui Latine; Ludovicus Avila, Antonius Ixartinus, Petrus Salazarus, qui Hispane; Guazus et Mambrinus Roseus, Alfonsusque Ulloa, qui lingua Italica conscripserunt; quorum Jovius universalem Historiam scribere aggressus, maxime et libentissime in Turcarum gestis versatur; Sleidanus, cujus scripta legi, antequam eorum inter alios lectio nobis, id est Catholicis, ab Ecclesia Catholica interdiceretur, de rebus potissimum Germanicis memorat, ad fidem historiae satis diligenter, ac potius nimis; ad pietatem et religionem sic ut appareat ipsum esse Lutherana peste in primis contaminatum; Capella res in Italia per decem annos gestas, orsus ab anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo pri-

primo, libris octo complexus est; Ludovicus Avila bellum Tunetense, deinde Germanicum multo diligentius scripsit; Antonius Ixartinus bellum Neapolitanum; Salazarus multa et varia bella, terra, marique multis annis gesta memoriae mandavit; reliqui tres, sumto initio a Caroli pueritia vel etiam infantia, res ejus ceterorumque Principum, et Rerumpublicarum ubique gestas conscripserunt; et commentarios Guazus ad annum Christi millesimum quingentesimum quadragesimum sextum, Mambrinus ad millesimum quingentesimum quinquagesimum octavum; Ulloa ad millesimum quingentesimum sexagesimum perduxerunt; quos omnes diligenter evolvi, et eorum inquirendi et notandi labore nonnihil adjutus sum; sed ita, ut multa in quibusdam offenderim, quae mihi, quam ipsis magis erant explorata, ut a melioribus auctoribus tradita.

VI. His quidem adminiculis adnixus Imperatoris Regisque nostri et gentis Historiam ad normam veterum et probatorum auctorum, qui Graece vel Latine Historiam scripserunt, quorum laudatissimos brevitati, sed perspicue studuisse constat, triginta libris complexus sum, sine iis, quos *de rebus ad novum Orbem gestis*, commentarios ducum potissimum secutus, confeci; quod opus nondum ad finem destinatum perduxi. Nec his adjumentis contentus, si quem nactus essem Latine scientem, cui res essent et consilia cognita, quae tamen rara est occasio, libenter ei scripta de rebus eisdem per partes legenda dabam; ea lege, ut siquid in rebus, vel in oratione offensum esse reperisset, me notatis locis commonefaceret;

quod

quod non in Historia solum, sed etiam in aliis libris a me de Philosophia vel Theologia scriptis facere consuevi, ut sic doctorum amicorum judicium exquirerem, et his auctoribus, si quid erratum esset, emendarem; idque veterum scriptorum exemplo, magnorum et clarorum, quos legimus opera sua ante editionem cum amicis ob eamdem causam communicasse, non solum doctissimis, sed etiam mediocriter eruditis; non enim eadem facultas ad judicandum, quae ad opus conficiendum, desideratur, ut Apellis pictorum laudatissimi exemplum declarat, qui calceum in pictura judicio sutoris emendavit. Sed haec longiora fuisse intelligo, quam erat necesse; tibi tamen nec ingrata fore putavi, nec incognita esse volui, ut si forte in meos obtrectatores incideris, habeas, quo possis eos hac in parte certa ratione refellere.

VII. Sed redeo ad tuam amantissimam admonitionem, quam multum adjuvat gravissima illa editionis Historiae properandae ratio, quod cum eadem de re saepe alii, ex iis etiam, qui interfuerint, aliter loquantur, et eam historicus pro suo officio et inquirendi diligentia habeat exploratam, fit nonnumquam, ut lecto vel audito aliquo Historiae loco vere et graviter scripto, aliquis, cui aliter erat persuasum, falso id traditum esse affirmet, et Historiam infamet, et mendacii nomine condemnet, nihilo alio facta fide, nisi quod rei gerendae se interfuisse dicit, et aliter geri perspexisse. Quod accidit apud me cuidam viro nobili et minime malitioso, sed qui incognita pro cognitis haberet, et temere confirmaret.

VIII. Nam post bellum Tunetense, cum Roma profe-

fecti in castra Caroli Caesaris simul iter faceremus, qui ad Taurinos bellum in Gallorum Regem Franciscum parabat; sermo incidit de re, quam Africo bello, cui ipse interfuerat, aliter gestam esse, quam ille opinabatur, mihi multis rationibus erat exploratum, et sic in Historiam jam inchoatam conjeceram. Quo ille ex me audito, arridens, *recte*, inquit, *habet Historia, siquidem in ea talibus commentis est locus*, et severe meam credulitatem accusabat, qui levibus auctoribus adhibita fide rem fictam pro gesta in historiam conjecissem; cumque ipse gravissimorum auctorum fidem me secutum esse confirmarem, tamen ille contendendi finem non ante fecit, quam multorum nobilium et gravium virorum, qui bello eidem interfuerant, testimonio convinceretur, cum ad nos pervenissent, nam brevi intervallo subsequebantur. Tunc vero nonnihil ille conturbatus: *Non ego*, inquit, *me praesente, et vidente, rem ita gestam esse dico; illud tamen confirmo, me, qui non longe aberam, sic gestam esse ex multis audivisse.*

IX. Accedit ad causas tempus editionis producendi, quod Historia, quo diutius premitur, et est in manibus, hoc omni ex parte perfectior exit, nam et stili perpoliendi major est facultas, et res multae initio latent, et vario dubioque sermone feruntur, quas tempus indicat et patefacit. Praeterea, si exspectandus sit auctoris obitus, minus loci corruptioni relinquetur, et omnia liberius et audacius tractabuntur, memoriaeque prodentur.

X. Faciam igitur, quod mones, et Historiam Caroli Caesaris, quam ad finem perduxi, posteris edendam mandabo, nec ipse interim, nisi paucissimis et opportunissi-

mis,

mis, et qua ratione atque lege dixi, legendam dabo. Posteritas autem incorruptius de omni parte Historiae judicabit. Illud quidem affirmare possum, me nihil gratiae, nihil odio dedisse; nam, ut ipse optime nosti, et sciunt omnes, quibuscum familiariter vixi, sum semperque fui simplicis veritatis omni loco studiosus; ad quod me non officium modo et institutum, sed natura etiam adhortatur.



SUM-



CAROLUS V ROM IMP HISP REX

Ex tabula TITIANI VECCELLI in aedibus regiis Matriti aſservata.

Ferdin. Selma del. & incidit anno 1778.

SUMMARIUM

LIBRORUM XV. PRIORUM

DE REBUS GESTIS CAROLI V. IMPERATORIS

PER SINGULOS LIBROS ET CAPITA AB EDITORIBUS DIGESTUM.

LIB. I.

I. CAROLI V. Regis Hispaniae, Hispanorumque res illa aetate gestas scripturus auctor, altius quaedam sibi repetenda, expositis locorum ratione et superiorum temporum summis rerum mutationibus, statuit.

II. — VI. Hispaniae descriptio secundum veterum divisionem in Tarraconensem, Baeticam, et Lusitaniam.

VII. — X. Hispaniae secundum recentiorum divisionem descriptio, partitioque in Castellam, Aragoniam, Portugalliam, et Navarram.

XI. Fernandus et Isabella Reges Castellae Regno succedunt, Granatamque recipiunt pervictis et bona ex parte pulsis Arabibus et Mauris.

XII. Primi Hispaniae incolae et Reges suo quisque ordine ex opinione Berosi Chaldaei.

XIII. Trojanorum, Graecorum, Iberorum, Persarum, aliarumque Orientalium gentium in Hispaniam adventus.

XIV. Tyrii Gades condunt. Carthaginenses Hispaniae partem in ditionem redigunt, et cum Romanis confligunt.

XV. Romani magnam partem Hispaniae in suam partim ditionem, partim amicitiam traducunt. Numantiae casus.

XVI. Saguntinorum et Astapensium facinus.

XVII. Viriati virtus, gesta, et caedes.

XVIII. Sertorii res gestae, et per fraudem nex.

XIX. Hispania ab Augusto Caesare subacta.

XX. *Aerae Caesaris* originis designatio.

XXI. *Aerae Caesaris* vocabuli interpretatio.

XXII. Romanorum Coloniae et Municipia in Hispania: ipsorum et Hispanorum amicitia et consuetudo: Balbi Consulatus, Balbi triumphus: Trajani Imperatoris humanitas.

XXIII. Gotthorum irruptio Arcadio et Honorio Principibus.

XXIV. Gotthorum patriae Scandiae descriptio.

XXV. Vestrogotthorum legatio ad Valentem Caesarem.

XXVI. Ulphilae fraus et Valentis interitus in praelio adversus Gotthos.

XXVII. Gotthi Reges ex sese faciunt Radagaisum et Alaricum, quorum postremus captam Romam diripit.

XXVIII. Athaulfi nuptiae, victoriae, et nex. Vandali Hispaniam inter se distribuunt.

XXIX. Giserici et Atilae in Italia strages. Hispaniae maxima pars a Recchiario Suevorum Rege occupatur.

XXX. Viginti octo Gotthici generis in Hispania Reges a Theuderico ad Rodericum: post cujus cladem Mauri et Arabes Hispaniam occupant praeter Asturum et Cantabrorum Regiones.

XXXI. Hispania Mahumetanorum imperio liberatur a Fernando Catholico et Isabella uxore.

XXXII. Idubeda et Orospeda montes, quam longe lateque patent, describuntur.

XXXIII. Montes etiam Mariani, qua excurrunt, describuntur.

XXXIV. Enechus Arista primus Navarrae Rex appellatus.

XXXV. Sanctius Navarrae Rex uxorio jure Castellam adipiscitur. Ranimirus ejus nothus filius primus sibi Regis titulum in Aragonia sumit. Fernandus, Castellae Rex, Legionis Regis titulum uxoris jure obtinet.

XXXVI. Henricus Romanorum Imperator, ut vectigalis sibi Hispania reddatur, missa legatione postulat. Roderici Cidi sententia et virtus. Henricus bis praelio victus pacem petit, et jure, quod armis prosequebatur, decedit.

XXXVII. Alfonsus VI. Castellae Rex Henrico Lotharingiae Comiti dotis nomine Portugalliam cum titulo Comitatus attribuit. Alfonsus hujus Henrici filius Regis titulum sumit. Alfonsus X. Alfonso III. Regi Portugalliae jus clientelae remittit.

XXXVIII. Castellae Regno Aragoniae Regnum adjungitur per Fernandum et Isabellam, a quibus Granata quoque aliaque Regna et oppida recipiuntur. Eorum etiam sumtu et auspiciis Colonus Novum Orbem reperit.

XXXIX. Fernandi et Isabellae liberi nepotesque, quibusque nupserint.

XL. Philippi et Joannae Regum in Hispaniam adventus. Illius immaturus obitus; Fernan-

nandus socer in Regni administrationem revocatur propter filiae mentis insanitatem; hoc vita functo Carolus nepos procerum populorumque consensu Hispaniae Regnum suscipit.

LIB. II.

I. MOrtuo Fernando Rege reliquae nationes Carolum per legatos salutant, seque ejus fidei committunt. Soli Siculi tumultuantur, et Magistratus inter sacra vespertina opprimere parant.

II. Conjurati, a quibus Prorex captus et Magistratus occisi, supplicio afficiuntur: supplicibusque Panormitanis ignoscitur.

III. Golisani et Camaratae Comites a Carolo dimittuntur; quorum postremus, renovata conjuratione, cum quatuor sociis capite plectitur.

IV. Carolus in Hispaniam, ejus administrationem suscepturus, Asturiaeque oram defertur.

V. Fernandum fratrem in Belgium transmittere statuit; et illius nutritium et praeceptorem ab eo discedere jubet, ne forte puer horum hortatu ad aliquid innovandum inducatur.

VI. Ximenis Cardinalis obitus, res gestae et encomium.

VII. Guilielmus Crojus Guilielmi Ceverii precibus Toletanus Antistes constituitur.

VIII. Carolus in Conciliis Castellanorum, Aragonensium, et Catalanorum ab eisdem et a Valentinis Rex salutatur: ipse leges Regni se servaturum jusjurandum dat.

IX. Imperator deligitur praelatus Francisco Galliarum Regi. Ejus in Germaniam profectionis nuntium Hispani graviter ferunt, praecipue Toletani.

X. Petri Lassi ad Senatum Toletanum oratio, in qua de Belgarum avaritia et injuriis, atque de maximis malis a Regis ex Hispania discessu vehementissime conqueritur.

XI.—XII. Ejus sententiam Senatus Toletanus collaudat et probat, paucis refragantibus.

XIII. Toletanus Senatus iterum coacto concilio decernit, ut litterae ad civitates, ad Regem Carolum legati quatuor cum mandatis mittantur, ne ab Hispania discedat, ut injuriae et illata damna resarciantur, ne aurum extra Hispaniam exportetur, *et cet.*

XIV. Caroli Regis ejusque Consiliariorum de Toletani Senatus decreto admonitorum praeter spem lenissima responsio.

XV. Civitates praeter Gra-

natensem et Burgensem non aliena Toletanorum consiliis rescribunt. Rex legatos cum contumelia dimittit, et concilium ad Compostellam indicit.

XVI. Civitates legatos mittunt praeter Toletanos ad concilium Compostellanum. Rex Portucarrero Toleti Praetori Magistratum abrogat, in ejusque locum Antonium Cordubam sufficit.

XVII. Joannes Padilla et Fernandus Avalus urbe discedere et ad Regem proficisci jubentur.

XVIII. Ipsi jamjam proficiscentes tanquam nolentes et repugnantes a plebe in urbem reducuntur. Silva arcis praefectus accepta conditione illam tradit, quae paulo post in Senatus potestatem pervenit. Antonius Corduba Corrector suae saluti consulens urbe quoque decedit.

XIX. Carolus aegre a Ceverio retinetur, quominus Toletum proficiscatur, ejusdemque consilio utitur Britannorum Regem conveniendi, antequam ille Gallorumque Rex congrediantur.

XX. In concilio Compostellano de tributo imperando a civitatum legatis postulat, ne hujus petendi gratia sibi necesse sit ad praescriptum tempus reverti. Legatorum disceptatio. Salmanticensium Regis votis omnino adversa sententia.

XXI. Gallaeci legati, quid sentiant, quamvis a concilii praefectis rejecti, palam profitentur. Salmanticenses quoque concilio prohibentur, et quamquam majore legatorum parte in eamdem sententiam inclinante, Regis tamen familiares muneribus atque pollicitis complures corrumpunt, tributumque imperatur, Legionensibus, Cordubensibus, Murcianis, Taurensibus, et Madritiensibus refragantibus. Hadrianus Cardinalis Castellae procurationi praeficitur.

XXII. Carolus ex Portu Magno Ann. M.D.XX. ad XI. Kalend. Jun. solvit; cum Henrico Rege in Britannia amicitiam confirmat, atque Aquisgrani consueta magnaque caerimonia imperatoriam coronam accipit.

XXIII. Legati ad suas civitates reduces, ut quisque concilii decreto refragatus fuerat, cum ingenti gratulatione excipiuntur: ceteri tanquam praevaricatores, proditoresque patriae contumeliis et probris a plebe afficiuntur. Rodericus Ronquillus aulicus Praetor cum praesidio mittitur ad poenas sumendas de Sagoviensibus, qui eorum legatum in patibulum egerant, et tumultuabantur, seditionis auctores in oppido Nivia capite damnat, proscribitque.

Ron-

XXIV. Ronquillus Sagoviensium manum male habet, et intercluso Praetore ab eis recens constituto in *Bernardos* vicum sese recipit.

XXV. Sagovienses vicissim Ronquillum perduellionis reum condemnant; ipse ex iis, quos ceperat, alios morte, alios verberibus et exsilio mulctat, praeter Peraltam Manzanedi permutatione liberatum.

XXVI. Toletani cum Joanne Padilla, Madritienses cum Joanne Zapata auxilium Sagoviensibus mittunt, omnesque in Ronquillum movent. Ille pugnare ab Hadriano Cardinali prohibitus venientibus occurrit, et Antonio Fonsecae equitatum tradit.

XXVII. Fonseca Methymnam Campestrem progressus tormenta primum poscit, deinde per vim eripere frustra conatur, magna oppidi parte interim deflagrante, quamquam injussu suo. Re itaque infecta Torsillas contendit, ut Reginam Joannam Arevalum transferat; at repugnante Marchione Dianio Arevalum reverti cogitur.

XXVIII. Valdolitenses Fonsecae et Francisci Sernae aedes diripiunt, coguntque Hadrianum legem de praefectura Fonsecae abroganda promulgare. Fonseca et Ronquillus ceteris insciis ad Portugalliam et inde in Belgium ad Carolum sese recipiunt; quibus digressis Regia peditum equitumque manus dissolvitur.

XXIX. Civitates, pulsis annuis Magistratibus a Rege constitutis, binos legatos Avellam mittunt ad pacis et belli administrationem, qui varia decreta facere incipiunt de Consiliariis ex ipsa Hispanorum dumtaxat gente a Carolo eligendis, de salariis et Regio sumtu minuendo, de aditu externis ad regnandum in Hispania praecludendo, de tributis abolendis aut minuendis, de optima a civitatum legatis conciliorum libere et incorrupte habendorum ratione.

XXX. Torsillas vero oppidum occupant, tentaturi num Joanna Regina Regnum gubernare possit, a qua nulla ratione impetrare possunt, ut cuipiam vel diplomati subscribat.

LIB. III.

I. BAetici praeter Giennenses, Ubetanos et Beatienses in officio imperioque Caroli cuncti se continent, habitoque *Ramblae* per legatos concilio, ne Castellae conventus popularis jussis pareatur, sed armis, si opus sit, ob-

obsistatur, decernunt, seque ad omnes casus comparant.

II. Misso ad Regem legato, de ipsorum constantia, fide et officio eum docent, utque in Hispaniam redire properet, postulant. Iidem litteras ex concilio *Ramblae* habito ad Castellanorum popularem conventum mittunt, quibus eos ab incepto retrahere conantur, simulque admonent, se Regi omnia officia praestituros.

III. Castellani populares Baeticis respondent, se legitimum Regis imperium non detrectare, sed ejus consultorum avaritiam cohibendam sibi videri.

IV. Lusitani Extremaduram incolentes concilio Emeritae Augustae convocato idem fere, quod Baetici, decernunt.

V. Burgenses cujusdam Jofredi, natione Belgae, domum diripiunt, eumque in carcerem conjiciunt peremtumque laqueo raptant in patibulum, atque suspendunt. Ad hos motus sedandos Castellae Comestabilis Burgos venit, sed bis vitato mortis periculo urbe discedit, et Farum suae ditionis oppidum progreditur.

VI. Najarensium tumultum ipsorum Dux Antonius Manricus coërcere studens, oppido vi capto et a militibus direpto, de principibus seditiosi consilii supplicium sumit.

VII. Carolus per litteras et diplomata Enechum Castellae Comestabilem et Henricum Almirantum procurationi Regni cum Hadriano Cardinale praeficit. Comestabilis sua pecunia et quinquaginta ducatorum millibus, quae a Portugalliae Rege mutuatur, delectum habet, et ad bellum se comparat.

VIII.—IX. Populares ex concilio Torsillano rem communem administrantes novo delectu suas copias augent; hisque Petrum Gironum praeficiunt; qui a Carolo alienum animum gerebat spe Ducatus Methymnae Sidoniae jure uxorio potiundi dejectus.

X. Hadrianum Cardinalem cum Consiliariis capere moliuntur, quo cognito ille Valdolito profugit. Interea Almiranto ex Catalonia reduci praesto adsunt plures proceres atque optimates.

XI. Comestabilis Burgos redux civitatem ad officium reducit promissis, quae postea a Carolo impetrare non potest, praeter immunitatem mercatus.

XII. Petrus Fernandus Velascus, quicum plures proceres sensim conjunguntur, coactis regiis copiis Methymnam contendit. Contra Petrus Gironus Villalpandum occupat.

Tor-

XIII. Torsillas, quae a civitatum legatis cum praesidio tenebantur, diversis partibus Petrus Fernandez Velascus oppugnat, fortiter defendentibus oppidanis, qui adversarios intra moenia conspicati, proximas domos incendunt, et magno campanarum strepitu periculum sociis significant.

XIV. Velascus oppidum tandem expugnat, et per integrum diem militibus diripiendum permittit. In expugnatione civitatum legati comprehensi nonnulli, ceteri fuga elapsi, Petrus Gironus copias omnino relinquit, et Pegnafielem discedit, partim calumnia popularium commotus, partim propinquorum procerum admonitionibus.

XV. Utriusque exercitus copiis magna ex parte difluxis, Petrus Cueva ad Rodillanam quingentos populares aut interficit, aut capit, ad Zarzam octingentos aggressus, cunctos ad deditionem compellit.

XVI. Toletani cognito Petri Gironi discessu Joannem Padillam cum supplemento mittunt, qui Valdoliti a popularibus magna cum gratulatione recipitur. In horum partibus erat Antonius Acugna Episcopus Zamorensis homo factiosus ac turbulentus, qui Zamora urbe ejectus et Taurum progressus, in popularium castra pervenit.

XVII. Episcopus autem cum parte copiarum Ampudiae praesidium pellit, Magazae templum diripit, et Valdolitum revertit. Hic populares per praeconem cunctos adversarios proceres laesae Majestatis crimine condemnant. Padilla Torlobatonem castellum vi capit atque diripit, arcemque munitissimam per ignaviam praefecti recipit, ibique stativa constituit.

XVIII. Comestabilis Burgensem arcem praesidio munit et Sanctium Velascum pro tormentis deferendis Fontemrabiam mittit. Petrus Ajala Salvaterrae Comes ex decreto popularium Torsillani concilii praemittit ex suis, qui tormenta ex Fonterabia per terram devecta intercipiant; ipse in vallem Arratiam movet, qua graviora tormenta ad Bilbaum exposita convehi nuntiabantur.

XIX. Jacobus Martinus Alava Antonium Gomezium Ajalam Praetorem Victoriae a concilio popularium Torsillano constitutum inopinantem comprehendit, et in custodiam tradit.

XX. Comes Salvaterrae ira incitatus Victoriam contendit, oppidum oppugnare parans; sed accepta legatione pacem Victorien-

riensibus certis conditionibus largitur.

XXI. Manricus Lara jussu Comestabilis cum veterana manu ad Andagojam progreditur, et, Comite Salvaterrae fuga subtracto, ipsius aedes diripit et incendit; deinde Salvaterram receptam Jacobo Martino Alavae custodiendam tradit. Comes Salvaterrae in montes sese abdit; ille ex praefecturis, quas *Merindades* vocant, quatuor ad officium redire cogit.

XXII. Summa belli in Cantabria gerendi Martino Ruizio Avendagno et Gomezio Gonsalo Buitrono traditur. Salvaterrae Comes ad Salvaterram improvisus adest, sed ab oppidanis reicitur.

XXIII. Martinus Avendagnus cum copiis ex urbe Victoria eductis cum Comite Salvaterrae confligit. Hic se fugae mandat; Gonsalus vero Barahona pugnans capitur, et poena capitali in foro mulctatur.

XXIV. Comestabilis, assectantibus multis proceribus, in Vaccaeos profectus Bezerrillum castellum ex itinere expugnat, capto ipsius praefecto Ducis Arquensis fratre, et ad Pegnaflorem considet; ceteri proceres undique confluentes cum Comestabili quoque sese conjungunt.

XXV. Joannes Padilla ad Nonum Kal. Maji Ann. M.D.XXI. Torlobatone incenso cum suis copiis Taurum contendit, et ad Villalare proceres infestis signis in eum procurrunt.

XXVI. In eo praelio ipse cum Petro et Francisco Maldonado et Joanne Bravo a multis circumventus, et postquam Valduernae Comitem ex equo deturbaverat, tandem ab Alfonso Cueva capitur: postridieque morte omnes mulctantur praeter Petrum Maldonadum Beneventano Comiti in custodiam datum.

XXVII. Regni Praesides Symancas concedunt, et Valdolitensibus, qui ad eos legatos pacem atque veniam oratum mittunt, quam facile universo populo, exceptis seditionis principibus, tribuunt, Valdolitumque regrediuntur; deinde Methymnam Campestrem atque Sagoviam progressi ceteris populis et civitatibus eadem conditione veniam impertiuntur: atque ita populari tumultui finis ab omnibus fit, praeter Toletanos seditionem pertinacius alentes.

XXVIII. Interea Solymanus Turcarum Imperator bellum infert Ludovico Bohemiae et Hungariae Regi, cui Caroli Caesaris soror germana nupserat, et Belgradum expugnat.

LIB.

LIB. IV.

I. FRanciscus Gallorum Rex Henricum cognatum clientemque suum in Navarrae Regnum reducere studens Navarram a praesidio vacuam occupare coacto exercitu Asparrosum jubet.

II. Dux Najarensis Gallorum adventu cognito Sagoviam per equos dispositos proficiscitur, Praesidibusque de Navarrae periculo certioribus factis praemissoque Michaële Ferrera Pompelonensis arcis praefecto, ipse incunctanter regreditur, et ad Navarrete consistit.

III. Galli Pompelonem urbem occupant arcemque recipiunt.

IV. Logrognum oppugnare, et Castellam penetrare parant, hortantibus Maria Pacheca, et Episcopo Zamorensi, qui cum eo consilio Gallos adiret, a regiis militibus captus Symancas, ut in arce custodiretur, mittitur.

V. Castellae Praesides Petro Velezio Guevarae Logrognum defendendi curam tradunt. Galli desperata expugnatione Calagurrim versus movent; sed Beltranus Cueva inducto auxilio eos ab oppugnatione deterret.

VI. Asparrosus in Navarram interiorem parvis itineribus regreditur, et ad Thebas prope Pompelonem castra ponit.

VII. Praesides Ducem Najarensem copiis omnibus praeficiunt; et Hadriano Cardinali ad Logrognum remanente, Comestabilis et Almirantus bellum communi consilio cum Najarensi administrandum constituunt, et ad Squirozium vicum inter hostium castra Pompelonemque consistunt. Asparrosus Thebis movet, Pompelonem occupare, aut praelium committere paratus.

VIII. Galli tormentis pugnam ineunt, et adeo magnum terrorem nostris incutiunt, ut Cantabrorum acies pedem referret; quod Almirantus animadvertens, brevi quidem, sed vehementi oratione eos alloquitur.

IX. Qua oratione militum confirmatis accensisque animis praelium redintegratur, amissisque tormentis Galli in fugam vertuntur. In eo praelio Asparrosus dux, in fuga vero Tornajus capiuntur.

X. Toletani adhuc tumultuantes Episcopo Zamorensi negotium dant Iepes oppidum contendendi, et lacessendi reprimendique Antonii Zugnigae Equitum Sancti Joannis praefecti.

XI. Antonius Zugniga ad se suaque tuenda, praesidio coacto, cum finitimis tumultuantibus bellum gerit. Morae casus mi-

miserabilis, quo, fano deflagrante, numero supra quatuor millia homines in eo conclusi pereunt.

XII. Zugniga vero victor Ocagnam ingreditur. Zamorensis Episcopus cum Toletana manu Iepes pervenit, qui parvis praeliis factis Toletum se recipit: summa belli in Carpetania gerendi ad Antonium Zugnigam et Joannem Riveram a Regni Praesidibus delata.

XII. Scalonae Princeps cum filio, itemque Jacobus Cardenas Toletum urbis pacificandae gratia veniunt; sed Toletani hunc atque ejus comitatum armis atque equis exuunt; illius filium in popularium verba jurare compellunt.

XIV. Episcopus Zamorensis Toleto in Navarram, et Gallorum castra contendit; Pachecus vero Scalonam discedit. Zugniga et Rivera Toleti obsidionem urgent. Toletanis commeatuum causa egressis Joannes Rivera cum equitibus fit obviam.

XV. Quibus conspectis retrocedunt frustra ab urbe auxilio submisso: in ea fuga quingenti amplius desiderati, et in iis Chaves quidam aurifex magnae inter ipsos auctoritatis ob virtutis opinionem.

XVI. Antonius Zugniga ex Jepibus movens multis viris assectantibus ad coenobium Sisla castrametatur, et oppidanos tormentorum telis infestat.

XVII. Toletani ad mille quingenti Tagum vado trajiciunt, et occurrentem Zugnigam pedem referre cogunt.

XVIII. Sed Petrus Nugnez ducem atque equitatum appellans eos vehementi oratione a fuga revocat.

XIX. Confirmatus Antonius Zugniga pugnam redintegrat, et trecentis circiter hostibus concisis totidem capit.

XX. Toletani hac accepta calamitate legatos de pace ad Regni Praesides mittunt, qui eam certis conditionibus libenter tribuunt. Gabriel itaque Merinus Archiepiscopus Barri Magistratibus acceptis urbi praeficitur; Maria Pacheca noctu discedit; et Toletani ad pristinum statum et tranquillitatem redeunt.

XXI. Gallorum Rex exercitu reparato copiis omnibus Almirallium praeficit. Hic Fontemrabiam obsidione cingit, et a Jacobo Vera commeatus, rei pecuniariae, pulverisque tormentarii inopia laborante per deditionem recipit.

XXII. Beltranus Cueva Regni Praesidum jussu Sanctum Sebastianum oppidum Guipuzcoae Cantabricae provinciae primarium tueri properat. Almirallius fir-

firmo praesidio Fonterabia munita domum revertitur.

XXIII. Galli Beoviae arcem demoliri constituunt, sed Beltranus per Ludovicum fratrem eam sine certamine per deditionem recipit. Galli arcis desiderio incensi ad eam oppugnandam advolant.

XXIV. Beltranus sociis laborantibus subvenit, et hostes in fugam conjicit.

XXV. Deinde finitimam Galliam incursionibus infestat, praesertim post adventum trium millium Germanorum, quos Carolus jam redux mittit, Sanctumque Joannem Lucium maritimum castellum diripit, et quo tempore Petrus Cueva mari cum classe Bajonam invadit, ipse terra cum exercitu accedit; verum malacia consecuta et contrario vento flare incipiente, necnon Lautreco Mariscalique Navarrae omnem circa regionem ad arma vocantibus, Beltranus, classe discedere jussa, suas ipse copias in Sanctum Sebastianum reducit.

XXVI. Idem Fontemrabiam obsidet, et mulierculis, quae cibaria obsessis deportant, auriculas proposito praemio abscindi indigno exemplo jubet, classemque ad hostiles naves a portu arcendas per Alfonsum Mercadum comparat.

XXVII. Gallicae naves partim captae, partim aestu minuente subsidentes injecto ab Hispanis igne conflagrant.

XXVIII. Franciscus Gallorum Rex terra marique novum subsidium Fontemrabiam mittit, qui eo pervenit, cum jamjam Galli sese dedituri erant. Beltranus suas copias Sanctum Sebastianum reducit.

XXIX. Eodem anno scilicet M.D.XXI. Franciscum Gallorum Regem Leo Pontifex Maximus, et Carolus Caesar communibus armis Mediolanensi Principatu dejicere statuunt. Quo autem tempore, quaque ratione ipsum occupasset, breviter describitur.

XXX. Foedus inter Pontificem et Caesarem initum ea praesertim conditione, ut Franciscus Sfortia Mediolanensi Principatui praeficiatur. Hieronymus Moronus Principes Italicos ad bellum pro Sfortia; Mediolanenses vero ad defectionem solicitat.

XXXI. Thomas Fusius rei Mediolanensi pro fratre Odetho Lautreco procurator Regium Lepidi per dolum invadens strenue rejicitur.

XXXII. Odethus Lautrecus a Francisco Gallorum Rege in Italiam properare jussus. Leo Pontifex Mantuae Principem Italicorum peditum equitumque de-

lectum habere eisdemque praeesse jubet. Carolus Caesar Prospero Columnae scribit, ut Hispanis cohortibus et equitibus cataphractis ex praesidiis Regni Neapolitani deductis, se Federico Gonzagae conjungat. Is Parmam oppugnare aggreditur; sed dissentiente Piscariae Marchione oppugnationem omittit.

XXXIII. Leo Pontifex Julium Medicem Cardinalem bellum cum ducibus administrare jubet. Hic Mediolanum ipsam urbem petendam censens Mediolanum movet conductos Helvetios jam domo profectos obiter recepturus.

XXXIV. Lautrecus magnam vim pecuniarum mutui nomine exigit, et Mediolanum fossa valloque munire, et veteres arces reficere incipit; verum adventu Caesarianorum, qui arces reficiunt, repulsis, et ipsorum praefecto capto, Hispani urbem invadunt.

XXXV. Odethus copiis Mediolano eductis Comum primum, inde Cremonam se recipit. Robertus Sanseverinus Leonis Pont. affinis Parmam cum praesidio occupat, Placentia quoque cum ceteris Mediolanensis ditionis oppidis recepta praeter Cremonam, et arces Mediolanensem, Novariensem et Tritiensem.

XXXVI. Romae Leo Pontifex naturae concedit, quo nuntio accepto Julius Medices ad Pontificia comitia revertitur. Duces Caesariani Parmam et Placentiam Ecclesiae restituunt, et ceteris copiis dimissis Hispanos Germanosque in oppidis hybernorum causa disponunt.

XXXVII. Franciscus Gallorum Rex magnum supplementum Lautreco; Carolus Germanorum manum auxilio Prospero Columnae mittit. Sfortia cum Germanorum sex millibus Mediolanum pervenit.

XXXVIII. Novaria expugnata Lautrecus Papiam oppugnare parat. Prosper Columna Papiensibus subsidium mittit.

XXXIX. Lautrecus Papiae oppugnationem omittit, atque Helvetiis missionem efflagitantibus statuit praelium vel iniquo loco committere.

XL. Ad castra igitur hostium oppugnanda Moguntia digreditur; Prosper Columna Sfortiae renuntiat, ut oppidanos ad arma vocet.

XLI. Sfortia cum armatorum sex millibus et quadringentis equitibus ad Bicocham consistit. Lautrechus Caesarianorum castra tormentis oppugnat. Helvetii suo more ad hostilia tormenta occupanda concurrunt, sed

sed frequentes cadunt Hispanorum scloppetis.

XLII. Lautrecus in castra hostium irrepere per fraudem tentat, sed dolo cognito repellitur, et pedem referre cogitur.

XLIII. Laus Pompeja et Pisleo ab Hispanis receptae. Lautrecus imperio fratri tradito ad suum Regem proficiscitur. Lautreci frater Cremonae deditionem certis conditionibus cum Prospero Columna data acceptaque fide firmat.

XLIV. Columna in agrum Genuensem exercitum inducit, ut Fregosis depulsis, qui Gallicis rebus student, Adornos alterius factionis principes in patriam reducat. Petrus Navarrus Octaviano Fregoso auxilia a Gallorum Rege petente Genuam mittitur.

XLV. Fernandus Avalus ab occasu oppugnationem aggreditur. Columna occasionem observat. Genuenses legatum de pace ad Avalum mittunt, sed interea Hispani aditum sibi in urbem aperiunt, irrumpuntque.

XLVI. Militibus permissa praeda urbem diripiunt opulentissimam. Postridie direptionis finis imponitur. Fregosus et Navarrus capti; Antoniotus autem Adornus Dux civitatis factus.

XLVII. Rex Gallus novum exercitum cum Almirallio suis atque Genuensibus mittit, sed cognito Genuensium casu domum revertuntur. Thomas Fusius ex pactis Cremona Caesarianis tradita ipse cum Gallicis praesidiis decedit.

XLVIII. Columna pulsis Italia Gallis Germanos, Italosque milites ob inopiam pecuniae dimittit. Ad victorem exercitum alendum Florentinis, Senensibus, Lucensibusque liberis civitatibus, ac Duci Mediolanensi centum et quadraginta millia nummorum aureorum Joanne Emanuele, et Carolo Lanojo consilii auctoribus imperantur.

XLIX. Carolus Caesar in Hispaniam redux principes auctoresque tumultus ad ducentos et septuaginta laesae Majestatis condemnat. Salvaterrae Comes, qui ex Portugallia Burgos rediens Caesaris clementiam frustra implorat, in custodia animi dolore morboque confectus interit.

L. Granatensis regio et Almeria potissimum terraemotu concussae. Solymanus Rhodum recipit post longam et fortissime sustentatam obsidionem a Religiosis militibus Sancti Joannis.

LIB.

LIB. V.

I. CArolus cum Venetis belli societatem init Anno M.D.XXIII. Arx Mediolanensis in Sfortiae Caesarianorumque potestatem pervenit. Foedus Caroli cum Hadriano VI. Pontifice, Sfortia, Florentinis, Genuensibus, Senensibus, atque Lucensibus, in eos, qui pacem Italiae solicitarent.

II. Rex Gallorum, magno exercitu confecto, cum hoc Italiam progredi Almirallium jubet; Prosper Columna numero militum longe inferior Mediolanum se recipit, Papia Cremonaque valido praesidio firmatis.

III. Almirallius dum exercitus partem opperitur, rei bene gerendae occasionem amittit. Itaque castris prope Mediolanum urbis oppugnandae gratiae positis, Laudem Pompejam et Alexandriam per Petrum Bajardum occupat, Cremonamque oppugnat; sed desperata expugnatione suos inde evocat ad Mediolani obsidionem urgendam.

IV. Fernandus Alarco Mediolanum venit, ut in locum Piscariae Marchionis succedat. Illi Columna graviter aegrotans summam imperii tradit. Almirallius in hyberna secessurus duorum mensium inducias petit.

V. Legatis utrinque missis ad inducias statuendas re infecta discedentibus, Almirallius omissa Mediolani obsidione Abbiagrassum copias reducit. Rentius Ursinus Aronam frustra oppugnat.

VI. Carolus Caesar coacto exercitu Pompelonem cum magno procerum comitatu progreditur, simulatoque consilio tam alieno anni tempore in Galliam copias traducendi, ut Gallorum Regi majorem terrorem injiciat, proceres se duce ad bellum in Galliam gerendum cohortatur.

VII. Castellae Comestabili imperii summa tradita, Monleonem et Salvaterram ad deditionem compellit, ac totam Aquitaniam magno terrore concutit. Ceterum praefectorum coacto concilio de communi sententia propter anni tempus maxime adversum iter retorquet ad Fontemrabiam oppugnandam.

VIII. Comestabilis itaque Fontemrabiam tormentis quatere aggreditur sub initium anni M.D.XXIV. Magnis pluviis et procellosis tempestatibus consecutis necessario oppugnatio aliquantulum intermittitur. Caesar citius, quae visa sint, provisurus Victoriam urbem contendit.

IX. Per occultos nuntios Comestabilis agit cum Petro Navarrae Mariscalis filio, ut auctor fiat

fiat oppidi dedendi. Ille initio conditionem repudiat, sed, desperato auxilio, et spe sublata Comestabilem re infecta discessurum, oppidum tradit, in quo ingens commeatus, et cibariorum copia reperiuntur.

X. Lanojus, justis Columnae funeribus solutis, exercitum ex hibernis deducit, Ticinumque copiis traductis ad Gambalotum castra ponit. Almirallius Ticinum quoque trajicit, et ad Villevenum non longe ab hostibus considet.

XI. Bona cataphractorum parte a Caesarianis oppressa, atque adeo equitatu Gallico multum imminuto, horum incommodorum impatientes Galli continuo biduo acie instructa hostibus pugnandi potestatem faciunt. Hispani bellum ducere decernunt. Saturana oppidum atque ejus arx captis praefectis expugnatur, Vercaellae per deditionem recipiuntur.

XII. Rhaetii Gallis auxilio in agrum Bergomatem progressi a Joanne Medice ita vexantur, ut domum sese recipere cogantur. Sfortia Abbiagrassum expugnat diripitque, sed perniciosa victoria, quippe qua Abbiagrassi pestis ex contagione Mediolanum invadit.

XIII. Almirallius silentio noctis castra movet. De hac simili fugae profectione certiores facti Caesariani Gallos insequuntur et male habent; atque in eo receptu hostium Petrus Bajardus, et Joannes Cabaneus interficiuntur, Almirallius ipse graviter vulneratur.

XIV. Pulsis Italia Gallis Laus Pompeja atque Alexandria in Caesarianorum potestatem veniunt. Carolus Galliae Comestabilis et Borboniorum Dux in Caroli Caesaris fidem recipitur.

XV. Borbonius accepto exercitus imperio copias in Transalpinam Galliam traducit, Massiliamque urbem oppugnare aggreditur. Rentius Ursinus urbem tueri jussus facile obsidionem sustentat.

XVI. Franciscus Gallorum Rex magnum exercitum cogit, atque eo consilio in Transpadanam Italiam proficiscitur, ut eam a milite Caesariano vacuam in suam potestatem redigat. Borbonius omissa Massiliae oppugnatione magnis itineribus Mediolanum revertitur.

XVII. Franciscus Gallorum Rex Papiam magno impetu multis ex partibus oppugnare et murum tormentis ferire aggressus bonam ejus partem demolitur, sed ter milites irrumpere conati; terque a Caesarianis cum detrimen-

mento repulsi.

XVIII. Quapropter Rex Ticinum fluvium, qui Papiam, qua murus infirmus, alluit, avertere tentat; verum magnis imbribus consecutis fluvius auctus opus disjicit diruitque. Rex igitur inopia saltem commeatuum obsessos premere statuit. Partem quoque exercitus cum Joanne Scoto Albaniae Duce Neapolim mittit, qui Regnum recipiat.

XIX. Caesariani Albaniae Ducem insectantur, sed de Regis consilio invadendi Regni Neapolitani certiores facti exercitum in castra reducunt.

XX. Lanojus ex Leivae litteris cognoscens Germanos, nisi stipendium ipsis solvatur, urbem tradituros minitari, pecuniam per duos Hispanos milites novo strategemate in urbem inducere tentat. Clemens Pontifex, Veneti, Florentini, ac fere reliquae liberae civitates foederis conditionibus non satisfaciunt.

XXI. Duo igitur milites pro transfugis ad cohortem Petri Guevarae perveniunt, qui gradu per injuriam dejectus impetrata a Carolo facultate ad Galliae Regem se contulerat.

XXII. Papienses custodes erumpunt et Gallos levi praelio lacessunt; his Guevara Hispanorumque cohors sese objiciunt: tunc praelio commisso duo milites pecuniam comportantes cedentibus Papiensibus sese conjungunt, et sic incolumes ad Antonium pecuniam et Lanoii mandata perferunt.

XXIII. Caesariani copiis auctis recreati Regem praelio lacessere cupiunt, sed stipendio non soluto de militum voluntate dubitant. Piscariae Marchio apud Hispanos concionatur.

XXIV. Ejusdem oratio ad milites eloquentissima, qua ipsorum animos ad praelium majorum facinoribus laudibusque propositis incendit.

XXV. Copiis in unum coactis Sanctum Angelum oppugnant Caesariani expugnantque, Marchionis Piscariae virtute commoti, qui secundus post Hispanum centurionem murum conscendit.

XXVI. Alexander Bentivollus ad Casale majus Joannem Ludovicum Palavicinum capit, ejusque copias fundit. Gaspar quoque Mainus Italicorum duo millia, in Regis castra contendentes, armis exutos dimittit.

XXVII. Rhaetiorum e Gallorum castris discessus.

XXVIII. Caesariani minus mille passuum a Regis castris intervallo castra ponunt, hostemque diurnis nocturnisque eruptionibus infestant.

Pis-

XXIX. Piscariae Marchio, Mirabellum praetorium qua ratione occupari possit, Lanojo et Borbonio demonstrat.

XXX. Sexaginta equites Hispani sacculos singulos tormentario pulvere plenos per mediam hostium stationem progressi Papiam inducunt.

XXXI. Postridie ad IV. Kal. Mart. Anni M. D. XXV. Caesariani incredibili diligentia murum ariete concutiunt et *Parcum* irrumpunt; sed ipsorum tormenta a Gallis facile occupantur.

XXXII. Piscariae Marchio cedenti Hispano equitatui auxilium mittit. Vexillum Fernandi Regis, qui fraterno exercitui equestrem suam familiam miserat, bis amissum, bisque receptum.

XXXIII. Helvetii Caesarianorum primum impetum non ferunt; Germanique hostes fugantur.

XXXIV. Eodem fere tempore, Antonio Leiva cum praesidio e Papia erumpente, fuga undique a Gallis fieri coepta. Rex ipse Franciscus, amisso exercitu, cum paucissimis se fugae mandans, a duobus Hispanis equitibus capitur.

XXXV. Capti etiam Almirallius, Thomas Fusius, Galleatius Sanseverinus, Jacobus Cabaneus, et alii multi proceres. Ex Caesarianis perpauci desiderati. Piscariae Marchio duas plagas accipit. Carolus Caesar gaudium ex tantae victoriae nuntio moderate pro sua gravitate fert.

LIB. VI.

I. FRancisco Gallorum Rege capto et in Hispaniam perducto, Italici Principes Caroli potentiam suspectam habere incipiunt, praecipue Clemens Pontifex Maximus.

II. Veneti, vetus institutum secuti, nimis augescentibus Caroli viribus adversantur. Albertus Pius Carporum Comes haud praeter Ludovicae Galli Regis matris voluntatem Clementem Pontificem Venetosque ad bellum cohortatur.

III. Pontifex ac Veneti missa legatione ad belli societatem invitant Henricum Britannorum Regem, Carolo Caesari ideo succensentem, quod justis de causis suam filiam Isabellae Portugalliae Regis filiae in matrimonium posthabuisset.

IV. Henricus foedus sancit occultissime cum Pontifice, Gallis et Venetis: iidemque Franciscum Regem per occultum nuntium cohortantur, ut libertatem quibuscumque conditionibus a Carolo redimat, jurisjurandi ve-

niam iniquo exemplo a Pontifice impetraturus.

V. Foederati res ad bellum necessarias comparant. Piscariae Marchio de celato sibi consilio Regem Gallum in Hispaniam traducendi vehementer per litteras cum Carolo Caesare conqueritur.

VI. Caroli Caesaris ad Piscariae Marchionis querelas satisfactio.

VII. Hieronymus Moronus a Pontifice Venetisque ad Piscariae Marchionem mittitur. Ejusdem oratio Marchionem ad defectionem solicitantis, Regni Neapolitani praemio proposito.

VIII. Hic se vehementer legati pollicitis commotum rei difficultate tantummodo deterreri simulat, ut Foederatorum consilia facilius exploret.

IX.—X. Moronus conspirationis socios nominat. Marchio ad tanti momenti negotium domi tractandum ipsum rejicit, eo scilicet consilio, ut Antonius Leiva post stragula occultatus, quod accidit, audire possit.

XI. Piscariae Marchio de Pontificis ceterorumque Foederatorum consiliis Caesarem certiorem per litteras facit.

XII. Reverso ad diem Morono, Piscariae Marchio tandem respondit, sibi auctoramento Carolo Caesari obligato, non videre se, quomodo non sit defectio infamiae futura. Clemens Pontifex Marchioni persuadere nititur, id facinus ab ipso pie atque sancte patrari posse.

XIII. At Piscariae Marchio Moronum capere statuit, qui captus, intentatis tormentis, conjuratorum consilia planius atque apertius indicat.

XIV. Ad nuntium capti Moroni Dux Sfortia magno timore perculsus sui purgandi causa ad Marchionem mittit, et praeter Mediolanensem Cremonensemque arces cuncta ei tradit. Marchio Sfortiae renuntiat, ut illas quoque duas arces in suam potestatem permittat.

XV. Sfortia arces memoratas tradere renuente, Gaspar Frodespergus cum tribus millibus Germanorum, quibus praeerat, Mediolanensem obsidet; Cremonensis quoque obsidetur.

XVI. Interea Rex Gallus cum Carolo pacem utcumque facit, et se in libertatem vindicat certis conditionibus, ea praesertim, qua pollicitus est Burgundiam reddere, et Mediolanensis Principatus jure cedere.

XVII. Quo jure Carolus Caesar Burgundiam, quam sui majores obtinuerant, repeteret, ipsis majoribus ordine memoratis, explicatur.

Jus

XVIII. Jus Gallorum Regum in Mediolanensem Principatum unde originem agnoscat.

XIX. Ceterum Gallorum Rex duos filios Franciscum atque Henricum obsides dare pollicetur, se Burgundiam traditurum, aut in Hispaniam Carolique potestatem reversurum.

XX. Datis igitur obsidibus Rex Franciscus liberatur in Galliamque revertitur. Pontifex foedus cum legatis confirmat, et misso ad Franciscum legato, illum jurejurando, siquo forte sit astrictus, auctoritate Apostolica liberare praesumit.

XXI. Rex Gallus Pontifici respondet, se, quae Albertus Pius suus legatus pactus fuerat, rata habere; foedusque certis conditionibus adversus Carolum Caesarem sancit.

XXII. Piscariae Marchionis obitus, cui succedunt Antonius Leiva et Vasti Marchio. Mediolanensium tumultus origo.

XXIII. Mediolanenses Hispanos adoriuntur, qui eos facile repellunt.

XXIV. Eodem tempore Sfortia Dux custodes ex arce emittit adversus obsidentes Germanos, a quibus etiam repelluntur. Principes civitatis seditionis veniam a ducibus Caesarianis postulant certisque conditionibus impetrant.

XXV. Pontifex et Veneti suas copias mittere constituunt, ut Sfortiam Ducem obsidione solvant.

XXVI. Clemens Pontifex ad Carolum epistolam scribit, in qua injurias sibi ab eo illatas recenset, ipsumque ad publicam Christianorum pacem tuendam, pacisque aequas conditiones accipiendas cohortatur.

XXVII. Sed poenitentia et pudore ductus alteram epistolam moderatiorem ad Balthasarem Castilloneum ejus legatum mittit, quam Caesari tradat, priori suppressa.

XXVIII. Carolus prioribus litteris acceptis singulatim ad objecta respondet calumnias diluens, et calliditatem detegens atque refellens.

XXIX. Dux Urbinas Laudem Pompejam corruptis custodibus recipit.

XXX. Vasti Marchio irrito conatu urbem recipere tentat. Arx quoque in hostium potestatem pervenit.

XXXI. Copiae Pontificiae cum Venetis conjunguntur. Sfortia Dux cc. homines ex arce emittit, qui per Caesarianorum munitiones in Foederatorum castra cum mandatis perveniunt. Hi oppugnare Caesarianos statuunt.

Borbonii ex Hispania cum summa imperii reditus.

XXXII. Foederatorum cum Caesarianis leve praelium. Illi Melignanum revertuntur. Desperatis rebus Dux Sfortia Mediolanensem arcem certis conditionibus tradit.

XXXIII. Sfortia Dux a Foederatis receptus, in eorum castris permanere constituit.

XXXIV. Foederati Helvetiorum ad quatuordecim millia accessione facta recreati Mediolanum rursus obsidere parant.

XXXV. Malatesta Ballio Perusinus cum hominum octo millibus ad Cremonam oppugnandam missus ter oppugnationem repetit, terque rejicitur.

XXXVI. Dux Urbinas negotium sibi suscipit oppugnationis tentandae. Caesariani deditionem faciunt.

XXXVII. Interea Columna Cardinalis et Hugo Moncada cum Hispanorum et Columnensis factionis militum manu Romam invadunt.

XXXVIII. Hugo Moncada et Ludovicus Cordubae Suessanus Dux de compositione cum Pontifice frustra agunt. Suessani Ducis interitus. Moncada consilium Clementem opprimendi cum Columna Cardinali communicat.

XXXIX. Clemens Pontifex, dum hostes ad Divi Joannis Lateranensis aedem sese ex itinere reficiunt, militem ad obsistendum conducere jubet.

XL. Moncada *Burgum* Romae vicum suburbanum occupat.

XLI. Hugonis Moncadae ad Clementem Pontificem legatio, qua ipsum, ut ab armis discedat, et cum Carolo societatem ineat, pluribus verbis monet.

XLII. Moncada a Pontifice colloquendi gratia evocato quatuor mensium induciae fiunt.

XLIII Ille cum Columna Cardinali Neapolim revertitur. Pontifex suas copias ex castris Foederatorum revocat, sed eas inducit in fines Columnensium, ubi longe lateque stragem edunt ad adventum usque auxiliaris manus ex Hispania.

XLIV. Hanc classis sustulerat, quae Corsicam, deinde Genuam delata, subito malacia consecuta, necessario ibi consistit.

XLV. Quo animadverso Doria et Navarrus hostilis classis praefecti nostram oppugnant, unamque navim deprimunt, qua Hispani quadringenti vehebantur, quorum multi cum triremes apprehendissent, concisis ab hoste manibus alto redditi pereunt; sed exorta tempestate hostes in portum se recipiunt, Hispana clas-

classis Cajetam procedit, Lanojus expositos milites in Columnensium fines inducit.

XLVI. Lanojus copias in Fragnonem et munitiora castella disponit, Romamque progreditur a Pontifice evocatus.

XLVII. Clemens Pontifex inducias se non violasse in finibus Columnensium invadendis contendit. Novas octo mensium inducias cum Lanojo paciscitur.

XLVIII. Franciscus Gallorum Rex Vasconum quatuor millia Salutiarum Marchioni in Galliam Cisalpinam deducenda tradit. Georgius Frondespergus jussu Caesaris Germanorum auxiliarem manum Mediolanum ducit. Dux Urbinas et Joannes Medices Mediolani obsidionem omittunt.

XLIX. Joannes Medices parvo praelio cum Germanis commisso scloppeti telo crure vulneratus occiditur. Carolus Caesar peranguste stipendium submittit.

L. Carolus idem uxorem ducit Isabellam Emanuelis Portugalliae Regis filiam. Auctoris de nuptiis et aetate opportuna episodia.

LI. Rodericum Ronquillum Caesar Symanchas mittit, qui necis ab Episcopo Zamorano patratae causam cognoscat. Ille Episcopum caedis convictum et confessum morte condemnat, et in custodia strangulari jubet.

LII. Qua ratione caedem Episcopus patraverit, diligenter enarratur.

LIII. Carolus veniam a Pontifice Maximo impetrat animadversionis in Episcopum praeter morem majorum et leges Pontificias editae. Ronquillus Magistratu sese abdicare cogitur, nec ante annum elapsum hujusmodi veniam obtinet.

LIB. VII.

I. MAgno odio et ira in Clementem Pontificem milites ad Mediolanum exardescentes ineunte vere Anni M.D.XXVII. ex agro Mediolanensi Romam proficiscuntur. Lanoji litterae, ne ulterius urbem versus progrediantur.

II. Litteris recitatis milites clamorem et tumultum concitant, et conditiones Pontifici dare, non ab eo accipere praesumunt. Ducum ab exercitu discessus. Borbonius unus, militum voluntati morem gerere se velle simulans, per viam Flaminiam Romam contendit.

III. Medula ex itinere expugnatur et incenditur; quam stragem Florentia vitat Foederatorum exercitu ab Urbini Duce in eam inducto.

Ro-

IV. Romani nuntiato Borbonii adventu se ad pugnam exercent, omnisque generis armis sese instruunt.

V. Clemens Pontifex habito intra urbem militum delectu, Rentium Chierum Ursinum toti muneri Romae defendendae praeficit. Is tormentis praesidioque urbem munit.

VI. Romae saluti consulere cupiens Borbonius de pacis conditionibus ad Pontificem mittit. Rentius nimis sibi confidens caduceatorem in urbem ingressu prohibet.

VII. Caesariani muro succedunt Borbonio ipso cum Hispanis antecedente. Hispani scalis admotis murum conscendunt.

VIII. Borbonius tormenti telo occiditur. Milites majore studio atque etiam indignatione oppugnationem urgent. Hispani se de muro demittunt; ex valli custodibus ad quinque millia perpauci fuga elabuntur.

IX. Pontifex in arcem se recipit. Romanorum oscitantia in ea rerum trepidatione.

X. Burgo expugnato cum aedibus Pontificiis divi Petri fanum diripitur. Rentius Chierus in arcem confugit. Ejusdem stupor sive ignavia. Auctoris cum Alberto Pio in arcem receptus, quamquam paulo post arce excedere, quod Hispanus sit, cogitur.

XI. Clemens Martinum Portugalliae Regis oratorem ad Caesarianos duces de compositione legatum mittit. Hi ducatorum trecenta millia pro stipendio militibus numerando postulant. Ludovicus Gonzaga Transtiberinae urbis partis oppugnationi aptum locum considerare jubetur.

XII. Is quamdam muri partem defensoribus vacuam animadvertens milites conscendere jubet. Universus igitur exercitus portis refractis immissus diripiendi gratia undequaque discurrit. Ingens itaque direptio, hominum captio et caedes, domorum oppugnatio, aliaque inhumana facinora a militibus patrantur.

XIII. Romae direptionem fames, deinde etiam pestis gravissima consequitur.

XIV. Dux Urbinas cum exercitu pervenit, et non longe ab urbe Roma castra ponit. Caesariani se ad defensionem comparant. Uraniae Princeps periculose vulneratur.

XV. Pontifex cognito Ducis Urbini discessu, arcem Caesarianis certis conditionibus, seque in custodiam tradit. Lanoji, Alarconis, Vasti Marchionis, Moncadae, et Columnae Cardinalis in urbem adventus.

La-

XVI. Lanoji et Vasti Marchionis Hispanorum furorem vitantium ex urbe fuga. Uraniae Princeps, temere Germanis, quae praestare nequit, pollicitus, vix eorum manus effugit.

XVII. Caesariani constituunt, ut Hispani viginti totidemque Germani deligantur, ad quos summa potestas deferatur. Mille Hispanis praesidio relictis, reliquus exercitus Roma in oppida circumjecta digreditur. Narnia expugnatur et crudeliter diripitur.

XVIII. Tertio post mense Germani Romam revertuntur. Pontifex pecuniae promissae obsides tradit. Ad constitutum tempus pecunia non numerata Germani obsides in campum Florae, ubi patibulum erexerant, producunt, et injectis catenis quinque dierum spatium addunt.

XIX. Obsides in custodiam reducti limis catenas secant et fuga evadunt. Germani insequente die obsidibus produci jussis sine indignatione praeter omnium opinionem eorum fugam cognoscunt.

XX. Carolus Caesar suos duces monet jubetque, ut Pontificem et Cardinales primo quoque tempore liberent. Pontifex novis obsidibus et Ostiae ac Veteris civitatis arcibus traditis libertatem recipit.

XXI. Francisci Gallorum Regis de filiis liberandis ad Carolum Caesarem legatio. Caesaris ad eam legationem responsio.

XXII. Ejusdem Caesaris verba, quibus legatum privatim alloquitur, et ad regem mandata ipsum ad singulare certamen provocantia. Henrici Britannorum Regis legatio. Caroli ad hanc legationem responsio.

XXIII. Gallus Britannusque Reges caduceatores ad bellum indicendum Burgos mittunt. Henricus Rex creditam pecuniam aliaque bene multa antea a Caesare petit.

XXIV. Carolus Britanni Regis postulatis respondet. Legatorum ab urbe Regia discessus. Gallorum Regis caduceatoris oratio ad Caesarem.

XXV. Hujus ad eumdem responsio.

XXVI. Britanni quoque Regis caduceatori Caesar etiam respondet. Ipsius denique ad Gallum verba. Galli Regis legatus a Carolo per litteras petit, ut oblito sibi verba illa, de quibus caduceatori memorasset, per epistolam suggerere non gravetur.

XXVII. Caesaris ad legatum epistola.

XXVIII. Franciscus Gallorum Rex Carolum Caesarem ad sin-

singulare certamen provocat. Regis in id argumentum epistola.

XXIX. Gallorum Rex fidem publicam petit impetratque ad superiores litteras Caesari per caduceatorem mittendas. Caduceatoris ad Carolum oratio, atque hujus responsio.

XXX. Caroli Caesaris ad Franciscum Gallorum Regem epistola, qua locum singulari certamini designat, et ad falsas ipsius criminationes respondet.

XXXI. Ejus caduceatoris ad Lutetiam adventus. Franciscus Rex plurimis viris principibus convocatis multa de Caesaris injuriis, deque ejus superbia falso commemorat.

XXXII. Caduceatorem introduci jussum furentibus verbis interpellat, et nec audita, nec accepta epistola male dimittit.

LIB. VIII.

I. ANtonius Leiva, qui cum praesidio Mediolanum obtinet, a Francisco Sfortia Venetisque oppugnatur. Germani stipendio non soluto, Antonii domum diripiunt.

II. Sfortia et Veneti ad Melignanum copiis auctis considunt; Jacobus Medices ad Cassanum. Antonius Germanos ad expeditionem cum Hispanis atque Italis tentandam cohortatur.

III. Hic simulans se Melignanum proficisci, strategemate usus Cassanum pervenit, ubi hostes invadit.

IV. Caesariani in praedam vertuntur. Antonius accepto vulnere ad Germanos se recipit, eorum cupidinem castigat, atque eorumdem animos confirmat. Caesariani tanto impetu pugnam redintegrant, ut majore parte concisa perpauci periculo fugae sese eripiant.

V. Leiva Mediolanum revertitur. Veneti Sfortianique ejus strategemate delusi. Lautrecus Alexandriam recipit, Astamque progressus multum spei et animorum Foederatis addit.

VI. Genua a Gallis per Caesarem Fregosum recipitur, Doria ejus portum obsidente. Petrus Navarrus arcem quoque recipit, et tota paene Liguria in Gallorum potestatem redigitur.

VII. Lautrecus cum Gallis militibus Papiam invadit, diripitque, a nullo maleficio et scelere temperans.

VIII. Ejusdem ducis cum Mantuano et Ferrariensi Principibus foedus atque in Regnum Neapolitanum cum exercitu adventus.

IX. Philibertus Uraniae Princeps Roma discedens copias in A-

Apuliam, quo iter habere Galli nuntiantur, inducit, et Trojam perveniens praefectorum concilio advocato de ratione belli gerendi sententias exquirit.

X. Fernandi Alarconis oratio ad praefectorum concilium, in qua graviter et facunde, quid sentiat, exponit.

XI. Philibertus Alarconi suffragatus bellum ducere constituit. Gonzaga equitatus praefectus male pugnat, sed alio praelio illius diei turpitudinem delet.

XII. Philibertus copiis eductis Arianum, deinde Beneventum, tandem Neapolim pervenit, et muris refectis montem divi Martini munit praesidioque firmat.

XIII. Ex omni Apulia cuncta oppida Lautreco se per legatos tradunt praeter Manfredoniam et Melphos, quod oppidum, ejus Principe frustra tuente, ad extremum quoque expugnatur.

XIV. Melphorum Principis varia fortuna, ejusque tandem ad Turcarum Regem receptus.

XV. Lautrecus pro urbe Neapoli castra ponit. Gonzaga cum equitibus levioris armaturae ex octingentis cataphractis Gallis, ceteris fusis, aut interfectis, ducentos capit.

XVI. Caesarianos terra a Gallis obsessos mari quoque Philippinus Doria obsidet.

XVII. Hugo Moncada, ut commeatuum inopiam sublevet, Philippini Doriae classem adoriri statuit.

XVIII. Commisso praelio, Hugo ipse accepto vulnere concidit; duae Caesarianorum triremes pugna prorsus abstinent, reliquae ab hostibus devictae et captae, simulque Ascanius Columna, et Vasti Morataeque Marchiones capiuntur.

XIX. Haec calamitas Caesarianis non adeo insignem jacturam parit, quoniam, Moncada sublato, magnae quoque et periculosae ejus cum Uraniae Principe dissensiones sublatae sunt.

XX. Philibertus, pabulo omni consumto, Gonzagam cum militum manu pabulatoribus praesidio mittit. Hostilis equitatus peditatusque adesse ab exploratoribus nuntiatur.

XXI. Caesarianorum trepidatio; qui tamen hostibus urgentibus eorum impetum aliquantisper sustinent.

XXII. Hispani primum conturbantur, deinde animis confirmatis hostem aggrediuntur, pedemque referre cogunt.

XXIII. Morbus multiplex Neapoli et in Gallorum castris grassatur. Antonius Ixartinus auctor Philiberto fit Andream Do-

riam per Philippinum in partes Caesaris traducendi.

XXIV. Philibertus probato consilio Ixartinum ipsum ad Philippinum cum mandatis mittit, eique jubet amicitiae praemium Principatum in Regno Neapolitano Andreae Doriae polliceri.

XXV. Philippinus consilii summam ad Andream rejicit, et quae suae partes sint, libenter se praestiturum promittit.

XXVI. Andreas Doria, audita legatione lectisque Philippini litteris, cum recenti etiam esset injuria a Gallorum Rege affectus, conditionem accipit.

XXVII. Legatum cum mandatis ad Caesarem mittit. Is Andream ipsum cum classe in suam fidem clientelamque recipit.

XXVIII. Galli praetorium non longe ab urbe occupant. Caesariani illud expugnare conati cum jactura rejiciuntur.

XXIX. Germani calamitatum et inopiae taedio cum Gallis de transitu in illorum castra pacisci nuntiantur; et a nullo maleficio temperantes Alarconis domum diripiunt, vix ipso illorum manibus erepto.

XXX. Hispani tam insignem contumeliam minime ferendam rati, ad illam signis illatis ulciscendam se parant.

XXXI. Philiberti ad communem Germanorum ducem ceterosque primorum ordinum praefectos oratio de cohibendis injuriis, et quaestione de perfidia et insidiis constituenda.

XXXII. Praefecti Philiberto primum gratias agunt, deinde confirmant se enixuros, ut insidiarum scelus patefiat, et in auctores vindicetur.

XXXIII. Habita quaestione atque paucorum scelere comperto, de his Germani ipsi milites supplicium sumunt.

XXXIV. Fabritius Marramaldus Italicae manus praefectus, confictis nomine Lautreci ad eum litteris, in perfidiae proditionisque suspicionem venit; sed dolo cognito Fabritius absolvitur, et ad suam dignitatem et portae custodiam restituitur.

XXXV. Gallica classis cum pecunia in stipendium appellit. Ad expositos milites infestandos Urbina et Gonzaga cum manu mittuntur. Commisso praelio Galli mille circiter ducenti concisi, plures etiam capti.

XXXVI. Bertecillus nobilis latro, qui cum perditorum hominum manu per omnem circa regionem excurrit, legatione missa, Philiberto suam operam adversus Gallos pollicetur. Caesariani vias omnes excursionibus infestant.

Ad

XXXVII. Ad hostes omni commeatu prohibendos Marcellanum Gonzaga et Ixartinus mittuntur. In hac expeditione hostium equitatus in fugam versus; pedites omnes, qui commeatui praesidio erant, vel occisi, vel capti. Hispani secunda etiam praelia in Calabria faciunt. Lautrecus moriens imperii summam Salutiarum Marchioni et Petro Navarro tradit.

XXXVIII. Caesarianorum liberiores excursiones populationesque. Sarnum recipitur. Somae direptio. Nola ab Hispanis nequidquam tentatur. Hostium manus a Gonzaga magna ex parte occiditur aut capitur.

XXXIX. Philibertus in extrema cibariorum egestate praefectorum sententias exquirit. Variae eorum opiniones.

XL. Dominicus Arriaranus Gallorum castra noctu explorat, locumque expugnationi opportunum observat.

XLI. Eodem tempore proximum excubitorem invadit, et ab eo, quam in angusto hostium res sint, cognoscit.

XLII. Joannes Urbina locum ab Arriarano notatum occupat, omnibusque copiis eductis Gallorum minora castra oppugnat.

XLIII. Hostium duces octo circiter hominum millia suis laborantibus subsidio missi a Caesarianis rejiciuntur; et proxima nocte majoribus etiam castris relictis, Adversam contendunt non sine magno ab insequentibus illato detrimento. Philibertus et Alarcon Adversam oppugnare parant.

XLIV. Gallorum duces legatis ad Philibertum missis sese in ejus fidem et potestatem permittunt. Adversa tamen injussu ejus ab Hispanis diripitur. Salutiarum Marchio, Petrus Navarrus, Guido Rangonius, et Navarrae Princeps capti ad Neapoli arcem mittuntur. Universo igitur Gallorum exercitu deleto totum regnum Neapolitanum in Hispanorum potestatem redit.

LIB. IX.

I. DUm haec ad Neapolim geruntur, Henricus Brunsvicensis Dux militari manu in Germania jussu Caesaris confecta Mediolanum pervenit, Neapolim progressurus, ibique Leivae precibus adductus consistit.

II. Deinde Laudem Pompejam nequidquam oppugnat, et vehementi morbo grassante militibusque domum redire cupientibus, ipse quoque de domum reditione cogitat.

III. Brunsvicensi Duce in Germaniam discedente, Francis-

scus Borbonius divi Pauli Comes a Gallorum Rege cum mediocri exercitu missus in Italiam pervenit, et nonnulla oppida et castella trans Padum recipit. Caesariani ad magnam paucitatem rediguntur. Hostes Papiam expugnant.

IV. Genua auctore Andrea Doria a Gallis ad Hispanos deficit; cui urbi Caesar duo millia Hispanorum praesidio mittebat. Hi Ludovico Barbiano duce in Leivae castra incolumes perveniunt. Veneti, Galli et Sfortiani castra conjungunt.

V. Franciscus Borbonius Genuam tentandi gratia proficiscitur. Antonius Leiva ipsum insectatur, copiisque concisis fugatisve comprehendit, captis etiam Hieronymo Castilionensi, et Claudio Rangonio Italicorum ducibus.

VI. Duobus Gallorum exercitibus deletis, Carolus tamen publicae Christianorum quieti consulens, foedus cum Clemente Pontifice aequissimis conditionibus percutit.

VII. Coacta classe in Italiam navigat, et Augusto mense anni Christi nati M.D.XXIX. Genuam appellit. Legati a Pontifice tres Cardinales obviam Caesari prodeunt. Obviam quoque fit Placentiam appropinquanti Antonius Leiva, qui Papia expugnata exercitum Petro Velezio Guevarae ad oppugnandam Florentiam tradit. Caesaris, Pontificis, et Sfortiae Ducis Bononiam adventus. Carolus de Sfortiae et Venetorum causa gravibus prudentibusque viris adhibitis, et de pacis conditionibus deliberat.

VIII. Antonii Leivae ad Carolum Caesarem de pacis conditionibus et Mediolanensi Principatu retinendo vehemens quidem et eloquentissima oratio.

IX. Carolus pacem facit hinc cum Venetis et Francisco Sfortia, eo ad suam dignitatem Principatumque restituto, inde cum Gallorum Rege certis conditionibus.

X. Bononiae tandem coronatur a Clemente Pontifice.

XI. Bononia in Germaniam contendit, ut Religioni Christianae prospiciat, Martini Lutheri impietate exagitatae, atque ex itinere Gonzagam Mantuae Marchionem Ducem deinde appellari jubet.

XII. Interea Galli Regis filios liberandi negotium Comestabili et Ludovico Phandio dat, qui multis viris Principibus assectantibus Fontemrabiam proficiscuntur.

XIII. Eodem tempore Eleonora Regina Madritio proficiscitur.

tur. Caesaris legati Fontemrabiam; Galli Bajonam perveniunt, coactaque pecunia ad eam numerandam explorandamque Alvarus Lugus mittitur.

XIV. Regios liberos tradendi pecuniasque et scripturas recipiendi ratio.

XV. Permutatione facta Reguli et Regina Eleonora Galliam trajiciunt, Comestabilis Fontemrabiam revertitur.

XVI. Philibertus copias Florentiam oppugnandi gratia in Thusciam inducit, et Perusiam recipit. Malatesta Ballonius ea conditione Perusia tradita, cum suis cohortibus proficiscitur; deinde Cortonam praesidio firmat, et Florentiae tuendae cum summa potestate praeficitur.

XVII. Vasti Marchio Hispanas cohortes, Fernandus Gonzaga equitatum, et Italicorum peditum octo millia in Thusciam inducunt. Joannes Urbina cum Spelum agri Perusini castellum oppugnaret, crure letaliter vulneratus discedit, et paucis post diebus obit: vir praeclarissimus et importunis militibus formidandus.

XVIII. Perusia Perusinique agri castellis et oppidis receptis, Philibertus Cortonam ad deditionem compellit, Florentiamque obsidione cingit. Ferrucho autem et Chiero, qui subsidio Florentinis veniebant, obviam profectus, commisso praelio duobusque scloppeti telis confossus occiditur.

XIX. Caesariani primum conterriti pedem referre incipiunt; deinde inexspectato Hispanorum auxilio recreati magnis animis procurrunt. Plerique igitur hostes caesi, reliqui fere capti, et in iis Ferruchus et Chierus.

XX. Florentini rebus desperatis deditione facta in Clementis Pontificis potestatem sese permittere statuunt. Interea seditio inter Hispanos et socios Italos in castris exoritur ex contumelia illis ab Hispanis nonnullis illata.

XXI. Constituto die Itali socii in militiae socios Hispanos movent, Fernando Gonzaga frustra pugnam dirimere conante.

XXII. Germani postquam Italicos urbis custodes in se atque Hispanos tela jaculantes cernunt, infestis signis ipsi quoque in Italos impetum faciunt. Italis itaque repulsis, Germani Hispanique ducum monitis precibusque ab eis insectandis cohibentur.

XXIII. Sedata militum seditione, Florentini dictis acceptisque conditionibus se in Clementis Pontificis potestatem permittunt, cujus voluntate reliquus ex-

exercitus discedit, Germanorumque praesidium Florentiae imponitur. Pontifex, crudeli et inhumano exemplo primariis civibus sublatis, Alexandrum Medicem debellatae patriae tyrannum constituit.

LIB. X.

I. SOlymanus Turcarum Rex a Viennae obsidione rejectus, bellum Pannonicum reparat magna etiam classe comparata ad Italiam invadendam.

II. Carolus Religionis negotio in commune Christianorum Ecclesiasticum Concilium rejecto, e Belgio in Germaniam revocatur, et classi suae, cum qua Clementis Pontificis classis conjungitur, et Religionis equestris Sancti Joannis naves, Andream Doriam ad tutandam Italiam praeficit.

III. Solymanus missa classe navium longarum, ut Italiam infestet, ipse in Pannoniam superiorem cum magno exercitu contendit. Hujus belli causa et origo Fernandi Austriae et Joannis *Vaivodae* de Hungariae Regno contentiones. Quo jure id sibi Fernandus vindicet, altius summa repetita explicatur.

IV. Ludovico Hungariae Rege sine liberis defuncto, Joannes Sepusius *Vaivoda* ad Budam Rex appellatur. Fernandus, exercitu in Pannoniam inferiorem inducto, multa oppida recipit, et ipsum Joannem persequitur, qui ad Solymanum auxilium oratum mittit.

V. Solymanus Viennam obsidet, sed Germanorum et Hispanorum virtute repulsus, re infecta domum revertit, et ex itinere Joannem *Vaivodam* Hungariae Regem constituit. Triennio autem quieti dato Germaniam denuo parat invadere.

VI. Franciscus Gallorum Rex, ut suspicio fuit, Solymanum ad bellum adversus Christianos solicitat missis ad eum occultis legationibus, metu scilicet potentiae Caroli magis in dies augescentis.

VII. Carolus legationem mittit ad Gallorum Britannorumque Reges, eosque hortatur, ut in communi periculo publicam Religionis libertatisque Christianae causam suscipiant.

VIII. Francisci Regis responsio.

IX. Caesariani Regis Galli responsionem ita interpretantur, ut ipse suspicionem de Solymano adversus Christianos solicitato, edito deinceps excussoque libello, sibi diluendam putaverit.

X. Britannus Rex haud libe-

beralius respondet. Pontifex Maximus auxilium pro sua facultate pollicetur. Carolus Ratisbonam concilio convocato Principes et civitatum legatos de imminenti periculo monet, et ad bellum cohortatur.

XI. Germani depositis ad tempus contentionibus delectum militum habent. Solymani iter Danubio ceterisque fluminibus aquis solito multo majoribus retardatur.

XII. Conficitur itaque a Caesarianis exercitus armatorum circiter centum millium, praeter Italorum duodecim millia et veteranas Hispanorum cohortes. Eorumdem Hispanorum bellicae laudes recensentur.

XIII. Antonius Leiva ex Insubribus ad hoc bellum evocatur. Juventus ex Hispana nobilitate per equos dispositos ad Imperatorem advolat, plurimique Principes viri. Summa itaque copiarum in castris Caesaris armatorum ad millia centum viginti.

XIV. Hippolytus Medices Cardinalis cum auxiliari pecunia a Pontifice mittitur. Petrus Zapata Possidonium venit cum Pannonicorum quinque circiter millium.

XV. Insulam, qua prope Possidonium se scindit Danubius, muniri Carolo Fernandoque placet ad Turcarum navigationem impediendam, qui obvia quaeque per continentem perque insulas Danubii devastabant.

XVI. Petrus Zapata negotium sibi deposcit, et Possidonium venit, atque in insulam cum militum comitatu transit.

XVII. Appropinquantibus autem hostibus eos strategemate a naviculis ulterius per Danubium provehendis detrahit.

XVIII. Solymani exercitus magna pars cum Abrahamo Bassa praefecto praeire jussa Viennam appropinquat; sed ille cognita hostilium copiarum magnitudine Germanorumque consensu, desperata victoria, agmen in laevam flectat, Abrahamo scribit. Is omnia populabundus Ginzium parvum oppidum oppugnat, quod Nicolizius Pannonius tuebatur.

XIX. Abrahamus cuniculos agere jubet, qua milites latenter ingressi oppidum occupent, aut subjecto tormentario pulvere murum demoliantur: et oppidum modis omnibus oppugnatur.

XX. Turcae diruta parte muri in oppidum irrumpere conantur; sed casu deterriti et Christianorum virtute repulsi, pedem re-

referunt. Solymanus de receptu cogitat.

XXI. Bassa Nicolizium in sua castra vocat, et potestatem ipsi suisque facit cum veste et supellectile oppido relicto discedendi.

XXII. Nicolizius conditionem recusat, et Ginzii ditionem perpetuam sibi tandem a Bassa propositam rejicit.

XXIII. Abrahamus, ut omnia amicitiae tribuere videatur, postremo loco Nicolizium rogat, ut aegros longiore intervallo Turcarum castra sequentes ab injuriis incolumes protegat.

XXIV. Hac conditione ab eo accepta, Bassa motis castris discedit cuncta late ferro, atque igne devastans. Solymanus, ut fugae consilium occultet, partem equitum in Austriam procedere jubet, et incursionibus agros infestare; ipse cum reliquo exercitu domum magnis itineribus contendit.

XXV. Carolus Caesar, conciso Turcarum equitatu, eos fugientes persequi e re fore non existimat.

XXVI. Joannes Sepusius e vita discedens filium infantem relinquit, tutoribus matre et Georgio Monacho testamento scriptis. Cum his foedere facto Fernandus Rex puerum in suam fidem recipit.

XXVII. Georgius Monachus Fernando Regi in suspicionem venit; quare eum, qui nihil tale metuentem interficiant, quinque milites cum Joanne Baptista Castaldo mittit.

XXVIII. Solymanus illa etiam de causa domum sibi redeundum censet, quoniam Andreas Doria in Graeciam cum classe processerat.

XXIX. Is igitur Messana solvit, et onerarias naves tempestate dispersas ad Zacynthum exspectat.

XXX. Inde profectus portum *Sapientiam* ad Sphragiam insulam capit, et de communi praefectorum consilio Coronem oppugnare constituit.

XXXI. Hispani et Itali milites ad duo millia expositi situm locique naturam explorant. Oneraria hostium navis intra portum a Doriae militibus diripitur.

XXXII. Rebus ad oppugnationem comparatis quatuor pontes in navibus fabricantur, atque in quatuor onerariarum maximas imponunt, ut pontibus supra murum demissis milites possint ipsum occupare.

XXXIII. Nostri scalis applicatis murum subeuntes celeriter oppidi priorem partem occupant,

pant, hoste in interiorem alto muro cinctam repulso.

XXXIV. Equitibus, qui auxilio oppidanis venerant, interclusis concisisque, illi deditionem faciunt; ea lege, ut, Judaeis exceptis, liberum sit, quo cujusque ferat animus, discedere.

XXXV. Relicto Corone Hispanorum praesidio, Patras urbem cum reliquis copiis navigare placet. Tremor inusitatus et terraemotui simillimus naves invadit.

XXXVI. Urbe direpta oppidani arcem tradunt, quos Doria, ut ab injuria liberet, in naves imponit, incolumesque postea dimittit.

XXXVII. Italici milites praedam a Doria sibi eripi dolentes, facta secessione debitum stipendium exposcunt; sed largo imbre septem continentibus diebus frumentari prohibiti, paulatim discedunt, receptaque sanitate ad naves redeunt.

XXXVIII. Doria sinus Corinthiaci fauces oppugnat, et castellum non longe a mari arcemque diripit.

XXXIX. His rebus gestis, affectoque jam autumno triremium navigationem excludente, in Italiam navigat.

LIB. XI.

I. FIrmata Corone novo validiorique praesidio, Carolus Caesar et Solymanus diversis curis solicitantur. Ille Pontificem Maximum per legatum orat, ne ceteros Principes Christianos conjunctis armis ad bellum Turcicum cohortari gravetur.

II. Clementi Pontifici illud per legationes petenti, qui gloriae Caroli invidebant, se suis impendiis alienae laudi servire nolle respondent.

III. Acceptis his responsis Carolus praesidium jubet a Corone deduci.

IV. Solymanus suae classi praeficit Charadinum Barbaroxam, qui ex figulo primum pirata, deinde Argeliae Rex fit.

V. De Italia igitur et Hispania adjacentibusque insulis vexandis cogitans, confecta et imposita delectorum militum manu, Charadinum in eas regiones et Africam properare jubet.

VI. Hic Byzantio profectus in Italiam pervenit, et variis castellis et oppidis in ora Calabriae vastatis incensisque, omnes inde mortales captivos ad naves ducit.

VII. Hoc Romam nuntiato magnus timor omnium animos invadit. Hippolytus Medices Car-

dinalis militum delectum habet. Tota Italia praesertim ad oram maritimam trepidatur.

VIII. Charadinus autem in Africam conversus Tunetem pulso Hazeno Rege capere constituit. Praemissis itaque in urbem nuntiis de Rexeti tyranni fratris adventu, Bisertam dolo et Goletam occupat.

IX. Hazenus, popularium fide et officio frustra imploratis, ad Nomades confugit. Legati tredecim ad Rexetum a Tunetensibus missi, Charadini jussu ad naves retinentur.

X. Dolo cognito Hazenus in urbem revertitur. Charadinus Tunetensi arce potitur. Oppidanorum consilium de Rege in gratiam Charadini necando.

XI. Hazenus iterum ad Nomades confugit. Tunetenses se in potestatem Charadini permittunt. Hic Solymanum pro Rege habendum pronuntiat.

XII. Veterum Carthaginensium bella eorumque urbis fata.

XIII. Carolus, cognito Solymani et Charadini consilio, simulque Hazeni Regis legatione permotus, classem comparat ad eum restituendum. Paulus III, Portugalliae Rex, aliique Principes Christiani auxilium ad bellum Tunetense pollicentur. Id sibi Gallorum Rex per inducias cum Charadino factas licere negat.

XIV. Isabellae Reginae summa auctoritate tradita, et Castellae regnorum administratione Taverae Cardinali et Comestabili commendata, Barcinonem Caesar contendit. Procerum, qui Carolum ad bellum sequuntur, quique gratuitum officium hoc in bello praestant, nomina.

XV. Germani atque Itali in portum Lunae, et deinde ad portum Veteris Civitatis appellunt. Proficiscentibus cum Andreae Doriae classe Paulus Pontifex Maximus bene precatur; atque inde Neapolim, tum in Sardiniam navigant.

XVI. Hispani milites Barcinonem ex Malaca urbe confluunt, itemque Portugalliae auxiliaris et Andreae Doriae classes. Caesar milites imponi jubet, illud interdicens, ne jumenta sarcinaria, impuberes, mulieres, aut Monachi justo plures recipiantur.

XVII. Praetoriam navim conscendit, et cum classe quinto die Balearibus majoribus, undecimo Sardiniam appellit.

XVIII. Ad Uticae portum cum triremibus pervenit; ceteras naves antevertens. Vasti Marchione explorandi gratia praemisso, duabusque Gallicis scaphis captis, earum praefectos pri-

mum

mum retineri, deinde Gallorum legato, qui classem sequebatur, tradi jubet. Ex Uticensi progressus Carthaginensem portum cum universa classe ingreditur.

XIX. Postridie, vix dum dimidia peditatus parte exposita, Carolus in terram descendit, et ne milites absque ordine vagentur, jubet. Ipse vestitu et armatura parum abhorrens a militari, hasta infensa in quemdam Germanum militem invehitur paulo longius excedentem.

XX. Germanus sibi metuens, scloppetum in Carolum ignarus intendit. Caesar inopinati periculi timore perculsus petenti dextram praebet, eumque gravi responso coërcet. Caesaris Dictatoris vestis in praelio insignis. Ejus usus in Imperatore commoditates.

XXI. Duae turres a Caesarianis, itemque vici et castella sita ad Carthaginis ruinas occupantur.

XXII. Equitatus Nomadum et peditum non parva manus Caesarianos lacessit. Contra hos scloppetariis procedentibus, Carolus veteranas Hispanorum cohortes se sequi jubet; hostibusque fugatis, copias in castra reducit.

XXIII. Nomadum mores et bellicae virtus opinio. Hi Charadini diligentia et magna mercede ab amicitia Hazeni abducuntur: quapropter neque exercitum, neque commeatus, quos Caesari per legatos fuerat pollicitus, praestare valet.

XXIV. Charadinus primum de bellico Caroli apparatu rumorem falsum esse reputat, deinde re cum suorum fidissimis deliberata, quorumdam eorum consilium et monita negligit, existimantium vires tam potentis hostis temere experiri non oportere.

XXV. Quibus quidem respondet, non tam vinci a Caesare turpe futurum esse, quam pulchrum cum eo decertasse.

XXVI. Belli itaque fortunam experiri, Tunetemque defendere constituens, legationes quoquoversus tum ad finitimas civitates, tum ad vagantes Nomades dimittit, rogatum auxilia contra communem Africanorum hostem.

XXVII. Interea neglecto pulsoque a Nomadibus Hazeno, eisque Tuneti appropinquantibus, oppidanorum animos confirmat; ejusque jussu piratae omnes propere ad eum conveniunt.

XXVIII. Goletae situs et forma graphice describuntur.

XXIX. Hunc locum Chara-

dinus novis munitionibus firmare pergit, frequentia tormenta disponit, atque in Euripo rostratas naves collocat.

XXX. Carolus expositis equis levia praelia nonnulla facit, quae fere omnia per se obit intrepido animo. Nomadum arma, equitandique et praeliandi genus.

XXXI. Granatensium Mahumetanorum pugnandi ratio et armatura. Tunetensium in tumultuariis praeliis pernicitas et astus. Carolus talibus praeliis abstinere statuit, ac nequis injussu suo certandi gratia e castris excedat, interdicit.

LIB. XII.

I. His rebus gestis Caesar castra propius Goletam ad eam oppugnandam transfert, a Charadino praesidio delectorum militum firmatam; simulque unum vallum Hispanis a mari, alterum Italis a palude excitandum mandat.

II. Charadinus vero quatuor praeterea millibus Turcarum, duobusque Poenorum praesidium auget, ceteris Turcis secum ad Tunetem arcisque, qua ipse continetur, defensionem retentis. Carolus nihilo secius ope divina fretus locum paene inexpugnabilem oppugnare pergit.

III. Hostes tum ex suis munitionibus vallum demoliri nituntur, tum interdum etiam erumpentes cum Caesarianis depugnant, a quibus ad extremum rejiciuntur.

IV. Poenus quidam clam a Charadino explorandi gratia missus in castra venit, seque Regis Hazeni nuntium esse affirmat. Caesar quamvis suspectum habet hominis adventum, copiis tamen omnibus in aciem eductis ostentandi causa, eumdem circumduci jubet, et liberum abire patitur.

V. Eruptione iterum ex Goleta facta hostes ad vallum alterum defessos Hispanos improvisi adoriuntur, sed hi in eos conversi, fugientes paene ad Goletam usque persequuntur. A Tunete et Charadino quies est; hostes tamen castris sese ostendentes, duce Azanaga eunucho, Caesarianos ad parva certamina quotidie fere provocant.

VI. Joannem Xuarium magna verba jactantem Franciscus Covus increpat. Ille pudore correptus solus ex turma equo insidens in hostes procurrit, et ab ipsis circumventus fortissime dimicans letaliter vulneratur.

VII. Bernardinus Mendoza cum quatuordecim equitibus octo-

cto-

ctoginta circiter Nomadum impetum sustinet, et prostratum Xuarium subtrahit.

VIII. Carolus paucorum licentiam e castris ad praeliandum excedentium paulo durius objurgat. Hostibus vero castra tormentis oppugnantibus, Mondexarae Marchionem cum equitibus praecurrere jubet, et id maxime curare, ut hostes tormentis exuat.

IX. Marchio, dum hostes pertinaciter ad tormenta repugnantes magno animo repellit, circumventus ab eis ancipitem plagam accipit. Carolus cum equitibus cataphractis in suorum subsidium advolat.

X. Caesariani terga vertere coguntur; sed Carolus cataphractos districto gladio antecedens suorum fugam cohibet, et hostes tormentis exuit. Fernandus Alarcon eum admonet supplicibus quidem verbis, sed tamen gravissimis, ne tam praeceps se suosque periculo committat.

XI. Per id tempus Hazenus Rex, praemissis legatis, honorifice ab Albano Duce et Beneventi Comite deducitur et humaniter excipitur. Ejusdem sociorumque frugalitas et parsimonia.

XII. Hostes turriculam quamdam paucorum Christianorum militum praesidio munitam summis opibus aggrediuntur; sed Carolo cum equitatu et Germanorum manu castris egresso, Hispanisque alia ex parte copiis procurrentibus, in fugam vertuntur. Sacerdotis cujusdam Poeni superstitio.

XIII. Fernandus Alarcon pabulatoribus praesidio missus ab hostibus urgetur. Hoc nuntiato Carolus cum equitatu accurrit eosque repellit. Dux Albanus pabulum quoque petendi gratia missus, magnum horum numerum reprimit. Turcae ex Goleta eruptionem faciunt duce Hadino nobili praedone, vulgo *Cacciadiabolo* vocato.

XIV. Sed Hispani fortissime repugnant, et ad ipsas usque Goletae munitiones perveniunt.

XV. Caesar hostes commeatibus per paludem intercludere conatur; tertium vallum perfici jubet, et post hunc quartum erigi. Tormentis ibi collocatis copias per opportuna loca distribuit.

XVI. His ita compositis, dum diem serenum et navium usui accommodatiorem exspectat, milites, ut divisi erant, generatim adit, et pro sua quosque natura ad strenue pugnandum adhortatur.

Dein-

XVII. Deinde praemium proponit his, qui primus, qui secundus, qui tertius hostiles munitiones transcendat; et ceteris terrestribus copiis ad avertendos ex Tunete hostes instructis, oppugnationem oriente sole inchoat quadraginta tormentis a terra, a mari vero octoginta navibus rostratis. Nec hostes interim rem segnius gerunt. Omnia itaque sulphuris gravissimus odor densissimusque fumus replet.

XVIII. Octava circiter oppugnationis hora ad ejus locum Carolus procedit, ulteriusque progressus munitionum ruinas cernit consideratque: verum ab Alvaro Bazano Goletam a mari tribus partibus dirutam intelligens, nihil cunctandum judicat; hortatusque duces, ipse ad aciem pedes regreditur.

XIX. Milites accepto signo certatim cuncti hostiles munitiones invadunt. Hostes, eorum in tormenta irruentium audacia et munimentorum disjectione deterriti, fugam capessunt. Duorum captivorum remigum Doriae, natione Turcarum, suorum caedem prospicientium incredibilis moeror.

XX. Quis primus Goletae munitiones transcenderit, tres milites Hispani disceptant. Desiderati ex Caesarianis circiter centum quinquaginta, ex hostibus ad duo millia. Tormentorum magnus numerus inventus. Triremium captae quadraginta, biremes etiam plures.

LIB. XIII.

I. HUjus victoriae nuntio in Italiam perlato magna ubique gratulatio; quam auget timor atque moeror ex plurimorum animis depulsus, rumore injectus de Caroli, desperata Goletae expugnatione, discessu.

II. Tunetenses animo concidunt. Charadinus expugnatae Goletae jacturam aegerrime fert.

III. Hic nihil sibi Tunetensibus invitis conandum ratus, convocata concione eorum animos confirmare nititur, eosdemque in Caroli invidiam et capitale odium concitare.

IV. Ejus igitur eloquens quidem, sed callida et commentis respersa ad Tunetenses oratio.

V. Qua confirmati animo Tunetenses, vel mori se paratos esse, et imperatis Charadini diligenter parituros conclamant. Hic itaque sumtis spiritibus ad urbem tuendam se comparat, et pugnatorum plus centum millium inita ratione, de hoste ad pugnam provocando co-

cogitat.

VI. Carolus, proceribus ac praefectis suis convocatis, eorum sententias de bello gerendo exquirit. Consultantium controversia et eorum rationes, qui, firmo praesidio Goleta munita, reliquum exercitum conscensis navibus Argeliam comportandum censent.

VII. Contra rationum momenta, quibus alii Tunetem oppugnari debere persuadent.

VIII. Tali disputatione habita, Carolus nihil sibi factum videri ait, nisi Charadinus atque adeo Solymanus Tunetis imperio dejiciantur.

IX. Agmen igitur Tunetem versus inducit, et ordine servato ad puteos quosdam militibus sudore ac siti paene confectis procedit.

X. Charadinus copias suas ex urbe ad iter Caroli impediendum deducit, et equa in acie prima insidens Caesarianis dimicandi potestatem facit.

XI. Hoc animadverso Caesar agmen praecedens, conversus ad suos, et laetitiam ac spem maximam victoriae concussione brachii significans, eos ad pugnam cohortatur, et certamen inire jubet.

XII. Dum agmen obequitat, equo prolabente concidit, sed mox mutato et conscenso equo ad reliquum praelium administrandum laetus procedit. Hostium fuga. Caesariani ad locum puteorum reducuntur.

XIII. Charadinus, tormentis aliquot amissis, in urbem et arcem sese recipit. Postero die pretiosa quaeque jumentis Hipponem versus deportari jubet, et, si fugiendum sit, captivorum Christianorum turbam in arcis ergastula conclusam tormentario pulvere comburere decernit.

XIV. His rebus constitutis prima luce Charadinus ex arce digreditur. Post eum Turcae arcis custodes ducis fugam veriti, eam deserunt. Captivi de Charadini consilio et Turcarum discessu admoniti, fores refringunt, et arcem occupant.

XV. Quibus motibus nuntiatis Charadinus fugam capessit. Vasti Marchio captivis subsidio veniens, in arcem cum parte militum recipitur. Hazenus fidorum civium nomina dare jussus, nullos sibi in urbe amicos esse respondet.

XVI. Tunes urbs signo dato capitur, diripiturque. Captivi Christiani ad viginti millia in libertatem vindicantur.

XVII. Carolus captivos Gallicos circiter centum Gallorum Regis legato tradi jubet. In ea

ea direptione ex oppidanis pauci gladio concidunt.

XVIII. Octavo die post captam Tunetem traditamque Hazeno, copias Carolus Radam deducit, ubi, Afris omnibus data venia, multi eorum partim suos, partim vestem mercesque direptas redimendi gratia in castra confluunt.

XIX. Per id tempus Adamus Centurio et Joannetinus Doria ad oppugnandas duodecim Charadini triremes Hipponem Regium proficiscuntur, quod multo ante a Caesare jussum fuerat.

XX. Charadinus, illis spectantibus, suas naves deducit, et rebus necessariis impositis Argeliam versus navigat. Tunc sero accurrens Andreas Doria, ipse quoque re infecta in Goletam revertitur.

XXI. Interea Carolus in Goletam reversus, Hazenum ad se vocat, cui venienti equo insidens obviam progressus, ad pedes descendere volentem prohibet; quin ipsum in sinistrum latus acceptum, et per interpretem colloquendo in praetorium deducit.

XXII. Foederis inter ipsos initi leges et conditiones.

LIB. XIV.

I. Africo bello confecto, Carolus copiis impositis eas domum redire jubet, ipse cum sola Hispanorum veterana manu in Siciliam Italiamque navigare constituit.

II. Tempestate prohibitus, ne Aphrodisium urbem ex itinere tentet, in Siciliam appellit, rebusque Siculorum diligenter prospicit. Ex Sicilia Neapolim digressus de obitu Sfortiae Ducis cognoscit. Gallorum Rex nihil inexpertum relinquere decernit, siqua ratione possit Mediolanensi Ducatu potiri.

III. Exercitum itaque conficit, et cum eo *Almirallium* in Allobroges per speciem jus suum in Sabaudiam persequendi properare jubet.

IV. Carolus Caesar rei novitate vehementer commovetur, qua sui conatus de Ecclesiastico Concilio convocando deque bello Saracenis inferendo impediebantur. Charadini in Baleares minores navigatio, ad Magonis portum adventus, dolusque a Monachis proditus.

V. Charadinus tamen milites exponit, et muri partem demolitur. Oliverius *Cibdadellae* majoris oppidi praefectus Magonensibus subsidio venit. Oppidani

ni ab eo petunt, ut in oppidum per medios hostes irrumpere conetur.

VI. Is officio et humanitate ductus cum suis in hostes procurrit, et fortiter pugnantes circumventique, omnes fere vel occiduntur, vel capiuntur.

VII. Magonenses, Charadino incolumitatem statim deditis pollicente, quinque popularium unoque Sacerdote auctoribus et internuntiis, sese et oppidum in hostium potestatem permittunt. Ita oppidum diripitur, mortalesque numero ad mille ducenti in servitutem abstrahuntur.

VIII. Hoc igitur dolore stimulante Carolus bellum Africum renovare cogitans, suum pium institutum injustis Regis Gallorum motibus impediri molestissime fert. Quapropter in Belgium Germaniamque scribit, ut auxilia celeriter in Cisalpinam Galliam mittantur.

IX. Franciscus autem Rex missa legatione a Carolo petit, ut Mediolanensem Ducem Henricum filium faciat, accepta magna pecuniae vi.

X. Carolus precari se respondet, ut ab armis ante omnia discedat, seque, si ita fecerit, non Henricum, sed Carolum ejus filium Mediolani Principatui praefecturum.

XI. Gallorum copiae magnam Sabaudiae partem occupant. Pontifex, Veneti, et ceterae Italiae liberae civitates legatos Neapolim ad Caesarem mittunt, tum gratulandi causa de Punica victoria, tum de rebus ad Principatum Mediolanensem spectantibus.

XII. Neapoli progresso Carolo et Romam venienti Paulus Pontifex tres Cardinales legatos obviam more majorum procedere jubet. Urbem ingressus magna pompa et comitatu omnibusque honorum insignibus, a Paulo Pontificia majestate sedente excipitur.

XIII. Pontifex Carolum in Galli Regis gratiam pacemque traducere conatur, vicissimque Caesar a Paulo petit, ut commune Sacerdotum Concilium convocare ne gravetur.

XIV. Bonorum omnium querelae de Principum dissensionibus Concilium impedientibus.

XV. Carolus Pontificem et Cardinales cohortari non desistit, ut ipsi suum officium Ecclesiae difficillimis temporibus praestent. Itaque Concilium tandem in festum diem Pentecostes anni consequentis Mantuam indicitur.

XVI. Tredecim omnino dies Carolus Romae commoratus religiosissima quaeque delubra adit, urbisque antiquae vestigia visit,

sit, nullo armato milite stipatus: qua animi securitate et magnitudine plurimum se Romanis commendat.

XVII. Franciscus Gallorum Rex quosdam Principes ac populos Italiae in belli societatem solicitat, et missa legatione a Carolo Sabaudiae Duce petit, ut sibi ejus voluntate exercitum in Italiam trajicere liceat, Nicaea et Vercellis oppidis suis quoque praefectis traditis.

XVIII. Conditionem respuente Duce, copias suas Rex Alpes circa Genevam transire jubet, et in Augustam Taurinorum incumbere. Dux inde Vercellas sese recipit. Almirallius recepta Augusta Vercellas oppugnandi gratia progreditur.

XIX. His rebus nuntiatis, Carolus bellum in ulteriorem Galliam transferre decernit, et orationem ad Pontificem et Cardinalium Senatum de suis consiliis Regisque Gallorum habere.

XX. Ejusdem oratio, qua Pontifici Maximo et Cardinalibus pro Senatus consulto de convocando Ecclesiastico Concilio gratias agit; deinde Francisci Regis injurias violataque foedera demonstrat; illud postremo innuit, se, quin aliquem filiorum ejus Mediolanensi Principatui praeficiat, non recusare; quod si respuat, neque singulari certamine controversias dirimi velit, se tamen neque sibi, neque Sabaudiae Duci defuturum.

XXI. Antonius Leiva Carolum Ducem ac uxorem Beatricem Vercellis in Candiam deducit, conjunctisque copiis in Cegiam flumen adversus Almirallium procedit.

XXII. Joannes Lorena Cardinalis a Gallo Rege legatus ad Carolum missus in castra perveniens decem dierum inducias cum Antonio paciscitur; sed ad urbem Senas Caesari occurrens legationem, postulataque Regis exponit, et re infecta discedit.

XXIII. Induciarum diebus exactis Antonius adversus Almirallium Augustam Taurinorum movet. Almirallius Augusta diligenter munita exercitum in ulteriorem Galliam magnis pluviis consecutis deducit.

XXIV. Carolus Caesar superatis Liguriae montibus ad Astam Antoniique exercitum pervenit.

XXV. Multis dissuadentibus, ipse tamen Alpes cum exercitu transire, et per se bellum administrare constituit. Fossanum a Caesarianis recipitur. Augusta Taurinorum ab eisdem ne tentata quidem a tergo relinquitur.

XXVI. Alvarum Bazanum et Doriam milites, qui eo convenerant, imponere, et oram Galliae maritimam infestare jubet, dum

dum ipse illuc exercitum traducit. Antipolis ab illis recipitur.

XXVII. Eodem ferme tempore Henricus Nassaus Caroli jussu cum alio exercitu per Belgium inducto Gallorum provincias longe lateque vastat. Caesar, Gutierro Padilla ad Augustae obsidionem premendam relicto, in Galliam ulteriorem per Alpes cum copiis proficiscitur, adjuncto sibi cum pari auctoritate Leiva.

XXVIII. Sanctum Laurentium pervenit in Gallorum finibus, et conjunctis copiis ad Forum Julii procedit. Alvarus Bazanus omnia oppida vicosque maritimos Massiliam usque in suam potestatem redigit. Taurentis arx intentata, cujus consilii auctor est Doria. Copiarum procedentium ordo.

XXIX. Ex Foro Julii Caesar Aquas Sextias versus movet. Montijanus Gallorum praefectus a Fernando Gonzaga Gallis in fugam versis capitur.

XXX. Caesar Massiliam praetergressus, Aquas Sextias oppidum desertum offendit, sed multis commeatibus affluens.

XXXI. Praefectorum coacto concilio, aliisque alia sentientibus, unus Doria Massiliam primum omnium oppugnandam censet.

XXXII. Carolus Massiliae situm naturamque loci perspectu-rus propius accedit, et magnum vitae periculum subit; sed conatum Massiliam oppugnandi frustra fore judicat.

XXXIII. Franciscus Rex praeter Gallorum morem lentis consiliis uti constituens, trans Rhodanum se diligenter cum suis copiis continet.

XXXIV. Gutierrus Padilla Augustae Taurinorum obsidionem urgens cum Melignani Marchione consilia omnia communicat. Marcus Antonius Cussanus ex Augusta ad tentandum Savianum digreditur.

XXXV. Marchionis et Gutierri dissensio. Gutierrus exercitum multum minui haud tutum esse judicans, in sententia permanet, et Schalengum praefectum Savianum adversus Marcum Antonium mittit.

XXXVI. Schalengus fugientes hostes et de via fessos insectatur. Marcus Antonius pluribus castellis expugnatis Augustam rediturus letaliter vulneratur: Caesariani tamen numero inferiores terga vertunt. Marchio indignatur, quod spreto suo consilio magna rei bene gerendae occasio perierit.

LIB. XV.

I. HIs nuntiis sublatus Rex Franciscus Genuam tentare con-

stituit in duas Fregosorum et Adornorum factiones jam pridem scissam.

II. Ex his Fregosi ab adversariis, vicissimque Adorni ab illis pulsi. Carolus tandem Adornos Genuam reducit, et auctore Andrea Doria in libertatem a tyrannide factionum vindicat.

III. Genuenses familias quasdam populares singularesque viros numero ad quatuor millia nobiles efficiunt, atque ea ratione civilis administratio in Reipublicae formam transit.

IV. Per id tempus Carolo eorum libertatis patrono, quascumque possunt commoditates ad bellum Gallicum suggerunt. Rex Gallus per Caesarem Fregosum aliosque militem occulto in Italia conducendum curat.

V. Hoc cognito Carolus Caesar Genuensium precibus adductus copiarum partem ab Augustino Spinola Genuam deduci jubet, misso simul Antonio Doria cum octo triremibus, qui portui praesidio sit.

VI. Fregosus cum Gallica manu in conspectum urbis progressus direptionem Genuensibus, ni se in potestatem permittant, frustra denuntiat. Hostes scalis admotis magnoque impetu urbem invadunt.

VII. Xuarius Figueroa Caroli legatus oppidanorum manum extra ordinem vagantem laborantibus subsidio mittit, a qua hostes repulsi et muro deturbati pedem referunt et oppugnationem omittunt, Gutierri Padillae et Charachiolae consilio cognito, qui mille ducentos Germanos Genuam subsidio mittendos statuunt.

VIII. Padilla igitur, Germanorum parte Genuensibus subsidio missa, et ceteris copiis cum Melignani Marchionis militibus ex Augustae oppugnatione deductis, Fornarum prope Genuam progrediuntur, et hostium discessum intelligentes in eamdem partem, id est, Augustam, si consequi possint, proficiscuntur. Hostes celerius Augustam perveniunt, multaque castella in Subalpina regione recipiunt.

IX. Melignani Marchio hostes praelio lacessendos censet: ab eo dissentit Padilla, rursusque rei bene gerendae occasione amissa copias in Astam reducit. Galli omnem Subalpinam regionem in suam potestatem redigunt.

X. Carolus triginta amplius dies ad Aquas Sextias cum exercitu consumit, exspectans, si possit Regem ad pugnam elicere, qui singulari certamine recusato se tamen minime pugnam cum copiis detrectaturum Romam scripserat.

XI. Sed jam mutato consilio

lio cuncta Franciscus caute cunctanterque agit, bellum ducere contentus. Quamobrem Caesar cibariorum quoque inopia tentatus nuntiisque de rebus Italicis admonitus exercitum in Italiam reducere statuit.

XII. Castra igitur movet servatis ordinibus, et agmen ad Alpes producit nullo suorum desiderato.

XIII. Nicaeam perveniens, imperii summa Vasti Marchioni tradita, ipsum jubet in Taurinos copias deducere; simulque Bazanum cum viginti triremibus in Hispaniam mittit, qui pecuniam reportet, et Gallorum Turcarumque classem nactus cum ea congrediatur.

XIV. Genuam navigat, et in Doriae praetorium divertit sine praetoria cohorte, sine milite custode, cunctis intrepidum ejus animum ac securitatem demirantibus. Mantuano Duci Montisferrati Marchionatum cognita causa adjudicat.

XV. Alvari adventu non exspectato cum Andrea Doria quadriremem conscendit triremibus viginti septem sequentibus, et in Villae Francae portum advehitur.

XVI. Valida tempestate jactatus vix duas parvas insulas *Sanctae Margaritae* cognominatas, humiles et importuosas tenet.

XVII. Septem diebus circum eas insulas incommodissime cum classe obversatur. Divi Anselmi fulgor in antennis apparens.

XVIII. Septimo tandem die fortunam maris experiri cupiens, ad Stoechadas insulas satis incommoda navigatione usus procedit; quo tempore ex eodem loco Turcarum sex biremes, quae faventibus Gallis Christianorum navigationibus insidiabantur, Massiliam confugiunt.

XIX. Hispanorum ad Stoechadas adversa tempestate detentorum metus et periculum. Caesaris verba in Principum astantium corona de Gallicae classis apparatu.

XX. Timorem Hispanorum auget Judaei cujusdam praedictionis recordatio, qui Carolo Genua solventi naufragium portenderat.

XXI. Biduum jam continenter euronoto flante, Doria Caroli jussu signum profectionis dat.

XXII. Superatis insulis, cum nihilo tranquilliora opinione sua reperiret, classem, unde fuerat profecta, reducit. Coacto navium magistrorum concilio coram Caesare plerique discedendum esse censent.

XXIII. Contra vero Andreas hoc consilium improbat, et aquilonis flatus exspectandos judicat.

Illi

XXIV. Illi assentitur Berenguellus Sicularum navium praefectus. Carolus autem licet sua sponte in profectionem inclinans, Doriae tamen Berenguellique auctoritati et sententiae concedendum putat. Ceterum Andreas iterum Imperatoriam navim educit, sed fluctuum magnitudine deterrente in eamdem stationem redire cogitur.

XXV. Postridie prima luce classis ad imperium Caroli, nec Andrea jam invito, insulis egreditur, et in altum provehitur. Euronotus in Africum se vertit, quo omnes naves validissime concutiuntur.

XXVI. Itaque confectis millibus passuum plus ducentis hora circiter decima octava, quam fuerat ex Stoechadibus discessum, naves fere omnes incolumes in portum *Ligatum* perveniunt. Alvari Bazani negligentia a nonnullis reprehenditur.

XXVII. Carolus classe cum Bazani triremibus conjuncta in Palamosi portum defertur, ubi naves onerarias reperit praeter duas ad Genuam et Savonam scopulis allisas.

XXVIII. Covo et Granvela ad Palamosum remanere jussis, ipse Valdolitum ad Concilium Castellanorum indicendum per equos dispositos proficiscitur. Biremi Turcica a Bazano capta, foedus Regis Francisci cum Solymano percussum ejusque conditiones ex hujus legato cognoscuntur.

XXIX. Andreas Doria in Italiam revertitur; Bazanus cum duodecim triremibus Calpen hibernandi causa contendens saevam adeo tempestatem experitur, ut omnes fere ad littus et scopulos adactae fuerint. Praetoriam vento et fortunae relinqui jubet, quo fit, ut illa vado haerente homines in terram evaserint.

XXX. Sepulveda huic naufragio Dei numine eripitur, comparatisque jumentis per terram profectus, et Ibero amne ad Dertosam transmisso naufragam turbam conspiciens, in alienae calamitatis dolore sibi gratulatur.

XXXI. Desiderii Erasmi obitus, eloquentia, ingenium, doctissima opera, jocique et ludi periculosi; cui quidem viventi Pontifices Maximi indulgent, ne in Lutheranorum castra conjectus, Ecclesiae rationibus apertius officiat; eo mortuo librorum ejus lectio Catholicis interdicitur.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER PRIMUS.

I. CAROLI Regis Hispaniae, qui fuit idem Romanorum Imperator, Hispanorumque res hac aetate gestas scripturus sum, quae fuerunt ejusmodi, ut magnitudine et admiratione celeberrimam quamque memoriam post homines natos superare mihi videantur, si ad praeclara virtutis apud nos edita exempla rerum novitatem adjunxeris, quae in Oceano novoque Orbe repertae ac gestae sunt, et quotidie geruntur. Sed antequam propositi principium expedio, altius quaedam mihi sunt repetenda, ut exposita locorum ratione, et superiorum temporum summis rerum mutationibus explicatis, quae saepe et multum Hispaniam exagitarunt, omnia sint ad cognoscendum illustriora.

II. Hispaniam, quam ceteris undique partibus pelago cinctam Pyrenaeus saltus ab ortu aequinoctiali in occasum aestivum immissus, latere septemtrionali quam australi breviorem facit, et qua est arctissima, discernit a Gallia, veterum gravissimi auctores in tres partes diviserunt: *Tarraconensem*, quam eamdem Citeriorem quoque nominarunt; *Baeticam*, et *Lusitaniam*, quibus summa con-

tinetur Ulterioris Hispaniae. Has dividit Anas fluvius, qui ab ortu in occasum ex agro Laminitano Citerioris Hispaniae defluens, in Oceanum Atlanticum exit inter ostia Baetis et Tagi; quorum ille in Oretania saltuque Tygensi, qui pars est Orospedae montis, exoritur, et per mediam fere Baeticam, a se nominatam, inclitas urbes Cordubam a dextra, ex altera parte Hispalim alluens, non procul ab oppido, cui *Sanlucar* nomen est, duobus propter interceptam insulam ostiis in Oceanum influit, paulum in meridiem deflexo cursu; Tagus vero ex Tarraconensi quoque et Celtiberia per Carpetaniam demittitur, et caput ejus regionis, urbemque præclaram Toletum undique pene alluens, et mediam fere Lusitaniam emensus, ad Ulyssipponem urbem, nunc Lusitaniae celeberrimam, ut olim erat Emerita Augusta, in Atlanticum effunditur. Baeticae terminum ad mare internum, quod et nostrum appellatur, Tarraconensisque regionis Agrippa Augustusque Caesar ad novam Carthaginem constituerant; sed posteriores, ut Plinius refert, ad Virgitanum sinum revocarunt circa promontorium Charidemi, quod magis placuit Claudio Ptolemaeo nominare. Lusitaniam porro, qua septemtrionem spectat, a Tarraconensi distinguit Durius amnis, qui ortus in Pelendonibus haud procul a loco, ubi fuit olim Numantia, per Arevacos Vaccaeosque delabitur, et Vettonibus ab Asturia, et Lusitanis a Gallaecia disterminatis, in Oceanum quoque Atlanticum emittitur.

III. Tarraconensis igitur, qua aestivum ortum spectat, Galliam; qua septemtrionem, Callaicum et Cantabricum; qua meridiem, mare internum attingit; qua occasum, Baeticam et Lusitaniam, Solorio monte et Oretanis, Carpetanis

nis ac Vettonum jugis, discreta. Quo intelligitur vetustiore et commodiore partitione, quam sequitur Plinius, Salmanticam, et Obilam, quae et Avela quondam, nunc *Avila* dicitur, Tarraconensi annumerari, Lusitaniae a Claudio Ptolemaeo adscriptas urbes, et quidquid citra Caparensium et Placentinorum montium juga continetur. Quam varietatem accidisse certum habeo, Lusitana jurisdictione prorogata, et Romanis quidquid ad eam pertineret *Lusitaniam* nominantibus. Qua ratione factum est, ut *Pax Augusta*, quod vocabulum primum in *Baxaugusta* Mauris, ut opinor, deinde in *Badaxos* corruptum fuit, licet Anae fluvio a meridie, Baeticaeque latere sit apposita, Lusitaniae tamen a veteribus contribueretur; cujus forsitan agri bona pars trans flumen ibi ponte commissum, ea parte, quae proprie Lusitania intelligitur, continebatur. Eodemque modo judico de oppido *Medellino*, quod cum sit ad ripam ejusdem fluminis in parte Baeticae situm, nominis tamen argumento, *Metellinensis* Colonia fuisse videtur, una ex quinque quae in Lusitania memorantur. Nam pro ratione jurisdictionis Provinciarum terminos fuisse mutatos Strabo, qui fuit aequalis Tiberii Caesaris principatui, in mentione Lusitaniae testatur; eaque memoria tres Hispanias sic administrari tradit: *in Baeticam*, inquit, *Dux unus cum Quaestore et Legato, qui huic Provinciae praesit, a Senatu Populoque Romano mittitur; Lusitaniae, quae nunc proprie ab Ana usque ad Durium intelligitur, Legatus unus militaris cum uno Legato a Principe Romanorum praeficitur; et item Legatus alter, sed Consularis, cum tribus legionibus et tribus Legatis, reliquae Hispaniae. Quorum trium Legatorum unus cum duabus legionibus Gallaeciam; alter cum tertia Asturiam et Can-*

tabriam custodiant usque ad montem Pyrenaeum; tertius sine exercitu in Mediterraneis magisque pacatis populis, quid facto sit opus, dispiciens versatur; nam Praeses ipse magna ex parte ad Tarraconem, et novam Carthaginem, eamque maritimam oram jus dicit, atque moratur.

IV. Quae Strabonis postrema verba faciunt, ut mihi tertia Hispaniae, et eadem maxima pars *Tarraconensis* Romanis ex eo nominata fuisse videatur, quod ejus Praeses, unde jus petendum erat toti Provinciae, plerumque Tarracone moraretur. Hanc Provinciam interfluit *Iberus* amnis, unde plerique putant nomen universae Hispaniae datum, qui circa Juliobrigam ortus in Cantabria ex monte Vindio, qui a saltu Pyrenaeo per Cantabros, Astures, et Gallaecos in Oceanum occiduum procurrit, multos hinc inde populos alluens, magnumque spatium emensus in mare Balearicum effunditur.

V. Baetica quoque ad meridiem interno mari objecta est, et item Oceano a freto scilicet ad Anae fluminis ostia; ad occasum Atlantico; nam ad septemtrionem, ut exposuimus, Lusitania definitur, quae Lusitania Oceano dumtaxat alluitur, idque ab occasu, ceteris ex partibus, quemadmodum explicatum est, definita.

VI. Atque hac quidem partitione Hispaniarum veteres auctores fere usi sunt tum Romani, tum etiam Graeci, nisi quod vetustior partitio, quam Mela Straboque sequuntur, Lusitaniam a septemtrione Callaico mari, Gallaeciam complexa, terminabat; quin etiam Strabo Lusitaniam eamdem Tago flumine a meridie, dum vetustiorem partitionem sequeretur, finiebat.

VII. Ceterum post Barbarorum, praesertim Saraceno-

norum invasionem forma subinde mutata est regionum, novaque his nomina et plerisque populis atque fluminibus data. Sed hac memoria in quatuor maxima Regna tota Hispania divisa est, quorum Castellae prima est dignitas et magnitudo, proxima Aragoniae, deinde Portugalliae, Navarra enim nec tam magna est, nec tam opulenta. Rursus Castellae multa Regna et regiones numerantur: Regnum veteris Castellae, in qua proximam Cantabriae regionem Burgenses tenent, quae regio antiquitus *Musburgi* dicebatur; et inter Idubedam montem et Iberum amnem *Riogia* fertilis et amoena regio, in qua *Najara* est et *Logrognium*, oppida nobilia, *Tritium* olim, et *Varia* nuncupata, aut in proximo sita, ut indicant vici haec vetera vocabula retinentes. Et ex altera montis parte Celtiberia, inaequalis regio et late patens, quae praeter obscuriora multa Durio, Tago, atque Sucrone, nobilibus fluminibus ibidem ortis alluitur; in qua sunt celebriora oppida *Soria*, non longe a Numantiae vestigiis ac fontibus Durii, *Almazanum*, *Saguntia*, et *Methymnaselim*, pro *Salonis*, ut suspicor, a nostris Historicis cognominata, est enim hujus fluminis fontibus vicina; itemque *Molina*, et prope veterem Valeriam *Concha*. Praeterea in Castellae finibus est Celtiberiae pars, et Arevacorum regio, quae a Saguntia et *Uxama* inter Burium et Orospedae juga, quibus a Carpetanis dirimitur, usque *Sagoviam* et *Arevalum* oppidum, quod regionis vocabulum retinet, *Methymnamque Campestrem*, emporium Hispaniae celeberrimum; et ex altero Durii latere Vaccaeorum natio, cujus est *Pallantia*, *Valdolitum*, Regium oppidum ad confluentem *Pisoracam* et *Squevam*, quod *Pin-*

Pintia a quibusdam fuisse putatur, et *Methymna* cognomento *Rivisicci*, nobile emporium, cum tota illa Campestri regione, quam nostri *Campos* ex argumento scilicet appellant, *Symmanchae*, et *Torsillae*, item *Taurus*, et *Zamora*, quae *Salabris* olim, et *Sentica* fuisse videntur. Praeterea Vettonum gens, quae *Salmantica*, ut supra diximus, et *Avila*, quae Ptolemaeo est *Obila*, item *Placentia*, et *Caurium*, et *Roderici Civitas*, olim *Mirobriga* dicta, et *Ledesma*, quae olim *Bletissa* fuisse videtur, et proximi populi continentur, ac omnis ea portio Lusitaniae, quae dicitur *Extremadura*, usque ad fluvium Cajam inter Pacem Augustam, et *Elves* oppidum; hoc enim flumen ea parte Portugalliam a Castella disterminat.

VIII. Ad haec Regnum Legionis, quo pertinet *Asturia*, Regnum Gallaeciae, Regnum Toleti. Castellae quoque, contributa est tota Baetica, quae nunc *Andalucia* dicitur, in Regna quatuor divisa, Cordubense, Hispalense, Granatense, quod pertinet ad mare internum, et Gienense, quod olim Mentesani tenebant. Biscaja quoque, pars Cantabriae ad Oceanum et Pyrenaeum Saltum, praeterea Carthago nova, et quae olim Spartaria et Oretania dicebatur, nunc bona ex parte Aragoniae marchia, Castellae partes sunt.

IX. Aragonia vero in tres potissimum partes dividitur: quarum quae mari interno Pyrenaeoque Saltui exposita est, Catalonia nominatur, et Barcineus Comitatus, et item Comitatus Ruscinonis in ipso Saltu Pyrenaeo, ultraque; nam Valentia, quae Regni nomine censetur, vetus retinet vocabulum. Tertia et princeps portio est, quae nomen sibi vindicat totius Regni, Arago-

gonia proprie nuncupata, cujus caput est Caesaraugusta, urbs jam olim praeclara; nam Tarraconensis vetus vocabulum in Aragonensis degeneravit; nisi forte Aragon (sic enim a nostris ea regio vocatur) ab Arago flumine in Iberum influente nomen accepit; quae duo flumina a cognominibus fluviis Asiaticorum Iberorum, qui in Hispaniam pervenerunt, vocata fuisse, et ab altero Iberiam omnem Hispaniam, ab altero proximam regionem Aragonem, deinde Aragoniam, nomina sumsisse probabile est.

X. Navarra, quae partem occupat Cantabriae, media inter Cataloniam Aragoniamque et Biscajam, non solum attingit Pyrenaeum montem, sed progreditur etiam usque ad Gallorum Aquitaniam. Portugallia vero pars est Lusitaniae, nisi quod fluvios nonnihil transgreditur Anam et Durium. Ab hoc enim ad Minium usque procedit in Gallaeciam. Ita cum sit multo longior quam latior, efficitur, ut magna pars Lusitaniae Regno Castellae contineatur; hoc est, tota Extremadura, et cum ceteris Vettonibus Salmanticenses et Avelenses, quos quidam, uti memoravimus, Lusitanis annumerant.

XI. Haec omnia, de quibus diximus, Regna suo quodque Regulo Saracenorum imperio paruerunt, quae singulatim (ut a Christianis sunt recepta) nostrorum Regum titulos, qui tam multi cum Regis nomine in diplomatis praescribuntur, auxerunt. Nostra vero memoria praeter Portugalliam, quae suo Rege gubernatur, universa Hispania uni Regi Fernando, a quo Navarra quoque postremo in ditionem redacta est, parere coepit. Nam cum hic esset Joannis Aragoniae Regis filius et he-

heres, Isabellam filiam Joannis Regis Castellae in matrimonium duxit, decus et gloriam Reginarum, cui, mortuo sine liberis Henrico fratre, Castella fuit hereditaria; ab hisque Granata recepta est, pervictis et bona ex parte trans mare pulsis Arabibus et Mauris, qui ante annos octingentos circiter totam fere Hispaniam pervaserant, in ditionemque redegerant. Quae res hortari videtur, ut pauca de externis Imperiis, et quasi fatalibus calamitatibus, quae superioribus temporibus multum Hispaniam exagitarunt, supra repetamus.

XII. Quae gentes initio rerum Hispaniam incoluerint, qui Reges tenuerint (omnes enim gentes Regibus olim paruisse et ratio suadet, et auctores gravissimi prodiderunt) difficile factu est invenire, aut pro certo quidquam asseverare. Ceterum Berosus Chaldaeus (si verus est titulus libelli) scriptor pervetustus, Noam, quem alio nomine Janum vocat, cum generis humani post universale Diluvium atque orbis terrarum teneret imperium, filios et nepotes per varias mundi plagas, qui multiplicatis hominibus regiones occuparent, dimisisse prodit; ex his autem Jubalem, qui Tubal ab aliis appellatur, Noes ejusdem, seu Jani nepotem, mortalibus in Hispaniam inductis, Regnum ejus condidisse, et multos annos tenuisse; post hunc filium Iberium, unde regio vocata fuit *Iberia*; deinde Jubaldum, Brigum, et qui nomen fluvio dederit, Tagum, Baetum, a quo Baetis Baeticaque, Deabum, Lomninos, Hispalum, a quo Hispalis urbs, Herculem, et item Hesperum, a quo Hesperiae nomen, Titinum, Sycorum, Sicannum, Siceleum, et a quo tertia regionis pars nominata fuerit, Lu-

Lusum. Addit Manethon, Sacerdos Aegyptius, Testam Libycum, Tritonem, Romum, et Pallatuum. Duo quoque Geryones ab antiquitate celebrantur, Afer, et Trigeminus, sic vocatus, non quod unus aliquis hujus nominis fuerit, sed tres fratres ab Afro Geryone procreati, summa concordia post obitum patris in Hispania regnantes. Sunt qui Erythrum memorent, a quo Erythria Insula, et Cacum, unde nomen monti datum, qui juxta fontes Durii *Moncajus* appellatur, estque pars montis Idubedae, nostrorum quidam falso tradidere: hic enim mons Caunus olim dicebatur. Gargoris quoque Trogus Pompejus meminit, Regis vetustissimi, qui primus mellis colligendi usum invenerit, et in ea parte regnaverit, quam primum Tartessida, deinde Baeticam nominarunt ab interlabente fluvio, qui, ut Baetis postea, sic olim Tartessus, Strabone auctore, vocabatur. Memorat etiam idem Trogus Habidem Regem Gargoris filium, qui primus aratro boves domare, et sulco frumenta serere docuerit, quique gentem adhuc agrestem in mitiorem cultum et humaniores mores redegerit. Anacreon Poëta, ut Strabo, Pliniusque refert, Arganthonii meminit Tartessiorum Regis, qui annos vixerit centum et quinquaginta.

XIII. Sed prisca illa tempora ante Trojam eversam tanta caecitate et oblivione obruta sunt ob vetustatem, vix ut tenuis ad nos ipsorum fama, et ea, ut equidem arbitror, fabulis commixta pervenerit. Post cladem vero Trojanam quosdam non modo Graecorum, sed etiam Trojanorum duces ac proceres in Hispaniam delatos esse, ibique populos condidisse graves auctores prodiderunt. Quod de Ulysse confirmat Strabo ar-

argumento urbis Ulyssiae, quae fuerit in Baeticae montibus, cum fano Palladis ab illo, ut creditur, aedificata. Fidem quoque facit Ulyssippo in Lusitania ad ostium Tagi fluminis ab eodem nominata. Quin etiam Menelaum idem auctor existimavit, iterum, relicta patria post bellum Trojanum, in Baeticam pervenisse, et reliquum aetatis ibidem peregisse, carmen Homericum ex Odysseae quarto libro, et Protei vaticinium sic interpretatus, ut Homerum asserat Elysios campos et beatorum sedes in Baetica fuisse propter regionis temperiem et felicitatem. Idem Laconas refert in Cantabriam penetrasse, et partem ejus incoluisse, *Opiscellam* vero Cantabriae oppidum ab Opiscella, Antenoris Trojani et filiorum socio, conditam et nuncupatam. Trogus Pompejus Teucrum memorat, cum invisus patri propter mortem Ajacis fratris in patriam non fuisset receptus, Hispaniae littoribus appulsum, eam partem primum occupasse, ubi est Carthago nova, deinde in Gallaeciam progressum ibidem perseverasse. Addit Strabo, quamdam Gallaeciae civitatem Graecos fuisse nuncupatam, alteram *Amphilochos* ab Amphilocho Teucri socio nominatam. Marcus Varro Iberos, Persas, Phoenices, Celtas et Poenos in universam Hispaniam pervenisse tradit.

XIV. Ceterum nihil magis constat inter auctores, quam Tyrios olim Gades insulam obtinuisse, et urbem condidisse, eosdemque a finitimis Hispaniae populis, suspecta habentibus novae urbis incrementa, bello lacessitos, auxilium impetrasse a Carthaginensibus. His enim cum Gaditanis erat origo ex urbe Tyro communis, qui non contenti injuriam repulisse a consanguineis Gaditanis,

bo-

bonam etiam Hispaniae partem in ditionem redegerunt: quae causa fuit multarum calamitatum, et quasi contagio gravissimorum bellorum. Nam his successibus invitati, et ubertate regionis illecti Carthaginenses, magnas copias cum Imperatore Amilcare ad reliquam Hispaniam occupandam transmissere. Cui post res praeclare gestas ab Hispanis interfecto Asdrubal successit, qui novam Carthaginem in littore nostri maris aedificavit, vel a Teucro conditam, deinde collapsam restituit. Hic cum propter Hispanum quemdam injuste necatum fuisset ab Hispano servo ultore domini sublatus, Annibal missus est Amilcaris filius, maximus Carthaginensium Imperator, qui magnam Hispaniae partem pacavit, Saguntum urbem sociam populi Romani, fide ac virtute inclitam excidit, relictisque praesidiis Galliam permensus, superatisque Alpibus magnum exercitum in Italiam traduxit. Tunc vero Romani Gnaeus et Publius Scipiones fratres cum exercitu in Hispaniam contra praesidia Carthaginensium miserunt. Hi namque, ut Lucius Florus testatur, prima signa Romana per Pyrenaeum jugum intulerunt, qui magnis rebus gestis in Poenos, quibus Hanno praeerat, et Asdrubal frater Annibalis, Punica fraude primum extenuati sunt sociis aversis, deinde paulo post interemti.

XV. Tunc vero Scipio Publii filius, mox Africanus, ad reparandum in Hispania bellum missus, non solum Carthaginensium praesidia delevit, sed magnam partem Hispaniae in Romanorum partim ditionem, partim amicitiam traduxit. Perdomari enim a Romanis ante annos ducentos amplius non potuit. Etenim a primis Scipio-

nibus ad Augustum Caesarem gravissima bella Romani cum Hispanis, nunc hos, nunc illos populos aggressi, gessere. Constat enim Hispaniam numquam vires suas adversus externorum hostiles impetus contulisse, ut publice et universim libertatem suam tueretur; non modo cum a Tyriis, et Carthaginensibus, et post a Romanis est bello lacessita, ut Florus et Strabo sunt auctores; sed ne Christianis quidem temporibus, Vandalis primum cum Suevis et Alanis, deinde Gotthis, postremo Saracenis atque Mauris invadentibus. Hic enim situs regionis est, undique mari, nisi qua Pyrenaeo vallata est, cingente; ea virorum ingenia, robur animi, et in bellis gerendis industria; ut collatis viribus reliqui orbis impetum suo robore sustinere potuisse videantur. Quod longe secus accidit majoribus nostris in illis, quas modo dixi, calamitatibus. Nam saepe, sua partim negligentia, partim discordia, libertatem amiserunt; itaque raro, aut numquam Hispanos exterae nationes, nisi Hispanorum potissimum armis subegere, pacatorum auxilio ad ceteros debellandos abutentes. Nam quid universa Hispania perficere potuisset adversus Romanos, qui omnium potentissimi Hispaniam invaserunt, Numantia docuit Celtiberorum civitas circa fontes Durii, ut supra demonstratum est. Quae Numantia, ut Lucius Florus scriptor Romanus tradit, sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo sita, quadraginta millium Romanorum exercitum suorum quatuor millibus per annos quatuordecim sola sustinuit; nec sustinuit modo, sed saevius aliquanto perculit, pudendisque foederibus affecit. Quorum Numantinorum quanta fuerit in bello pertinacia, quam indomi-

mi-

mitus animus, exitus quoque declaravit, qui ad extremum multitudine hostium, et summi Imperatoris Africani Scipionis, qui Carthaginem deleverat, virtute ingenioque intra urbem repressi, atque fossis et vallis, ne, quod frustra tentarunt, erumperent, obsessi, cum praelium non impetrassent, in ultimam se rabiem furoremque converterunt; desperatisque rebus, ne in potestatem hostium devenirent, duces suos, seque et patriam ferro, veneno, subjectoque igne peremerunt; sic ut ne unus quidem Numantinorum superfuerit, qui vinctus duceretur, nec de alio fuerit quam de nomine triumphus.

XVI. Quamquam hujus exempli nec soli Hispanorum Celtiberi ad Numantiam, nec primi auctores fuerunt, sed ante ipsos Saguntini in ora Sucronensis sinus, et Astapenses in Baetica; qui Astapenses secundo bello Punico Carthaginensium partibus studentes Romanos eorumque socios magnis incommodis et belli cladibus cum affecissent, et magnus ob eam rem et infensissimus Romanorum exercitus ad urbem ipsorum Astapam excidendam a Martio Scipionis Legato fuisset admotus, mirabile facinus ediderunt. Nam cum tantae multitudini se paucos scilicet, et in urbe nec loco, nec opere munita, pares esse non posse intelligerent; locum, ut Livius memorat, in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congererent. Super eum tumulum conjuges ac liberos considere cum jussissent, ligna circa exstruunt, fascesque virgultorum conjiciunt; quinquaginta deinde juvenibus armatis praecipiunt, ut donec incertus eventus pugnae esset, praesidium eo loco fortunarum suarum, corporumque, quae cariora fortunis essent, serva-

varent: si rem inclinatam viderent, atque in eo jam esse, ut urbs caperetur, scirent omnes quos euntes in praelium cernerent, mortem in ipsa pugna obituros: illos se per Deos superos inferosque orare, ut memores libertatis, quae illo die aut morte honesta, aut servitute infami finienda esset, nihil relinquerent, in quod saevire iratus hostis posset; ferrum ignemque in manibus esse; amicae ac fideles, potius ea quae peritura essent, absumerent manus, quam insultarent superbo ludibrio hostes. His adhortationibus exsecratio dira adjecta, si quem a proposito spes mollitiave animi flexisset. Inde concitato agmine, patentibus portis, ingenti cum tumultu erumpunt. Neque erat ulla satis firma statio opposita, quia nihil minus, quam ut egredi moenibus auderent, timeri poterat. Perpaucae equitum turmae, levisque armatura repente e castris ad id ipsum emissa occurrit. Acrior impetu atque animis, quam compositior ullo ordine, pugna fuit. Itaque pulsus eques, qui primus hosti se obtulerat, terrorem intulit levi armaturae, pugnatumque sub ipso vallo foret, ni robur legionum perexiguo ad instruendum dato tempore aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum parumper circa signa est, cum caeci furore in vulnera ac ferrum vecordi audacia ruerent. Deinde vetus miles adversus temerarios impetus pertinaci caede primorum in sequentes suppressit; conatus paulo post ultro inferre pedem, ut neminem cedere atque obstinatos mori in vestigio quemque suo vidit, patefacta acie (quod ut facere posset, multitudo armatorum facile suppeditabat) cornua hostium amplexus in orbem pugnantes ad unum omnes oci-

cidit. Atque haec tamen hostium iratorum, ac tum maxime dimicantium jure belli in armatos repugnantesque edebantur. Foedior alia in urbe trucidatio erat, cum turbam feminarum puerorumque imbellem inermemque cives sui caederent, et in succensum rogum semianima pleraque injicerent corpora, rivique sanguinis flammam orientem restinguerent, postremo ipsi caede miseranda suorum fatigati, cum armis medio incendio se injecerunt. Jam caede perpetrata victores Romani supervenere, ac primo conspectu tam foedae rei mirabundi parumper obstupuerunt. Ita Astapa sine praeda militum ferro ignique absumta est.

XVII. Quid Viriatus Lusitanus? Nonne Hispanae virtutis ipse quoque maxima praebuit documenta? qui dux Lusitanorum ex latrone factus, non modo suorum libertatem a Romanorum injuriis tutatus est, sed magnis etiam cladibus eorum Imperatores afflixit. Nam Marcum Ventidium Praetorem, copiis ejus concisis, cepit, et post hunc Cajum Plutium Praetorem magna strage superavit; deinde Consularibus exercitibus atque ducibus in eum missis, multa secunda praelia fecit, Claudio Unimano, ac deinde Cajo Viglio oppressis. Ad summam Romani tam invictum armis Viriatum experti sunt, ut bello quatuordecim, vel ut alii tradunt, viginti annorum fatigati, desperata victoria, in insidias et fraudes praeter suam consuetudinem converterentur, corruptis pecunia duobus ejus satellitibus a Servilio Caepione, Quinti Fabii Proconsulis successore; a quibus satellitibus flagitiose peremtus Viriatus populum Romanum magna sollicitudine liberavit.

Quam-

XVIII. Quamquam Hispanum militem numquam magis vigorem suum ostendisse scribit Florus, quam duce Romano Quinto scilicet Sertorio, qui parva Lusitanorum manu magnas copias Romanorum saepe contrivit atque fudit. Cum duobus enim millibus et sexcentis dumtaxat, quos ipse Romanos appellabat, septingentisque Afris ex Mauritania trajecit in Hispaniam, a Lusitanis, cum éxsul a patria, et populi Romani principibus infensus esset, accersitus, ut eo duce se a dominatu Romanorum in libertatem vendicarent. Itaque Lusitanorum peditum quatuor millibus acceptis septingentisque equitibus bellum suscepit adversus quatuor Romanorum duces, copias ductantes centum viginti millium peditum, equitum vero septem, praetereaque funditorum et sagittariorum duo millia. Cottam ergo ad fretum Herculeum navali pugna devicit, Phidiam Praetorem Baeticae juxta fluvium Baetim superavit. Nec modo Toranium missum ab Appio Metello cum copiis delevit, sed ipsum Metellum illius aetatis virum maximae auctoritatis et nominis, in eas difficultates impulit, ut auxilium petere a Lucio Lollio cogeretur, qui cum exercitu Provinciam Narbonensem obtinebat. Pompejum Magnum tam male accepit, ut fuso ejus exercitu Pompejus equum amitteret, et ipse vulneratus vix fuga salutem consequeretur. Quibus rebus Sertorius suo quidem consilio et ingenio, sed Hispanorum robore ac virtute gestis, id famae et auctoritatis fuerat consecutus, ut Mithridates, Rex Asiae praepotens Romanorum armis afflictus, Legatos ad eum mitteret pacem et amicitiam oratum, certum habens parum sibi esse a ceteris Ro-

ma-

manis metuendum, si hujus auctoritate atque armis fuisset adjutus. Sed cum domestica fraus, conspiratioque Romanorum, cujus princeps fuit Perpenna, Sertorium sustulisset; plurimae civitates, quae hunc ducem sequebantur, communi Imperatore orbatae, viribusque distractis, haud magno negotio in Romanorum potestatem pervenerunt.

XIX. Sed quamquam ab eo tempore multum Hispania quievit, maxima jam parte pacata; non tamen prius, ut Trogus Pompejus ait, perdomitae Provinciae jugum Hispani accipere potuerunt, quam Caesar Augustus, perdomito fere orbe, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum, legibus ad cultiorem vitae usum traductum, in formam Provinciae redegit, Asturibus et Cantabris, qui adhuc immunes fuerant Imperii Romani, bello difficillimo et cruenta victoria subactis. Quarum rerum omnium, gravissimum Velleii Paterculi testimonium non est silentio praetereundum, qui cum res gestas populi Romani Romanus ipse scriptor luculenta epitoma persequeretur: *In Hispaniis*, inquit, *multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis Consularibus et Praetoriis Imperatoribus exercitibusque saepe contumelia, nonnumquam etiam periculum Romano inferretur Imperio: illae enim Provinciae Scipiones consumserunt: illae contumelioso quatuordecim annorum bello sub duce Viriato majores nostros exercuerunt: illae terrore Numantini belli populum Romanum concusserunt: in illis turpe Quinti Pompeii foedus, turpiusque Mancini Senatus cum ignominia dediti Imperatoris rescidit: illae tot Consulares, tot Praetorios absumsit duces, patrumque aetate in tantum Sertorium*

armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, Hispanis, Romanisne in armis plus esset roboris, et uter populus alteri pariturus foret. Has igitur Provincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras ad eam pacem abhinc annos ferme quinquaginta produxit Caesar Augustus, ut quae maximis bellis numquam vacaverant, sub Cajo Aistio, ac deinde Publio Silio Legato, ceterisque postea etiam latrociniis vacarent. Hactenus Vellejus. Sed redeo ad Augusti principatum.

XX. In hujus Principis gratiam Hispani, non solum multas urbes ab ipso nominarunt, ut Caesaraugustam, Augustobrigam, Emeritam Augustam, et Pacem Augustam, sed etiam temporum rationem, ut Romani ab urbe condita, sic ipsi ab Augusti Caesaris Principatu repetere constituerunt, mansitque ea consuetudo ad annum usque Christi nati millesimum trecentesimum octogesimum tertium: tunc enim lege cautum est a Joanne, qui primus hujus nominis Castellae Regnum tenuit, ut deinde anni et tempora a Christi Natalis die, velut a capite deducerentur, omissa AERA Caesaris; sic enim temporum hanc rationem, quasi uno vocabulo, postquam vis harum litterarum ignorari coepit, nominabant; de cujus initio et nomine multa a multis tum veteribus, tum recentioribus falso tradita sunt; nec quisquam, quem quidem vel legerim, vel audierim, quaestioni satisfecit. Erroris origo fuit, quod haec temporum ratio, *Aera* nuncupata, Christi Natali triginta octo annis antecedit. At hoc incidisse constat in quadragesimum secundum annum Augusti principatus, cujus initium scriptorum consuetudo idem, quod triumviratus facit. Hujus

jus igitur quatuor annorum intervalli consideratio multorum ex nostris ingenia torsit, qui cum exitum non invenirent in varias et commentitias opiniones atque adeo mera somnia discesserunt: quae refellere nec hujus loci est, nec magni negotii, ut ipsi alias pluribus verbis explicuimus. Ceterum non fuerit alienum, quemadmodum mihi omnia diligenter perpendenti et veterum de temporibus illis monumenta collustranti difficultas expediri posse visa est, paucis explicare. Sic enim existimo, et res ipsa docet, veteres Hispanos ea ratione gratiam ab Augusto Caesare inire molientes non ab ipso statim principio triumviratus initium hujusmodi supputationis Aeraeve constituisse, cum Augustus, Antonius et Lepidus communi consilio et auctoritate rem Romanam administrare coeperunt, sed ab eo tempore, cum orbe partito Hispania et Italia et reliquae citra Jonium mare regiones occiduae in unius Augusti Imperium concessere, et reliquus orbis ad orientem Antonio permissus est, Africa vero attributa Lepido. Quam partitionem factam fuisse post bellum Perusinum, statim post Lucii Antonii Consulatum, hoc est quarto triumviratus anno, Plutarchus in *Antonio* testatur, et Dion in *Augusto*. Nam prius illud triumvirorum foedus initum fuisse anno, qui fuit Hirtio et Pansa Consulibus, et tertio post anno cum Publio Servilio Lucium Antonium fuisse Consulem, Aurelius Cassiodorus est auctor. Aera igitur, qua multos annos atque saecula praeter aliarum gentium consuetudinem usi sunt Hispani, recte ad Augustum Caesarem refertur, quamvis Caesaris dumtaxat cognominetur, initiumque sumsit

ab anno, cum Hispaniarum Imperium ad ipsum solum delatum est, qui annus, ut exposui constatque, trigesimus octavus ante natum Christum numeratur.

XXI. Hujus vero vocis AERA, quam noster Isidorus, auctor alioquin gravissimus, et fere posteri ad aeream monetam, et tributum ab Augusto Caesare in descriptione orbis imperatum, referendam falso putarunt, rationem paucis explicabo. Veteres initio, ut equidem pro comperto persuasumque habeo, scripturas claudentes tempus ad hunc modum adscribebant: *Acta fuerunt haec*, exempli gratia, *Cordubae, pridie Kalendas Maii, annus erat Augusti Caesaris centesimus quinquagesimus*: deinde brevitatis causa sic verba ad annum pertinentia signabant: *A. E. R. A. Caes. C L.* initia dumtaxat verborum punctis distincta pro totis verbis notantes, vetustissimo properantium more, ut hujusmodi multa in tabulis aeneis et lapidibus olim scripta licet animadvertere. Postea librariorum tabellionumque temeritate et inscientia punctis ablatis, scribi coepit: *Aera Caes*; et ab aliis magis etiam properantibus *AERA* dumtaxat. Quo errore latius serpente quaevis annorum ab aliquo velut capite deducta ratio, primum ab Hispanis, deinde a ceteris *Aera* coepit nuncupari, praesertim ab Astrologis, Alfonsi Regis Astronomicas rationes, quas *Tabulas* vocant, imitantibus. Nam qui probari potest, homines, non dico prudentes, sed sanos, anni ascribendi rationem praeter omnium gentium morem et communem sensum sic instituisse, ut nulla in eo mentio fieret nec anni nec capitis seu principii, unde anni ratio repeteretur? Quod autem *Aera* Caesaris ab omnibus dicitur, non Aera Augu-

gusti Caesaris, hoc quoque adjuvat certissimam nostram conjecturam, quoniam Aera Caesaris, cunctis vocibus explicatis, nihil aliud est, quam: *annus erat Augusti Caesaris*: ad quem modum si Aera Augusti Caesaris explicetur, bis Augustus nominabitur.

XXII. Ut igitur redeat, unde digressa est oratio, ab Augusti principatu constituto nihil ab Hispanis motum est in Romanos, quod publicam pacem magnopere perturbaret. Nimirum quia populorum animos nullus jam metus, nulla vis, sed necessitudo potius et amicitia in officio continebat. Tot enim Romanorum Coloniae in Hispania deductae fuerant, tot oppida civitate Romana, et jure Latii Italicoque donata, ut brevi tempore haec regio non jam Provincia, sed altera Roma et Italia esse videretur. Duodecim namque Colonias numerat Plinius Secundus in Hispania Citeriore, oppida civium Romanorum tredecim, Latinorum veterum decem et octo, in Baetica Colonias octo totidemque Municipia, oppida Latio antiquitus donata viginti novem, libertate sex, foedere duo, in Lusitania Colonias quinque, Municipium civium Romanorum unum, Latii antiqui quatuor. Vespasianus vero Imperator, ut tota Hispania in societate et benevolentia populi Romani majore vinculo contineretur, jus Latii tribuit universae, ut Plinius idem aequalis temporibus illis est auctor. Neque vero solum Romani Hispaniam passim incolebant, sed vicissim Hispanis civitate donatis scatebat ipsa Roma, magno Gaditanorum argumento, ex quibus una aetate unoque censu refert Strabo censos fuisse quingentos equites Romanos. Sed nec illud par-

parvum est Romanorum et Hispanorum singularis amicitiae ac societatis indicium, quod primus externorum, qui Romae Consulatum gessit, primus qui triumphum egit, Hispani fuerunt, uterque Gaditanus, uterque dictus Cornelius Balbus, major et minor; et item primus externorum, qui Imperator Augustus praefuit Reipublicae Romanae, Ulpius scilicet Trajanus ex urbe Italica Baeticae Provinciae, qui Romanorum Principum optimus est habitus, ita ut legitimum esset post eum ineuntibus Principatum his verbis bene precari: *Sis felicior Augusto, Trajano melior*. Ita factum est ut Hispani, non solum cultum et humanitatem Romanorum acciperent, sed etiam obliti patriam linguam, quam fuisse multiplicem Strabo testatur, Romana dumtaxat loquerentur, quam retinent etiam nunc, ex parte quidem injuria temporum et Barbarorum commercio, sed nihilo magis quam Italia Romaque ipsa, corruptam, praeter Cantabros, qui ut ultimi debellati sunt, et a consuetudine Romanorum secretiores erant, illum suum veterem et barbarum sermonem pertinacissime ad hoc aevi retinent.

XXIII. Atque hic quidem status fuit rerum Hispanarum quadringentos et quinquaginta circiter annos, ab Augusto ad Arcadium et Honorium. His enim Principibus ingens et varia Barbarorum multitudo a septemtrione Scythiaque, magna Europae parte peragrata, Hispaniam invasit et occupavit, Vandalis primum, Suevis et Alanis, deinde Gotthis, qui eos ejecerunt, irruentibus; de quarum gentium origine, ex sedibusque patriis profectione non erit ab re pauca summatim memorare;

re;

re ; sed de ceteris suo loco, nunc de Gotthis memoremus.

XXIV. Gotthorum natale solum Scandia est Scythici maris peninsula, incompertae veteribus auctoribus, qui eam insulam esse putaverunt, magnitudinis; quo nobis adire pedibus nisi longissimo circuitu non licet. Nam profectis a Sarmatia Sinus Venedicus est per Livoniam, et Russiam et Moscoviam obeundus, qui ab oceano Sarmatico discedens inter ortum aestivum et septemtrionem ultra Moscovitas excurrit, tum itinere ad occasum aestivum flexo, cum Careliam et Botniam Lappiamque orientales late patentes regiones transmiseris, circumeundus est alter multo major sinus, qui ab oceano Germanico eodemque Gotthico profectus, moxque Gothlandam Gotthis ab ortu vicinam insulam complexus a parte seu gradu quinquagesimo tertio ad septuagesimum octavum, in septemtrionem excurrit Gotthiam Uplandiam Gestriciam Sueciam Helsingiam Middelpadiam; item Botniae Lappiaeque partem ad sinistram occasumque relinquens, ut nuper nobis docti homines, et illius tractus periti ac indigenae descriptis tabulis tradiderunt, unde terra continens ad ipsum pene coeli cardinem porrigitur; nam ibi oceanus rursus occurrit, et in proximo insula *Magnetum* cognominata, ipsi Arctico polo pene subjecta, sed paulum in solis ortum inclinans: itaque non temere hic alter orbis terrarum a quibusdam fuit, ut Plinius refert, appellatus, sed peninsulam Procopius Tullam nominat, et Britannia decem partibus majorem esse tradit, et in Regna decem divisam. Haec igitur peninsula Gotthorum patria est, et

et omnium fere Barbarorum, qui temporibus illis ad nova domicilia quaerenda, sedibus patriis relictis, in Italiam, Galliam aut etiam Hispaniam quasi alluviones influxerunt Gotthorum, Alanorum, Vandalorum, Suevorum, Hunnorum, Gepidarum, Longobardorum, Carporum, Bulgarorum.

XXV. Sed redeo ad Gotthos, quorum, qui Gotthiam ad occasum incolebant, *Vestrogotthi* ex argumento; qui ad ortum solis habitabant, *Ostrogotthi* patrio vocabulo dicebantur, ut nominibus, item civitatibus ac Regibus bipartiti; sed cum anguste pro multitudine hominum habitarent, utrique cum suis omnibus inde ad novas sedes quaerendas profecti bonam Scythiae partem usque ad pontum Euxinum occuparunt. Horum porro, ut vetustiora praetereantur, Vestrogotthi circa annum Christi nati trecentesimum quadragesimum ab Hunnis, qui paulo ante Ostrogotthos debellaverant, exagitati confugere statuerunt ad Valentis Caesaris fidem, qui ex urbe Byzantio Orientis Imperium administrabat, Valentiniano fratre cum Gratiano filio Italiam occiduasque Provincias obtinente. Missa igitur ad Valentem legatione facturos se, quae imperasset, pollicentur, si liceat sibi ejus voluntate trajecto Danubio Mysiam aut Thraciam incolere. Quo impetrato, in Thracia datus est illis locus domicilio, ubi Christianam religionem, quam pridem acceperant, ut octavo libro *Historiae Ecclesiasticae tripartitae* auctor est Theodoritus, haeresi Ariana per scelus et avaritiam Ulphilae ipsorum Episcopi corruperunt, cum ad id tempus inviolatam Christi religionem tenuissent, Catholicorum suae gentis

Epi-

Episcoporum doctrinam et auctoritatem secuti, quorum Theophilus memoratur Concilio Nicaeno interfuisse, et Sanctorum Patrum de fide Catholica decretum voce et scripto comprobasse. Quod Concilium constat principatu Constantini Magni fuisse convocatum, et trecentorum decem et octo Episcoporum ex omni orbe Christiano conventu celebratum, ab eisdemque haeresim Arianam magno consensu damnatam.

XXVI. Sub hunc igitur Gotthorum adventum Eudoxius Episcopus Byzantius, princeps id temporis haeresis illius, Valenti, qui et ipse cum Arianis sentiebat, auctor fit, ut a Gotthorum Principibus petat, uti ad pacem majoribus vinculis stabiliendam dogma quoque religionis cum amicitia Romanorum accipiant. Illis autem renitentibus negantibusque se a majorum institutis discessuros, Ulphilas eorum Episcopus partim fallacibus verbis, partim muneribus ac pollicitationibus Eudoxii corruptus, Gotthorum animos mendacio deflexit, affirmans ea dogmata re nulla solida, sed inani quadam verborum discrepantia differre; quamquam id malum a Gotthis non post, sed ante transmissum Istrum fuisse contractum Socrates in eodem libro prodidit, referente hanc gratiam Fridigerno, Rege ipsorum, Valenti, cujus auxilio Athanaricum alterum Gotthorum Regem, a quo bello civili victus fuerat, superasset, aliquot annis, antequam utrique inter se reconciliati ad Valentem, quemadmodum memoravimus, confugerent. Eam igitur labem Gotthi circa ea tempora contraxere, et ad tertium usque Concilium Toletanum, quod Reccaredo Rege coactum est, pertinaciter retinuerunt. Sed

cum aliquamdiu Vestrogotthi sub Imperio Valentis quievissent; tamen eorum avaritiam, quos Valens providendorum commeatuum officio praefecerat, pertaesi, ac ira et fame feroces animos stimulante, Fridigerno et Athanarico ducibus arma corripiunt, et praefectis illis cum praesidio Romanorum concisis, finitimos populos invadunt, et commeatus conferre, pacemque pecunia redimere cogunt. Quo nuntiato, Valens, qui aberat Antiochiae, magnas copias in Gotthos adducit, commissoque praelio superatur, et fuso exercitu ipse quoque miserabiliter interiit, incensa casa, in quam ictus sagitta delatus fuerat a suis.

XXVII. Gratianus autem, cum pater Valentinianus ante Valentem morbo periisset; ut afflictis rebus subveniret, Theodosium Hispani generis virum spectatae virtutis atque consilii in Imperii societatem ascivit; qui primum armis Gotthos repressit, deinde consilio sic eorum animos tractavit, ut post Fridigerni et Athanarici mortem aliquot annis Romanorum Imperio parerent. Sed Gratiano, et post eum Theodosio defunctis, hujus filii Arcadius et Honorius pacta Gotthis stipendia militaria auctore Stilicone subtraxerunt. Quod factum magno dolore ferentes Gotthi, et Principum avaritiam accusantes, suis legibus uti ac Regem ex sese deligere constituerunt. Sed cum scissis studiis, pars Radagaisum expeteret, alii faverent Alarico; ut controversiae dirimerentur, uterque factus est Rex: quorum Radagaisus cum magno exercitu Italiam infeliciter invadit, nam repulsus a Romanis Stilicone duce, et in Thusciae montibus ad Faesulas interclusus, fame potius quam

quam ferro debellatur, et copiis amissis ipse in fuga comprehensus occiditur. Quam cladem ut ulcisceretur Alaricus, reliquam manum, quae et ipsa ingens erat, in Italiam inducit, et exercitu Romanorum, quem ei Stilico ab Honorio missus opposuerat, ad Ravennam deleto Romam progreditur, captamque diripit, ac Italiam victor pervagatus, dum in Siciliam trajicere conatur, tempestate rejectus est, et ad Consentiam urbem morbo correptus interiit.

XXVIII. In hujus locum Athaulfus suffectus Romam regreditur, unde ablatam Gallam Placidiam Theodosii filiam in matrimonium duxit, cujus ingenio et suavissimis moribus sic ejus animus est delinitus, ut in uxoris gratiam Honorio fratri Italia cederet, et omne bellum in Galliam adversus Vandalos sociasque nationes transferret. Vandali enim, ut Procopius est auctor, a Scythia, quam citra Maeotidem paludem tunc habitabant, profecti, ascitis in societatem vicinis Alanis et Suevis, in Galliam usque processerunt, atque eam occuparunt biennio ante Romam ab Alarico direptam; sed Athaulfo et Gotthis adventantibus, ipsi relicta Gallia Hispaniam invadunt, et paene totam in ditionem redigunt, non admodum nec Romanis, quorum vires erant attritae, nec Hispanis ipsis resistentibus, ac inter se partiti sunt. In qua distributione Alanis obvenit ea pars Lusitaniae, quae adjacet Emeritae Augustae, cum Carpetania et Oretania usque ad novam Carthaginem; Vandalis, *Silinguis* cognominatis, Baetica; ceteris Vandalis et Suevis reliqua pars Lusitaniae cum Gallaecia fuit attributa. Itaque Imperium Romanorum in Asturia Can-

tabriaque modo et citra Iberum substitit; et hoc ipsum, quod relictum fuerat, paulatim cedebat Barbarorum armis. His igitur digressis, cum Athaulfus in Galliam successisset; atque ejus bonam partem ad Pyrenaeum Saltum nostrumque mare suae ditionis fecisset; in Hispaniam ad eos bello persequendos contendit: sed Barcinonem modo progressus, anno sexto sui Regni occiditur a suis, ex eo jam pridem conflata invidia, quod victus illecebris Placidiae in Gotthorum malum Italia jam paccata cessisset.

XXIX. Athaulfo Sigericus successit, et huic Valia; post quem Theuderedus Regnum Vestrogotthorum tenuit; deinde Turismundus, tum Theudericus, ante quem Gotthorum nemo regnavit in Hispania, licet quidam regum superiorum, cum Regni sedem haberent in Provincia Narbonensi et parte Aquitaniae, inita cum Romanis amicitia, auxilio his fuerint adversus Barbaros illos Hispaniam obtinentes. Quibus interim magnae clades illatae sunt attritis Alanis, Vandalis autem Silinguis Baetica pulsis et in Mauritaniam trajicere coactis. Successit autem Theudericus in Regnum Vestrogotthorum circa annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quintum; quo tempore Gisericus, qui *Gensericus* ab aliis dicitur, Rex Vandalorum cum suorum Maurorumque validissimo exercitu in Italiam trajecit, Romamque diripuit anno ab Alarici direptione quadragesimo tertio; vastataque itidem Campania in Africam, cujus Regnum obtinebat, onustus praeda revertitur. Atila quoque Rex Hunnorum Venetam regionem et Transpadanam Italiam devastabat, quem Veneti fugientes, ple-

plerique se in eas parvas insulas abdiderunt, ubi tunc coeptae sunt ab ipsis Venetiae, clarissima nunc urbs, aedificari. Hispaniae maximam partem Suevi jam occupaverant Recchiario Rege, qui non modo Gallaeciae ac Lusitaniae post Alanorum cladem et Vandalorum discessum imperitabat, sed reliquam ulteriorem Hispaniam suae ditionis effecerat.

XXX. Theudericus igitur accepto Regno cum animadverteret Romanorum opes, multis vulneribus acceptis, tam infirmas esse reditas, ut parum ab eis esset metuendum; in Hispaniae Regnum animum intendit, et per causam asserendi Romanorum Imperium, amicitiae gratia bello Suevis illato, atque his ad ripam Urbici amnis praelio superatis, et Recchiario sublato, longe lateque Hispaniae Regnum occupavit, Suevis intra Gallaeciae terminos se continere jussis; quibus, ut ex se Regem crearent, atque ejus regionis Imperium, quod ad annos circiter centum et septuaginta retinuerunt, permisit. Ab hoc tempore Gotthici generis Reges Imperium Hispaniae annos circiter ducentos quinquaginta tenuerunt; quorum Regum Theudericus fuit primus, Rodericus ultimus idemque vigesimus octavus: nam hoc regnante Arabes Maurique Hispaniam invaserunt. Arabes enim cum nova religionis secta, cujus auctor fuerat ante annos circiter nonaginta Mahumetus, natione Saracenus (quae regio est in Arabia) longe lateque Imperium suum propagaverant, quippe Asiae magnam partem in ditionem redegerant, et item Africam usque ad Mauritaniam et Oceanum Atlanticum, unde scelere ac proditione Juliani Comitis evocati et adjuti fretum

Her-

Herculeum ingentes suae nationis Maurorumque copias trajecerunt; et Roderico, qui cum magno, sed collectitio exercitu se venientibus opposuit, pugna devicto atque sublato, Hispaniam occuparunt, praeter Asturum et Cantabrorum montanas et maritimas regiones: quarum gentium virtute ceteris Hispanis, qui huc undique confugerant, adjuvantibus hostes primum repressi sunt, deinde Pelagio duce, quem sibi Regem delegerunt, oppida etiam aliqua recepta, et in his Legio Gemina paulo citra montes Asturiae in eadem regione, quae Pelagio et successoribus Regia fuit, unde *Legionenses* Reges appellati.

XXXI. Ab hoc tempore Arabes Maurique Mahumetani Imperium Hispaniae tenuerunt, non uni, sed multis Regibus per civitates parentes, quorum potentissimus fuit Cordubensis: qui licet paulatim repulsi fuerint, et urbes deinceps Chsistianorum armis receptae, pervinci tamen Hispaniaeque Imperio penitus dejici ante annos octingentos amplius et Fernandi Catholici Regnum non potuerunt summa virtute Regis, et alta quadam mente et item singulari religione praediti, cui par similisque virtutibus uxor Isabella contigit. Hic enim sponte quidem sua incitatus, sed uxore quoque multum adhortante et adjuvante, bello persecutus est Granatenses, quod Regnum magnam Baeticae partem occupabat; et his decimo tandem anno superatis, omnem Hispaniam Mahumetanorum Imperio liberavit.

XXXII. Regum autem Christianorum post hanc ultimam et omnium miserrimam cladem haec fuit ratio: Pelagio, qui Rex Hispaniae a suis vocabatur, tres deinceps

ceps Reges eodem titulo successerunt, quorum virtute Gallaecia recepta est, et fere quidquid Hispaniae patet ab Oceano Callaico ad montes Idubedam et Orospedam. Est autem Idubeda saltus, qui ex Vindio monte a Pyrenaeis per Cantabros, Astures, et Gallaecos, ad Oceanum occiduum pertinente, in Cantabria juxta Iberi fluminis fontes oritur, et in meridiem diu e regione amnis illius progreditur, Musburgos ex altero occiduoque latere, et Celtiberos, unde Durius, Tagus et Sucro delabitur, relinquens, donec Molina et Concha, Valeria Mojaque transmissis, in occasum inclinans, circa Valentinorum regionem, quae a laeva relinquitur, in oram maritimam excurrit. Ex hujus montis fere medio, ut Strabo refert, non procul scilicet a Saguntia Orospeda saltus alter deducitur, qui humilis primum et nudis colliculis, deinde sublimis, et omnis generis arboribus vestitus Carpetanos a Celtiberis, et Arevacis Vettonibusque disterminans in occasum porrigitur, ad meridiem tamen inclinans, praesertim ab ea parte, ubi ad Avelam urbem et Lusitaniae confinia pervenit. Hinc enim brachio ad dextram, et eas regiones, quas Durius alluit, immisso, quod per Lusitaniam in Oceanum Atlanticum excurrit, majore sui parte sese in meridiem flectit, et supra Caparae vestigia et Placentiam, et quae ab Orospeda nomen jam corruptum traxisse videtur, *Oropesam* procedit; donec infra Toletum, quodam velut campestri sinu accepto, interlabente Tago, idem parte inferiore continuata Toletanis montibus committitur; tum Ana trajecto Oretanis jugis occurrit, et dextra Baeturiam, laeva Spartariam attingens ad fontes Baetis, dein-

deinde in Carthaginiensem regionem delatus per oram maritimam usque ad fretum Herculeum excurrit: qui quamquam diversa cognomina per partes a finitimis regionibus accipit, universus tamen Orospeda nominatur, Strabone, uti dixi, auctore, qui principium ejus ab Hispaniae parte septemtrionali repetit.

XXXIII. Ex Orospeda montes Mariani, ante Baetis fontes deducti, diu per Baeturias e regione ejusdem amnis procedunt, donec Baete in meridiem deflectente, ipsi quoque in occasum brumalem et Oceanum Atlanticum perferuntur, multum addentes felicitati Baeticae Provinciae tum amoenorum, salubrium dulciumque aquarum, fontium et rivorum copia, tum magna generis omnis frugiferarum arborum ubertate, praesertim qua meridiem spectant et Baetim, ex cujus amnis altera parte latissime patent agri frumentarii, nulli terrarum regioni, nisi siccitates obsint, foecunditate cedentes. Sed ad Reges redeamus.

XXXIV. Aurelius, a Pelagio quintus, homo ignavus, otii voluptatisque sectator, cum armis Saracenorum premeretur, pacem ab his parum honestis conditionibus redemit: quarum una fuit, ut pro Rege Hispaniae Rex Legionis nominaretur, qui titulus diu solus in successoribus ejus permansit, Castella Regni titulum nondum adepta, cui Comites Legionensibus Regibus subjecti usque ad Sanctium Navarrae Regem imperitarunt. Hic enim Sanctius Castellae Comitatum jure hereditario Geloirae uxoris, Sanctii Castellae Comitis filiae, sortitus, Castellae atque Navarrae sese Regem nominari jussit. Fuit autem hic Sanctius quintus ab Enecho Aris-

ta,

ta, qui primus post cladem Arabicam Rex Navarrae peculiari titulo fuit appellatus. Quamquam enim prius Alfonsus Rex Legionis, cognomento *Catholicus*, eam regionem a Saracenis receperat, et successores retinuerant; tamen post aliquot annos tantopere Saracenorum incursionibus vexata est Navarra, ut bona ex parte amitteretur, donec Enechus Arista, vir magni animi et consilii, ex Biturigibus Aquitaniae Galliae in Pyrenaeum venit, coactaque manu Christianorum in Saracenos, qui in Navarra et circum eas regiones consederant, incursiones facere, ac praelio lacessere coepit. Qui cum praeliis aliquot secundis factis hostes loco submovisset, Rex Navarrae a suis appellatus est.

XXXV. Huic demortuo filius Garcias successit; Garciae filius quoque Sanctius, cognomento *Abarca*, qui Aragoniae bonam partem recepit. Is Garciam, *Tremulum* cognomento, procreavit. Ex hoc Garcia, qui post patrem regnavit, progenitus est Sanctius, is qui primus Regio titulo Castellanis imperitavit, ut Ranimirus ejus filius Aragonensibus. Hic enim Sanctius Rex Navarrae cum Geloiram, filiam Sanctii Comitis Castellae, in matrimonium duxisset; Garcia Geloirae fratre, Comite Castellae, qui Sanctio patri successerat, a filiis Vigilae Comitis occiso, Castellam jure uxoris hereditario adeptus, se non solum Navarrae, sed etiam Castellae Regem appellari jussit. Moriens autem ex duobus filiis ex Geloirae matrimonio quaesitis Garciam majorem natu Regem Navarrae et Cantabriae Ducem testamento reliquit, Fernandum Castellae Regem; Ranimirum autem nothum filium, sed ex nobilissima matre genitum, Aragoniae

praefecit: qui Ranimirus, patrem imitatus, Regni sibi titulum sumsit, primusque in Aragonia regnavit. Fernandus porro, ducta in matrimonium Sanctia Veremundi Legionensis Regis filia, cum hic absque virili prole decessisset, Legionis quoque Regnum uxorio jure adeptus est: atque ita Castellae simulque Legionis Rex effectus, a Pelagio vigesimus secundus, Lusitaniae quoque bonam partem recepit. Incidit autem ejus Regnum in annum Christi circiter millesimum decimum octavum.

XXXVI. Per id tempus Romanorum Imperator Henricus Hispaniam conatus est in veterem conditionem revocare, ut vectigalis Romanorum Imperatoribus redderetur, quod ita missa legatione postulavit, ut bellum minaretur, nisi fuisset obtemperatum. Qua de re Fernandus ad procerum consilium cum retulisset, ceteris ad pacem inclinantibus propter Saracenos libertati et Imperio Christianorum imminentes, Rodericus Cidus vehementer obstitit, vir summus et bellica gloria praeclarus, cujus tantopere valuit sententia et auctoritas, ut bellum hoc auctore susciperetur; nec exspectatum, dum hostes, quorum partes Galli fovebant, in Hispaniam progrederentur; sed itum est venientibus obviam ultra saltum Pyrenaeum, pugnatumque in Gallia; et copiae hostiles, quae ex Germanis Gallisque constabant, bis praelio fusae; Raimundus quoque Sabaudiae Comes, cui permissa erat imperii summa, captus est. Quibus in praeliis Roderici virtus plurimum enituit. Itaque duabus magnis cladibus acceptis Henricus Gallorumque Rex suis rebus metuentes, Pontifice quoque Maximo suadente, pa-

pacem a nostris petiverunt, nec prius impetrarunt, quam Henricus jure, quod armis se prosequi jactabat, decederet.

XXXVII. Post haec Alfonsus Sextus, hujus Fernandi filius, qui Toletum et item multa oppida in Carpetania recepit, Tarasiam notham filiam Henrico Lotharingiae Comiti in matrimonium collocavit, dotisque nomine Portugalliam cum titulo Comitatus attribuit. Ceterum Alfonsus, hujus Henrici filius, demortuo patre Ducem se Portugalliae nominavit, idemque cum suam ditionem atque fines auxisset, Regis titulum sumsit; sed ita ut ipse ceterique Portugalliae Reges in clientelam Regis Castellae manerent usque ad Alfonsum Decimum nostrum, qui Alfonso Tertio Portugalliae Regi, data in matrimonium Beatrice notha filia, jus clientelae remisit.

XXXVIII. Igitur Portugalliae Regnum, quo tempore diximus, constitutum semper ad hoc aevi seorsum a reliqua Hispania suum Regem habuit, cum Legio, Navarra et Aragonia jam suis Regibus separatim, jam uni Regi Castellae paruerint: quod accidit Fernando Quinto regnante: hic enim Joanni patri in Aragoniam, cui Regno Sicilia, item Sardinia et Baleares, ac fere nostri maris reliquae Hispaniae adjacentes insulae sunt contributae, successit, cum Isabellam uxorem Castellae ac Legionis, mortuo sine prole Henrico fratre, ut supra memoravimus, heredem duxisset. Sed ut haec Regna utrique fuerunt hereditaria, sic utriusque virtute, consilio et auspiciis Granata recepta et Saracenorum Imperium penitus in Hispania deletum. Post aliquot deinde annos Navarra quoque ab eodem Rege in ditionem re-

dacta. Neque vero solum praeter Portugalliam omni Hispaniae, cum veteribus clientibus, Fernandus Isabellaque imperitarunt; sed suae quoque ditioni adjecerunt Regnum Neapolitanum in Italia, et in Africae ora cum alia oppida, tum Tripolim atque Bugiam, item Oranum Portumque Magnum, qui nunc *Mazalquivir* patrio, sed idem significante vocabulo, nuncupatur. Horum quoque Principum voluntate et sumtu Christophorus Colonus eodem anno, quo Granata recepta est, a Gadibus cum classe profectus in insulas Fortunatas, quae jam pridem erant in ditione Regis Castellae, navigavit; atque inde inter occasum et meridiem triginta trium dierum iter progressus ad insulas pervenit *Lucajorum* patrio vocabulo cognominatas, prioribus orbis nostri mortalibus ne fama quidem cognitas, in ea mundi plaga sitas, quam veteres Torridam Zonam, quasi aestu solis inhabitabilem, vocaverunt, cum sit temperata satis ad vitam animantium et multarum frugum, omnisque generis metallorum feracissima, et quibusdam in locis toto anno vernans, usque adeo, ut luxuriantia frumenta ad maturitatem messemque perducere multis in locis non valeat. Quantum enim dies, solisque radii ad perpendiculum conjecti, vel parum ab eo declinantes caloribus addunt, tantum fere nocturna frigora subducunt, propter sempiternam dierum noctiumque paritatem aut minimam discrepantiam; nec desunt in altis montibus nives. Qua via velut aperta et commostrata nostris hominibus, longe ulterius processum est, et prope ad Antichthones usque penetratum, et multae aliae insulae et altera continens terra, quam magnae tenent,

sed

sed incultae et barbarae nationes, inventae et in Regis Castellae potestatem redactae, et magna undique vis auri argentique comportata est, et quotidie comportatur, non desistentibus classibus nostris ultro et citro per Oceanum, quem jam sibi fere totum familiarem reddiderunt, commeare.

XXXIX. Hoc statu Hispaniae Regnum Isabella Fernandusque successori Carolo reliquerunt. Fernandus enim ex Isabellae matrimonio filium unum Joannem, qui ducta Margarita Maximiliani Caesaris filia ante susceptam prolem defunctus est, et quatuor filias procreavit, Isabellam, Joannam, Mariam et Catherinam: quarum Isabella natu maxima post fratris obitum Emanueli nupsit Regi Portugalliae, unde filio Michaële procreato mortem obiit: ac ipse quoque Michaël in omnis Hispaniae et tot Regnorum spem natus immatura morte, vix dum egressus alterum annum, decessit. Huic porro Emanueli Maria post obitum sororis nupsit, Pontificis Maximi indulgentia, quam *dispensationem* appellant, legibus soluta; et Catherina, sororum natu minima, Henrico Britanniae Regi, hujus fratre Arturo, cui priori nupserat, sine liberis defuncto. Joanna vero harum utraque natu major, cujus erat, fratre et Isabella sorore et Michaële filio demortuis, jus parentibus in Hispaniae Regnum succedendi, Philippo nupsit Maximiliani Caesaris filio, Flandriae, Bravantiae, Hollandiaeque et multarum praeterea Belgicae Galliae civitatum heredi, et item Austriae; ex quo matrimonio Carolus, Fernandusque et tres sorores progeniti fuerunt: Eleonora, quae Emanueli eidem Portugalliae, et post hujus obitum Francisco Gal-

Galliarum, Isabella, quae Christierno Daniae, Maria, quae Ludovico Bohemiae Hungariaeque Regibus nupserunt.

XL. Ceterum Philippus cum, Isabella socru defuncta, ad excipienda Castellae gubernacula ex Belgio cum uxore in Hispaniam venisset, paucis post mensibus excessit e vita. Joanna vero, quae levius ante fuerat tentata mentis insanitate, mariti mortis impatientia et dolore graviter eodem morbo invalescente coepit aegrotare: quamobrem Castellae proceres civitatesque, communicatis consiliis, cum Carolus nondum esset ad gubernandum per aetatem idoneus, Fernandum in Regni administrationem revocandum esse ex Italia censuerunt, quo nuper Neapolitanum Regnum, Aragoniae contributum, quod per Gonsalum Magnum Cordubensem bis pulsis devictisque Gallis receperat, obeundi gratia navigaverat. Itaque Fernandus decem annos (nam totidem postea vixit) Castellam quoque pro filia gubernavit et populos in summa pace atque officio continuit, moriensque Hispaniam et hujus vectigales nationes, quo memoravimus, statu Joannae filiae reliquit; quae cum perpetuo morbo, de quo dictum est, teneretur, pro ipsa Carolus filius procerum populorumque consensu Hispaniae Regnum suscepit.



JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER SECUNDUS.

I. DEFUNCTO Fernando Rege, reliquae nationes legatos in Belgium miserunt, qui Carolum salutarent, et Imperio ejus obtemperare pollicerentur, praeter Siculos, qui rebus novis studere, auctoribusque potissimum Golisani et Camaratae Comitibus tumultuari coeperunt; et Hugonem Moncadam, qui pro Rege insulam procurabat, eratque multis odio propter criminum poenas irrogatas, occidere Panormi conati sunt, obsessa et oppugnata domo Regia, in qua diversabatur. Sed ille, jam diruta parte domus, per posticum elapsus, et alluentis maris opportunitate usus actuariam navem conscendit, et sic vitato periculo Messanam sese recepit, quae civitas sola in officio permanserat. Itaque Hugone ejecto, Siculi in ejus locum Lycuriae et Giraschi Marchiones suffecerunt. His rebus nuntiatis Carolus Fernandum Guevaram jure consultum, consiliarium suum, et Jacobum Aguilam, Equestris Ordinis Calatravae virum, causam tumultus cognoscendi, et motus, quoad fieri posset, consilio et auctoritate comprimendi gratia in Siciliam mittit. Hi Panormum delati, Regiam et ceteris ma-

magnitudine et auctoritate praestantem urbem, non repugnantibus nec proceribus, nec popularibus, recipiuntur. Coepta vero causae cognitione, quo cetera liberius obirentur, Camaratae et Golisani Comites, de quibus supra mentionem fecimus, Sicilia excedere, et ad Carolum proficisci jubent. Quibus digressis cetera sine tumultu administrantur, et pro Rege Hector Pignatellus Comes Montis Leonis, Neapolitanus, ad tempus a Carolo praeficitur, et Siculi plus anno quieverunt. Sed Carolus Hugonem ab eisdem recipi et ad procurationem redire et item ex Siculis Joannem Lunam Catabellotae Comitem Regio Consilio praeesse cum jussisset (hic enim pacis et quietis semper auctor fuerat) displicere hoc vehementer et suspectum esse coepit turbulentis ac seditiosis hominibus, a quibus initium tumultuandi fuerat exortum. Itaque facta conjuratione miscere ac turbare cuncta, et Regios Magistratus, quod esset defectionis initium, de medio tollere constituunt. Huic facinori Panormi patrando diem dicunt ad decimum Kalendas Augusti, pridie ejus diei, qui Sanctae Christinae festus et solemnis Siculorum consuetudine celebratur, idque inter sacra vespertina in Christinae fano, quo tunc Prorex et plerique Magistratus sacrorum gratia conventuri putabantur.

II. Sed hoc per indices enuntiato, Prorex sese domi totum eum diem continuit; quo animadverso, conjurati palam coacta manu Regias aedes, in quibus ille diversabatur, petunt obsidentque; et cum nemine defendente prorupissent, multos ceterorum, qui Magistratibus praeerant, eoque confugerant, concidunt; ipsum vero

ro Proregem captum in arcem, quae Sancti Petri cognominatur, deducunt custodiaeque tradunt. Fernandus Guevara, de quo supra memoratum est, cum apud amicum tenuis quidem fortunae, sed magnae fidei hominem, dies aliquot delituisset; Lusitanam navem, quae forte inde in Hispaniam proficiscebatur, conscendit, et sic conjuratorum manus effugit. Nam ejus Collega Jacobus Aguila in Belgium decesserat, revocatus a Carolo, propterea quod lenius in seditiosos agere et Hugonis rationibus nimis adversus esse videbatur in gratiam, ut creditum est, Raimundi Cardonae Neapolitanam rem pro Rege administrantis, qui Hugonem oderat sponte sua, et erat amicus consanguineusque Comitis Montis Golisani, auctoris, ut exposuimus, tumultus et Hugonis ejiciendi. De qua perfidia et scelere cum esset nuntiatum, Carolus Fernandum Alarconium cum manu trium millium armatorum ex Calabria in Siciliam proficisci atque trajicere jubet. Quo Panormum advecto, quidam ex iis quorum opera Magistratus occisi, et Hector insulae Praefectus captus fuerat, comprehensi (pars enim timore poenae se fuga subtraxerant) legitimo supplicio affecti sunt, totaque civitas Panormitana nomine lesae Majestatis damnata, et bellica tormenta, quibus ad Regias aedes oppugnandas abusi fuerant, fisco adjudicata. Ceterum supplicibus Panormitanis, et publice veniam comprecantibus, ea lege demum ignoscitur, principibus patrati facinoris exceptis, ut mulctae nomine ducatorum decem millia contribuerent.

III. Comites autem Golisani et Camaratae, de quibus memoravimus, in Belgio et Hispania Carolum

sequentes, diu non sine angore animi sui et metu justissimae poenae, ut jussi fuerant, cum mansissent; tandem rebus Siculis compositis atque sedatis, dimittuntur; Golisani Comes in Galliam Cisalpinam castraque proficisci jussus, Camaratae Comes in Siciliam redire permissus, quam non multo post Gallis tradere facta conjuratione moliebatur: sed re per indicem ad Carolum delata, jussu ejus comprehenditur, cumque habita quaestione crimen confessus esset et conscios nominasset, capite plexus est cum quatuor conjuratis, Nicolao ejus Regni thesaurario, Vincentio Leufante, Federico Imperatore cognominato, atque Cephalae Dynasta.

IV. Interea Carolus rebus, quae ad Belgii Austriaeque et ceterarum tractus illius suae ditionis gentium gubernationem pertinerent, constitutis, classeque coacta, in Hispaniam Regnum, ejusque administrationem suscepturus proficiscitur; et quamvis gravi tempestate in Oceano jactatus, incolumis tamen, nullaque desiderata nave in Hispaniam terram, Asturiaeque oram appulit
ANNO M. DXVII. mense Septembri ejus anni, qui fuit a Christo nato millesimus quingentesimus decimus septimus, ipsius vero aetatis decimus octavus: natus enim fuerat Carolus Gandavi, quod oppidum est in Gallia Belgica, anno Christi millesimo quingentesimo, die vero sexto Kalendas Martias, in quo cum natale suum celebraret, Sacerdotibus rem divinam, quam *Missam* dicimus, patrantibus parem aetatis suae annis ducatorum aureorum numerum loco stipis quotannis conferebat.

V. Statuerat Carolus Fernandum fratrem, cum primum in Hispaniam pervenisset, in Belgium transmittere,

re, tum ut illarum gentium Principatum tanquam alter ipse administraret, quae sola causa huic consilio in vulgus praetendebatur, tum ne quod studium et occasio rerum novarum, ut solet in Regno, ex praesentia fratris existeret. Sed primum omnium duos Fernandi familiarissimos et magnae auctoritatis viros ab ejus latere submoveri placet, Petrum Nugnem Guzmanum, Religiosorum Equitum Calatravae Praefectum, qui puerum educaverat ab ineunte aetate et optimis moribus instituerat et Alvarum Osorium Episcopum Astoricensem, ejusdem in studio litterario Praeceptorem, ne forte horum hortatu puer, qui utrumque habebat loco patris, ad aliquid novandum induceretur. Itaque statim ex Villaviciosa, quod oppidum primum in Asturia venientem excepit, ad Franciscum Ximenem Toletanum Pontificem, et Ecclessiae Romanae Cardinalem, Castellae, donec ipse Carolus in Hispaniam perveniret, Procuratorem a Rege Fernando relictum mittit, ut eosdem Petrum Nugnem Guzmanum et Alvarum Osorium a Fernando discedere suis verbis juberet et Aranda, quo oppido ad ripam Durii Fernandus Cardinalisque cum Regiis Consiliis id temporis commorabantur, facessere. Jussi ergo citra cunctationem illi quidem, sed magno animi dolore paruerunt, multusque fuit ea de re hominum sermo et admiratio, quippe viri probi, nobilesque et graves, pro gratia laborumque praemio contumeliam ferre videbantur.

VI. Paucis diebus interjectis Franciscus ipse Ximenes, Cardinalis Hispaniae vulgo dictus, non conspecto Carolo, a vita discessit, ac suae auctoritatis et sapientiae triste desiderium bonis omnibus reliquit. Erat enim

F 2 Re-

Regibus juxta et popularibus acceptus, magnus et Regiae Majestatis cultor et reipublicae Regnique patronus, vir humili quidem loco, sed excelso animo et ad res magnas gerendas natus, praestanti religione, atque morum sanctitate. Quarum virtutum extant clara documenta Compluti (sic enim vetere vocabulo *Alcalam* oppidum ad Henaris ripam in Carpetania vocari volunt) celebre doctrinarum Gymnasium et complura scholastica Collegia ab ipso condita et magnis vectigalibus dotata; unde generis omnis disciplinarum magistris publice docentibus merces tribuitur, aluntūrque complures adolescentes studia litterarum aemulantes. Praeterea Templum maximum ejusdem oppidi, quod novis Sacerdotiis, Canonicatibus et Portionibus vocatis auxit, quibus ii dumtaxat privilegio Pontificio praeficiuntur, qui in eodem Gymnasio edocti ad Magistrorum, sive Doctorum ordinem provecti fuerint. Condidit praeterea et instauravit Coenobia quaedam Franciscanorum Monachorum, ut se a puero institutis eorum addixerat, serviebatque non in Monachatu modo, sed tunc etiam (quatenus quidem personae dignitatisque ratio ferebat) cum factus esset Toletanus Antistes et Romanae Ecclesiae Cardinalis. Nec vero solum pacis artibus clarus fuit et in illa Regni procuratione singularem virtutem et consilium ostendit, sed bello etiam rem gessit memoratu dignam et Hispaniae salutarem, qui exercitu coacto mare trajecit et Oranum oppidum in ora Mauritaniae, cum Portu Magno et arce imposita, qui abest inde quatuor millia passuum, (quoniam Hispaniae multum imminere videbatur) cum sua magna laude recepit.

Ejus

VII. Ejus viri obitus hoc gravior Castellanis et molestior accidit, quod unus fore videbatur, qui Regis adolescentis, extra Hispaniam nati et educati, nec ad mores Hispanorum instituti, facta et consilia auctoritate et prudentia sua moderaretur et cujus admonitiones et praecepta Rex idem aequo animo acciperet ac sequeretur. Sed illud etiam fuit morte Francisci gravius, quod in tanti viri demortui locum suffectus est Guilielmus Crojus, proba quidem indole, sed adolescens annos circiter viginti natus, et praeter morem majorum externus, natione Belga, precibus patrui ejus Guilielmi Ceverii exorato Carolo, qui cuncta fere consilio et voluntate ipsius administrabat, propter magnam hominis prudentiae et gravitatis opinionem, qui fuerat a teneris ipsius educator atque morum magister.

VIII. Cum in Castellam interiorem venisset Carolus; Concilio Castellanorum indicto, civitatum procerumque consensu ad Valdolitum, Regium oppidum in Vaccaeis Rex appellatur propter Joannae matris perpetuam mentis insanitatem; et ipse vicissim ex more jusjurandum dedit se Leges Regni moresque et instituta majorum ac privilegia civitatum servaturum. Arandam progressus, paucis post diebus, Fernandum fratrem in Belgium proficisci jubet: ipse in Aragoniam Caesaraugustamque contendit, ubi menses novem commoratus, habitoque Aragonensium Concilio, Barcinonem processit, ut Catalanorum quoque conventum haberet, et ab utrisque eodem fere modo et item a Valentinis, quamquam eorum urbem non adivit, Rex fuit salutatus ea lege, ne id decretum praejudicium fieret in matrem Reginam, si quando mentis sanitatem recepisset.

In-

IX. Interea mortuo Maximiliano Caesare, Carolus annum agens vigesimum omnium Electorum suffragio Imperator deligitur et in demortui avi locum sufficitur, praelatus Francisco Galliarum Regi, qui magna contentione et largitione hunc honorem, et dignitatem cum ipso petebat. Quo nuntio Barcinone accepto, Carolus, omisso itinere quod in Valentiam, ut rerum ordo poscebat, facere cogitabat, in Castellam revertitur, ut in Belgium Germaniamque coronarum et imperii constituendi gratia primo quoque tempore proficisceretur. Hujus profectionis rumor increbescens celeriter totam Hispaniam cum pervasisset, multorum animis gravis fuit atque molestus, incommoda et calamitates reputantium, quae plerumque Principum absentia populis afferre solet, praesertim longa, qualis ea fore metuebatur. Sed omnium maxime Toletani commoveri visi sunt, non modo profectionis nuntio et exspectati mali timore, sed multorum etiam incommodorum Regno a Belgis ipsius Regis familiaribus illatorum recordatione, admonitoribus potissimum Joanne Padilla, Petroque Lasso, et Fernando Avalo, nobilibus ac primariis civibus, eisdemque urbis ejus Senatoribus. Hi namque sive indulgentes irae, ut adversarii jactabant, propter injurias a Rege ejusve consultoribus acceptas, sive bono publico, ut ipsi praedicabant, studentes ad primum profectionis nuntium non desistebant palam ubique in corona conventuque civium multa jactare, quibus popularium animos in Belgarum Regiorumque Consiliariorum odium incenderent, ac Regis ex Hispania discessum omni Regno perniciosum fore, multaque et maxima mala, nisi mature provideretur, impendere docerent. Talibus vocibus multorum

rum se animos commovisse animadvertentes, negotium ad Senatum referre constituunt, ut publico civitatis decreto ex ipsorum sententia res perageretur. Cum igitur Senatus novarum rerum exspectatione frequentissimus convenisset, Petrus Lassus, qui ceteris eloquentior habebatur, ex multorum communi sententia hujusmodi orationem habuit.

X. „Saepenumero, Patres conscripti, de rebus ad „nostram civitatem privatim pertinentibus hoc in ordi„ne verba feci: nunc me de iis, quae totum Regnum „attingunt, dicere publica calamitas et commune Hi„spaniae periculum adhortatur. Scitis enim profecto, Pa„tres conscripti, quam laetus esset quamque florens Re„gni status, quanta rerum omnium opulentia, quamtum „ubique otium animorumque tranquillitas eo tempore, „cum Carolus in Hispaniam ad Regni gubernacula post „avi Fernandi obitum excipienda ex Gallia Belgica cum „maximo earum gentium comitatu delatus pervenit. „Nunc Belgarum, quibus Hispania jam triennium prae„dae fuit, injuria, temeritate et avaritia, quam in di„versum omnia cesserint, quis possit absque magno do„lore commemorare? aut illorum impia consilia non „odisse et detestari? Loquor autem de primariis potissi„mum, et iis, quorum fidei Rex puer fuit a Maxi„miliano Caesare avo commendatus, qui ejus indulgen„tia facilitateque abutentes, quid Regii muneris atque „dignitatis sit, obliti, dum pro bono publico suae cu„piditati serviunt, cum Regno ipsum quoque Regem „perditum ire perseverant. Quomodo enim qui Re„gnum evertit, is potest Regis dignitati et commodis

„per-

„perniciem non afferre? Longum esset et vobis scienti-
„bus molestum etiam, eorum compilationes et nostris
„hominibus illatas injurias recensere; a quibus omnia
„pro sua libidine praeter morem patrium agitantibus
„plerosque gentis nostrae viros egregios bene de repu-
„blica meritos, cum laborum aut susceptorum discrimi-
„num legitima praemia postularent, neglectos, quosdam
„etiam cum contumelia dimissos esse nemo ignorat, ac
„praefecturas et munera publica, ceteraque cuncta, quae
„virtutis egregiae atque industriae, denique officiorum
„reipublicae praestitorum certa praemia erant a supe-
„rioribus Regibus proposita, eosdem aut sibi suisque
„sumere, aut habere venalia. Itaque dum suis commo-
„dis consulant, nihil pensi habent aut moderati, divi-
„na et humana permiscentes. Qua enim religione et cu-
„ra utantur in Ecclesiarum praefecturis mandandis, quae
„nisi viris gravibus, egregia doctrina et morum sancti-
„tate, non recte committuntur, magno documento de-
„clararunt Toletani Pontificatus, quem obtinere con-
„stat locum, ut in omni Hispania facile principem, sic
„in reliquo orbe Christiano proximum secundum Pon-
„tificem Romanum, sive auctoritatem spectes, sive clien-
„telas et vectigalia, qui nec solet, nec debet, ut pro-
„be nostis, nisi viro gravissimo mandari, ad summam
„ei, qui possit pro Rege absente, ut aliquando factum
„vidimus, Regnum omne Castellae sine procerum invi-
„dia et cum omnium ordinum approbatione moderari:
„ei tamen Belgae puerum praeficiendum curaverunt,
„non modo rerum, ut necesse est, imperitum, sed et-
„iam externum nostri patrii moris prorsus ignarum; qui
„ex

„ ex remotissimis locis per administros non tam Eccle-
„ siam Toletanam moderaretur, quam urbem et regionem
„ magnam et opulentissimam Hispaniae partem, exporta-
„ tis in Galliam Belgicam pecuniis, id quod facit, spolia-
„ ret. Quibus rebus, postquam omnium bonorum tot
„ indignitates et publicam perniciem indignantium quie-
„ tem et otium sollicitaverunt, ac omnem Hispaniam
„ auro et argento paene inanem reddiderunt, id nunc
„ videlicet agunt et moliuntur, ut eidem Hispaniae ex
„ Gallia Belgica, quo Regem reducere parant, velut nu-
„ per a se pacatae et in Provinciae formam redactae re-
„ gioni per praefectos imperitent, et per administros
„ tributis inusitatis, de quibus jam novas rationes inire
„ dicuntur, compilent et penitus exhauriant. Quibus ma-
„ lis occurrere, ac ne latius serpant, providere, quam-
„ quam ad omnes communiter Regni civitates pertinet,
„ tamen ad hanc nostram, quae paene totius Regni ve-
„ lut caput exsistit, potiore quodam jure pertinere vi-
„ detur. Quare ita censeo, ceteras omnes civitates, lit-
„ teris atque nuntiis dimissis, de communi periculo et
„ tot impendentibus malis esse a nobis admonendas, si-
„ mulque cohortandas, ne graventur communis salutis
„ causa suos quaeque legatos procuratoresque mittere,
„ qui in certum locum conveniant, ut consiliis com-
„ municatis de rebus ad publicam libertatem atque sa-
„ lutem pertinentibus deliberetur; et a Rege per pu-
„ blicam legationem de tot incommodis admonito cun-
„ ctis precibus petatur, primum ut Hispania ne disce-
„ dat, deinde ut malis et illatis medeatur et quae quo-
„ tidie ab eisdem artificibus parantur, occurrat: tum si

„haec ab eo non impetrentur, communi consilio quae „Regno reique publicae maxime salutaria et honesta „fore visa sint, constituantur.“

XI. Ubi Petrus Lassus finem dicendi fecit, Senatus major pars ejus sententiam non tantum probare, sed etiam miris laudibus efferre coepit; id consilium non humanum videri dicere, sed a Deo missum, qui rebus Hispaniae lapsis et extremum discrimen adeuntibus hac ratione vellet pro sua clementia consulere. Pauci quidam reclamaverunt, sive quod essent diversae factionis (erant enim Toleti factiones duae, Silvarum, Ajalarumque) et illorum laudi et inventis inviderent, sive quod quieta consilia novis rebus anteferrent, impensiusque Regiae dignitati faverent. Itaque sententiam rogati consilium illud seditiosum et turbulentum sibi videri, et majestati Regis inimicum affirmarunt: nam quid seditiosius et a Regia dignitate alienius excogitari posse, quam qui Regem intra Regni fines adire et ab eo quae justa sint, postulare possent, ab iis sollicitari civitates, et ad colloquia de rebus publicis illo inconsulto et invito convocari? Quod si quid vel damni vel periculi subesset, alias tamen honestiores et magis quietas consulendi rationes iniri posse, eique dissimiles, ex qua periculum sit, ne dum mediocribus incommodis remedium quaeritur, longe majora mala pariantur, praesertim cum ea cura nihilo magis ad ipsos, quam ad ceteras civitates pertineret.

XII. Contra haec alii Regem esse adolescentem referebant, qui sine prudenti ac fido consilio rebus tam exulceratis et afflictis mederi et consulere nequiret; qui-

bus

bus autem potissimum consiliariis uteretur, eos fere omnes et externos esse nostrorumque morum ignaros, et in eam potissimum curam incumbere, quomodo vel ex nostris jacturis ditescant, et auro argentoque onusti domum revertantur. Nam si qui essent ex nostris apud Regem, qui in consilium interdum adhiberentur, iis etiam eundem morbum incessisse, nec auctoritatem, si maxime vellent, facultatemque suppetere ad Regem in meliorem sententiam, ceteris retrahentibus, adducendum. Quod si ea cura alias quoque civitates attingeret, tamen stultum aut etiam ignavum esse, ceteris, dum alii alios exspectant, cunctantibus aut obtusius venientia mala negligentiusve prospicientibus, rem communem perire pati.

XIII. Haec diu magna contentione in utramque partem cum fuissent disputata, paucis illis ne civitates litteris sollicitarentur obtestantibus, et Praesidis, qui aderat, fidem et officium, ne quid tale admitti sineret, implorantibus, Senatus dimittitur. Praeerat id tempus Toleti summo magistratui, quem *Correctorem* appellant, Ludovicus Portucarrerus Palmae Comes, qui ut in eorum, qui rebus novis studebant, sententiam inclinabat, dum ea res in Senatu agitabatur, semper se intra silentium continebat, ne aut quod probabat oppugnaret, aut Regiae dignitati causaeque adversus esse videretur. Haec omnia illi pauci Senatores, Tribunique plebis ad Fernandum Silvam, hujus factionis principis Joannis Riberae fratrem, cum retulissent, placuit communi consilio, ut de seditiosis adversariorum conatibus, et Praesidis ad omnia conniventis negligentia Regem facerent

certiorem: sed studiis civitatis in duas partes scissis et harum majore rebus novis studente, iterum coacto Senatu eisdem auctoribus decernitur, uti litterae ad civitates sollicitandas, quemadmodum Petrus Lassus censuerat, scribantur, mittanturque ad Regem legati quatuor, duo Senatores et totidem Tribuni plebis, qui supplices ab eo nomine civitatis petant, primum ut Rex ipse ab Hispania, quam ejus absentia pluribus jacturis et calamitatibus affici necesse esset, ne discederet; deinde provideret, quo rerum administrandarum ratione mutata injuriis, quae quotidie multis quorumdam cupiditate inferrentur, sic in futurum praeteritumque consuleretur, ut auctoribus erepta licentia, damna his, quibus essent illata, resarcirentur: ad haec, ut praefecturae ac munera publica in Hispania nullis mandarentur, nisi Hispanis: item ne aurum vel argentum extra Hispaniam exportare cuiquam permitteretur: postremo, ut magistratibus, quos *haeresium Inquisitores* vocant, sic leges ad cognitionem causarum praescriberentur, ut prima esset verae pietatis ratio, sed proxima ne per speciem religionis graves injuriae, quod interdum accideret, inferrentur.

XIV. Haec igitur mandata, qui ad Regem perferrent, quatuor viri legantur, quorum fuit Petrus ipse Lassus, qui principem locum legationis obtinuit, simulque litterae ad civitates dimittuntur, paucis illis, de quibus diximus, reclamantibus, quorum numerus quotidie minuebatur; nam quidam eorum alterius partis persuasione et auctoritate, alii minis popularium deterriti ab instituto et sententia desistebant, praesertim cum ex au-

la

la Regia accepto responso Regem ejusque Consiliarios a se admonitos multo segnius, quam speraverant, multoque remissius agere cognovissent, nec pro magnitudine rei commotos periculosis conatibus occurrere; qui de consilii adversariorum novitate admoniti, Regis nomine responderunt: se illorum fidei ac diligentiae gratiam habere; praeterea, ut in officio persistant, cohortari, sed ita ut leniter patienterque agant cum adversariis, ne quis tumultus ex contentione ipsorum exsistat; fore namque, ut seditiosorum consilia dissolvantur sponte sua, aut in haec alia ratione provideatur. Nam de Praeside silentium ejus sibi non improbari, qui dum neutris obsistit, hac ratione utrosque in pace continere velle videatur; mirari tamen sese, quod ab eo nihil litterarum de his rebus acceperint; hortari ergo ne desistant, quidquid acciderit, se de rebus omnibus per litteras certiores facere. Atque haec quidem responsa ab aula Regis referebantur.

XV. Civitates autem fere omnes litteris acceptis non aliena Toletanorum consiliis rescribebant, animum ipsorum studiumque boni publici collaudantes; nisi quod Granatenses in aliud tempus et commodiorem occasionem rem differre censebant. Burgenses aperte consilium de convocandis civitatibus improbabant. Quam dissensionem Toletani in veterem potissimum aemulationem conferebant, ceu curarent Burgenses, ne auctoritatem eorum sequi viderentur, cum quibus solerent in publicis Regni Conventibus de primo loco contendere. Neque vero legatorum, qui redeunti ex Aragonia Regi obviam ire properaverant, litterae eodem fere tempore redditae commodiorem spem rerum afferebant: quippe in quibus

bus scribebant, bis se Regem convenisse, primum Magazae, deinde Palantiae; verum non modo cetera, sed ne illud quidem impetrasse, ut se mandata civitatis exponentes Rex audiret aequo animo, sed interpellatos utrobique, et cum contumelia dimissos fuisse. Itaque in tantis rerum angustiis nusquam spem, praeterquam in ope divina, et civium virtute atque industria superesse: ipsos tamen a Rege intra Hispaniam, dum liceat, non discessuros, nec metu periculi, aut alia ratione ab incoepto, si quid opportune importune Regem, ut coepissent, obsecrando, admonendo, atque etiam liberius obtestando proficere possent, destituros; jam enim Rex toto pectore de profectione et trajectu in Belgium cogitabat, nec alias res magnopere curabat. Interea tamen Castellae Concilium indixit, providere cupiens, ne ad proximum triennale tributum imperandum Belgicis Germanicisve negotiis fortasse nondum ex sententia confectis, in Hispaniam ad Conventum agendum redire cogeretur, vel interim cum gravi rerum incommodo pecunia necessaria carere, quam more majorum nisi a praesente Rege civitatibus in Concilio persuasis et adductis imperari non licebat, idque peracto triennio, et tributo superiore persoluto, hoc est quarto quoque anno. Litteris ad omnes civitates dimissis, Carolus binos quamque ex more legatos cum liberis mandatis Compostellam mittere jubet, qua illi futurum erat iter in Oceanum Portumque Magnum ad Flavium Brigantium, quod oppidum est in ora Gallaeciae (*Corugna* vulgo nominatur) unde brevissimus est in Galliam Belgicam atque ejus tractus regiones trajectus.

XVI. Mittuntur igitur legati a ceteris civitatibus; Tole-

le-

letani idcirco nullos miserunt, quoniam cum more ipsorum duo mittendi essent, alter Senator, alter Tribunus plebis, quos huic muneri sors praefecisset, haec ex Senatoribus obvenit Joanni Riberae, quem supra nominavimus, uni ex tribus qui soli ejus ordinis cum Tribunis quinque in sententia a rebus novis aversa permanserat: quo factum est partium dissensione, ut mandata legatis non libera, sed multis rebus praescriptis a Senatu darentur: quod legati non ferentes munus recusarunt, illis alteris nec invitis, nec ut alii sufficerentur, curantibus. His rebus nuntiatis, Carolus simul ac de Praesidis negligentia certiora cognovit, ut ille non solum sponte sua nihil seditiosis conatibus obsistebat, sed etiam admonitus, et ab ipso per litteras castigatus jussa Regia negligenter admodum exequebatur, vehementer commotus ei magistratum abrogavit, in ejusque locum Antonium Cordubam Comitis Cabrensis fratrem suffecit: quae sera provisio parum aut nihil potuit rebus tam profligatis et tanquam exulceratis mederi.

XVII. Antonius, ubi Toletum venit, rem animadvertens in apertam totius civitatis seditionem spectare, magni publicae quietis interesse putavit Joannem Padillam et Fernandum Avalum, principes et auctores novi consilii, urbe pellere, qui summa ope cunctisque rationibus universam plebem concitare nitebantur. Igitur ex epistola Regis, quae fuit utrique recitata, eis denuntiat jubetque, uti primo quoque tempore urbe cedant et ad Regem proficiscantur, maximis poenis, nisi paruerint, constitutis.

Illi

XVIII. Illi se imperata facturos ostenderunt, atque palam profectionem comparabant; tamen irati sibi Regis conspectum metuentes, simulque verentes, ne incoepta auctoribus orbata ruerent, plebem per cognatos et amicos sollicitant et quid fieri velint ostendunt; tum veluti Compostellam, quo jam Rex paucos dies Valdoliti moratus pervenerat, perrecturi proficiscuntur. Sed nondum erant ab urbe digressi, cum populares agmine facto procurrunt, et ipsos ex composito tanquam nolentes et renitentes reducunt et in aedem sacrarum maximam, quo magna civium multitudo convenerat, compellunt, indignum atque adeo nefas esse clamantes, viros optimos et nobilissimos ob sancte pieque gestam rem publicam ad supplicium evocatos abire pati. Quo rumore ac vocibus celeriter urbem pervagantibus, tantus fuit animorum consensus libertatis, ut ipsi jactabant, vindicandae, ut pauci quidam, quibus hic furor esse videbatur, timore perterriti se in domum quisque suam abderent, vel ad arcem ejusque Praefectum Joannem Riberam confugerent. Nam Fernandus Silva frater tam multorum consentientem furorem atque superbiam, cui obsisti a paucis nequiret, se ferre non posse praedicans, urbe multo ante discesserat, et ad Regis animum commemorandis indignitatibus incendendum contenderat. Joannes item Ribera, qui plures mortales, quam pro ratione cibariorum, quae negligenter in longa pace provisa fuerant, in arcem receperat, suae amicorumque saluti consulendum putavit; ita cum portis omnibus urbis et alluentis Tagi utroque ponte per populares occupatis, atque obsessis, se commeatibus interclusum vide-

deret, non respuit oblatam ab illis conditionem, ut ipse modo cum quovis comitatu urbe decederet, arci vero quemcumque vellet, praeficeret, qui eam pro se ipsiusque Regis nomine custodiret. Sed vix dum fuerat cum civibus, qui ad arcem confugerant, urbe digressus, cum arx eo, cui credita fuerat, aut persuaso aut non admodum repugnante in Senatus potestatem pervenit. Antonius enim praeses non modo furenti civitati moderari non poterat, sed nec sine magno quidem suo periculo inter palam et superbe imperia detrectantes versabatur. Itaque ne diutius frustra et cum vitae discrimine niteretur, paucis post diebus ipse quoque cum suis Toleto decedit.

XIX. His rebus Compostellam nuntiatis, Carolus tantopere commotus est, ut quominus Toletum proficisceretur ad poenas de turbulentis civibus sumendas, aegre a Guilielmo Ceverio retineretur, cujus potissimum consilio, ut supra demonstratum est, in plerisque omnibus rebus administrandis utebatur. Hic enim metuens concitatos Castellanorum animos, quorum in se magnam invidiam propter ingentem vim pecuniarum variis rationibus congestam et exactam concitaverat, Carolum magnopere cohortatus est, et tandem adduxit, ut trajiciendi celeritatem cunctis rationibus anteferret; quippe magni interesse dignitatis ejus prius Henricum Britannorum Regem ab ipso Carolo conveniri, quam ille Gallorumque Rex, qui colloquio jam diem constituerant, congrederentur.

XX. Coacto Concilio Carolus id potissimum de tributo imperando a civitatum legatis postulavit, non

ut adderetur quidquam ad summam pecuniarum consuetam, nec ut ante legitimum tempus conferretur, sed ut jam tunc ipsis volentibus et consentientibus imperaretur, ne sibi necesse esset inopia premente ad praescriptum tempus hujus rei gratia, cum suo fortassis publicarumque rationum incommodo, properantem reverti. Qua de re magna fuit inter legatos disceptatio atque dissensio, quibusdam Caroli postulatorum aequitatem probantibus, aliis vehementer refragantibus, ac in primis Salmanticensibus, qui ceteros obsecrare et palam obtestari non dubitabant, ne civitatum ac populorum libertatem in dies minui, et instituta moresque majorum violari paterentur; tributum illud prius tenue fuisse et ad tempus imperatum, postea nulla pari necessitate, sed consuetudine potius crevisse, et factum fuisse perpetuum atque legitimum, ut alia quaedam eodem modo in magnis rerum iniquitatibus introducta. Tunc vero attenuatis jam per varias et frequentes exactiones popularium facultatibus, id agi ut vix superioris tributi tempore dimidiato alterum imperetur; id ne fiat, cunctis se opibus obstituros, praesertim in tam apertam reipublicae Regnique perniciem. Quorsum enim decretum id pertinere, nisi ut Rex, quo praesente et per se Regnum administrante cuncta mala fierent leviora, diutius abesse possit et ex locis remotissimis Hispaniae, velut Belgarum Provinciae, per magistratus et praefectos dominari, quo sit necesse Regnum dignitate simul et opibus spoliari et exhauriri, maxima vi pecuniarum exportata, et multis praeterea incommodis conflictari? Sic igitur Salmanticenses censebant et in sententia persstiterunt.

Gal-

XXI. Gallaeci quoque cum de Zamoranorum animo ad assentiendum Caroli postulatis inclinato cognovissent, nequando alienam sententiam, a qua longe abhorrerent, probasse videri possent, suam apud Concilium testatam per suos proceres relinquere constituunt. Haec enim Natio ad Concilia non vocatur, sed Zamoranorum sententiam sequitur vetere more et instituto. Quidam ergo Gallaecorum proceres in legatorum consessum procedunt, seque introduci postulant, ac de rebus ad se nihilo minus, quam ad ceteros pertinentibus in commune deliberantes audiri. Quod ubi non impetrarunt, rejecti ab Episcopo Pacensi Garciaque Padilla, Concilii praefectis, palam professi sunt Gallaeciam, quod Zamorani decrevissent, ratum non habituram. Sed in Salmanticensium sententiam majore Concilii parte inclinante, Regis familiares muneribus atque pollicitis legatos aggrediuntur et complures adducunt. Salmanticenses autem, ne qua his reclamantibus ceterorum fieret animi commutatio, Concilio prohibentur, cunctaque fiunt tumultuose et cum maxima totius Regni exspectatione. Rumor enim falsus, jam tunc ab initio a turbulentis hominibus dissipatus, increbuerat et per omnem Castellam permanaverat, Belgas hoc pro sua crudelitate et avaritia moliri, ut in singula cujusque aetatis ac sexus hominum capita inusitata tributa et intolerabilia imperarentur. Quae opinio fecerat, ut in ipso discessu Caroli ex Valdolito, pulsatis campanis, ut solet, cum populus ad arma vocatur, oppidani tumultuarentur, conarenturque Carolum discessu prohibere; et perfecissent fortasse incoeptum, nisi magno nimbo, qui forte eo

temporis vestigio decidit, fuissent impediti. Concilium igitur Compostellae inceptum peragitur ad Flavium Brigantium; et quamvis Legionensibus, Cordubensibus, Murcianis, Salmanticensibus, Taurensibus, Madritiensibus invitis et refragantibus, tamen tributum ex Caroli sententia consensu majoris partis legatorum imperatur. Eodem tempore Carolus Castellae procurationi Hadrianum praefecit, natione Belgam, qui tunc Episcopus erat Dertosensis et Ecclesiae Romanae Cardinalis, et post absens delectus factusque est Pontifex Maximus.

XXII. His rebus constitutis Carolus ex Portu Magno ad undecimum Kalendas Junii, qui fuit annus Christi nati millesimus quingentesimus vigesimus, naves solvit, et in Britanniam, ubi Henricum Regem convenit, amicitiamque cum eo confirmavit, inde in Belgium navigavit. Nec multo post, rebus compositis et comparatis, ad Aquisgranum oppidum consueta magnaque caerimonia Imperatoriam coronam accepit, cum ex Electoribus quatuor adessent, Comes Palatinus et tres Archiepiscopi, Moguntinus, Coloniensis et Treverensis; ceteri enim, hoc est, Rex Bohemiae, Dux Saxoniae et Marchio Brandeburgensis, rebus necessariis impediti suos legatos cum mandatis miserunt. Interfuerunt etiam Ecclesiae Romanae Cardinales Sedunensis, Salceburgensis et Archiepiscopus Toletanus, quibus omnibus comitantibus Carolus oppidum armatus ingrediens, ad portam ex equo descendit, crucem adoravit, et Caroli Magni caput exosculatus est, quod caput magna populi veneratione religiosaque custodia ibidem asservatur; traditoque ex more portae custodibus equo, alterum conscendit et ad aedium

[Margin: NNO M. D XX.]

aedium sacrarum maximam Deum veneratus, in domum Regiam divertit; ac postridie, qui dies fuit ad nonum Idus Novembris, in idem fanum deductus, et ad maximam aram oleo sacro a Coloniensi Archiepiscopo inunctus in sacrarium a Moguntino Treverensique deducitur, et Imperatoris Caroli Magni ornamentis indutus in eamdem aram reducitur. Hic ubi assedit, omnes tres simul ei Caroli Magni gladium accinxerunt; deinde Coloniensis solus annulum aureum et Regium vestimentum induit, sceptrumque tribuit; tum iidem tres capiti auream coronam imposuerunt, conceptis consuetisque verbis ad singulas caerimonias utentes.

XXIII. Sed redeo ad Hispanorum tumultus civitatumque legatos, qui dimisso Concilio ex Gallaecia domum revertentes diversis animis a suis excipiuntur. Nam qui decreto refragati fuerant, hi magni habentur atque clari, et sui cuique cives cum ingenti gratulatione obviam longe progrediuntur; ceteri, tamquam praevaricatores proditoresque patriae, contumeliis et probris affecti. Itaque Zamorani et Burgenses, direptis ipsorum domibus, vix popularium suorum impetum atque mortem fuga vitaverunt. Sagoviensium Rodericus Torsillas, multis suppliciis affectus a plebe, in patibulum actus, et duo praeterea cives eodem modo trucidati, alter vir gravis, quod furentes paulo severiore sermone castigaret, alter quod scripto (erat enim tabellio) memoriaeque quorumdam nomina mandaret. Ad hunc motum supprimendum poenasque legitimas de seditionis auctoribus sumendas Hadrianus Regiumque Consilium Rodericum Ronquillum, unum ex quatuor aulicis praetoribus, cum praesidio e-

qui-

quitum ducentorum triginta mittunt; sed hic, cognito Sagoviensium consilio, qui se publice ad obsistendum comparabant, consistit in oppido Nivia, quod *Sancta Maria* praenomen habet, abestque a Sagovia passuum millibus circiter viginti; atque ibi cognita causa (nec enim deerant manifesti criminis testes) ad centum homines, quos seditiosi consilii auctores principesque fuisse compererat, ex tribunali nominatim citatos, nec respondentes, majestatem Regiam minuisse videri pronuntiavit post diem, quam huc venerat, trigesimum, et capite damnatos proscripsit.

XXIV. Hoc multorum nuntiis perlato, Sagovienses ad trium millium armatorum manu coacta praetorem oppugnare parant; sed ille per exploratores pridie certior factus, de media nocte digreditur, et ad flumen Riomorum, novem a Sagovia millibus, adventum illorum exspectavit, et multo jam die flumen trajectus aggreditur, et circumfuso equitatu carpere et male habere coepit, et quidem impune. Venerant enim illi sine equitatu, nec eminus obequitantibus praetorianis et subinde postremos, aut extimos, cum se per occasionem invexissent, proterentibus officere poterant; scloppeta enim, quibus equites submoveri possent, pulvis tormentarius pluvia corruptus inutilia fecerat. Itaque tumultuariam insuetamque ad bellum manum itinere et aestu fatigatam (erat enim mensis Julius et diei tempus meridianum) eamdemque temere ac sine imperio procedentem magno detrimento afficere potuit praetorianus equitatus, nisi ut civium vitae parceretur, praetor, quemadmodum jussus fuerat, edixisset. Parumper igitur Sagovienses in-

se-

sectatus Ronquillus consistit; tum bipartito equitatu pergere porro jubet majorem partem et extremo agmine carpendo adversarios morari, ut spatium daretur Niviensibus sibi suisque rebus consulendi, antequam Sagovienses pervenirent, indignati fortassis, quod illi praetorem castello suo recepissent. Ipse cum reliquis Sagoviam versus contendit, ut siquos nactus esset adversariorum agmen ex intervallo subsequentes, hos interceptos ad poenam abstraheret. Interclusis igitur et captis circiter viginti, quorum fuit Jacobus Peralta, qui Regiis magistratibus ejectis praetor Sagoviae fuerat a seditiosis constitutus, cum his revertitur, et reliquis suorum revocatis in *Bernardos*, vicum quatuor a Nivia passuum millibus, jam nocte appetente sese recepit, ubi omnes eam noctem insomnem suo more traduxerunt; semper enim nocte equites praetoriani, ne improviso opprimerentur, in armis excubabant; interdiu, tunc quoque dispositis speculatoribus, necessarium somnum capiebant.

XXV. Ceterum Sagovienses Ronquillum cum suis aufugisse et Valdolitum iter direxisse rati, ea nocte sine injuria et maleficio Niviae securi quieverunt; postridie mane ex quo suggestu seditiosi fuerant a Ronquillo damnati, ipsi vicissim praetorem eumdem perduellionis reum, quod contra Rempublicam facere videretur, condemnant, atque domum revertuntur. Sed eo die, pervenire non valentes, ad Garcillanum vicum medio fere itinere consederunt. Postridie mane, ubi palantes ac temere progredi incipiunt, ecce tibi praetor Ronquillus nihil tale suspicantibus infestus adest. Quo terrore, qui

qui digressi fuerant, perculsi ad agmen se recipiunt, et omnes ordine diligenter servato, obequitantibus praetorianis, Sagoviam perveniunt. Praetor Niviam reversus, ex iis, quos ab eo captos fuisse demonstravimus, sex morte patibuloque, quatuor verberibus damnavit mulctavitque, ceteros in exilium misit, praeter Jacobum Peraltam, cujus capiti idcirco pepercit, ut hujus permutatione Manzanedum, unum ex suis praefectis, vindicaret, qui ad Niviam gravatus morbo remanserat, captusque fuerat ab adversariis. Neque vero his rebus gestis praetor vel discessit, vel se Niviae continebat; sed per dies fere singulos incursiones usque ad Sagoviensia suburbana faciebat, et urbem infestans commeatibus magna ex parte intercludebat.

XXVI. Haec cum Toletum quotidie multorum vocibus et litteris perferrentur; coacta mille octingentorum hominum manu, cum his ea civitas Joannem Padillam mittit, qui Sagoviensibus auxilio veniat, et cetera, prout e republica visum fuerit, administret. Quibus rebus per exploratores, quos per urbes disposuerat, cognitis praetor Hadrianum Regiumque Consilium facit certiores, supplementumque poscit, si velint augescentibus adversariorum copiis obsisti. Tunc equites septingenti ex praesidiis deducti submittuntur; itaque numerus ad nongentos triginta succrevit, quorum erant praefecti Ludovicus Cueva et Alfonsus filius, Ludovicusque Peralta, qui ab initio cum praetore venerant: item Petrus et Rodericus Bazanus fratres, Rodericus Roxas et Alfonsus Cardenas. Erant autem equites fere veterani atque delecti, ut facile collectitiam et tyronem adversariorum manum con-

contemnerent. Itaque saepe in concilio praefectorum, quod quotidiana consuetudine praetor atque adeo bis die convocabat, plerisque omnibus visum est non esse cunctandum, quin saltum Orospedam Sagoviensiaque juga transgressi obviam Toletanis procederent, eosque praelio lacesserent. De quorum sententia cum Hadrianus Consiliumque Regium prope quotidie fierent certiores, cavendum tamen censebant, ne vel populares accepta clade in sui odium publicamque perniciem exardescerent, aut ipsi omni praesidio, siquid equitibus illis accidisset, destituerentur. Quamobrem saepe per litteras praetori mandaverant, et magnis poenis constitutis interdixerant, ne praelium committeret; sed metum dumtaxat incuteret popularibus, et ab injuriis et maleficio prohiberet, siqua interim ratio commodior iniri posset seditiones ac tumultus supprimendi. Postremo tamen eorumdem equitum praetorisque litteris ac paene conviтiis fatigati, adventantibus jam Toletanis, praetori permiserunt, ut fauces, quae *Guadarramae* dicuntur, qua Toletani Orospedam jugaque Sagoviensia superaturi videbantur, ad citeriores radices obsideret ac se venientibus opponeret, et cetera, prout ex usu visum esset, administraret. Sed ubi eo progressum Ronquillum Toletani rescivere, ex altera Orospedae parte consederunt, donec praetor idem, qui cognito illorum consilio Niviam suos reduxit, discessisse nuntiatur. Tunc vero juga transgressi, in Spinarium, Sagoviensis agri vicum, citra urbem passuum millibus viginti, evaserunt, quo paulo post ducentos homines a Madritiensibus missos Joannes Zapata praefectus per invia montis cacumina dedu-

xit, et cum Toletanis conjunxit. Huc quoque convenit Sagoviensium manus, cui ab eo tempore Joannes Bravus homo nobilis praefuit; auctoque numero ad peditum quatuor millia et equites centum, omnes Niviam in praetorem Ronquillum movent. Ille vero ad Riomorum fluvium, de quo supra mentionem fecimus, venientibus occurrit, atque eos adequitando et carpendo a meridie circiter usque ad noctem sollicitavit, tunc quoque praefectis equitum, quod a pugna prohiberentur, indignantibus. Sed ea nocte populares Niviae, praetor ad Miguelivagnum vicum duobus inde passuum millibus consedit; ac postero die, qui fuit quadragesimus octavus, quam Niviam venerat, ut jussus erat, discessit, ad Arevalumque reductum equitatum Antonio Fonsecae tradidit, qui obviam ipsi cum paucis, quos coëgerat, equitibus processerat. Hunc enim Carolus discedens Regiis copiis omnibus, siquid tumultus oriretur, praeesse jusserat.

XXVII. Erant Methymnae, quae *Campestris* cognominatur, tormenta multa, quae huc jussu Fernandi et Isabellae Principum collata fuerant, ut idoneo loco ad omnes casus asservarentur. His se potiri tum ad rem, tum ad famam et opinionem, quae magna momenta in bellis afferre solent, reipublicae magni interesse judicans Antonius, Methymnam cum eo, quem diximus, equitatu et peditibus haud plus ducentis progreditur, et ab oppidanis tormenta, quibus ad jussa Regia commodius obeunda sibi opus esset, comiter et amice poposcit. Illi vero non solum Antonio, sed etiam Gutierro Quixadae, qui summo Methymnensium magistratui praeerat

erat et postulatis Antonii suffragabatur, obsequendi voluntatem initio spemque falsam ostenderunt; sed ubi infesta tormenta per vias et opportuna loca circum forum disposuerant, tunc vero palam negare coeperunt, se contra cives et amicos tormenta tradituros. Hoc accepto responso Antonius per interrupta murorum in oppidum, ut metum incuteret oppidanis, irrumpit, si posset ea ratione tormenta, his submotis, abducere. Quo temporis vestigio, cum voces militum quorumdam exaudirentur, inferendum esse domibus ignem, quo Methymnenses averterentur a pugna; Antonius, Ronquillo etiam admonente, suis, ne quid tale admitteretur, denuntiavit, et per dimissos nuntios irrumpentibus interdixit, ut mihi postea praetor ipse sancte juratus confirmavit. Sed hoc a quorumdam temeritate impetrari non potuit, a quibus in paucas domos injectus ignis tam longe lateque incendium fudit, ut magna pars oppidi, eademque potior, deflagraret. Nec tamen idcirco Methymnenses ab incepto destiterunt, incensa tecta negligentes, ut tormenta tuerentur. Itaque Antonius tum spe bombardis potiendi dejectus, tum ut spatium facultatemque oppidanis incendium exstinguendi daret, suos deducit, atque re infecta Torsillas versus contendit eo consilio, ut inde Reginam Joannam Arevalum commodius ac munitius oppidum transferret, quo facilius asservari posset, ne in popularium potestatem perveniret; suique consilii Bernardum Roxam Marchionem Dianii certiorem facit, ut essent omnia ad negotium conficiendum parata: is enim Reginae datus erat in ea mentis inconstantia velut curator et magister. Sed in hanc senten-

tiam Marchio adduci non potuit, quin etiam oppidi portis occlusis, transitu pontis, qui Durium amnem ad Torsillas committit, Antonium, siquid tentaret, se prohibiturum confirmavit; contra cujus voluntatem Antonius praetorque nihil conandum rati, ne ipsorum contentio fieret popularium occasio, Arevalum cum suis revertuntur.

XXVIII. Valdolitenses autem, ubi de incendio et calamitate Methymnensium cognovere, tantum odium in Antonium Fonsecam conceperunt, ut magnificas ejus aedes direptas incenderent; simulque agerent cum Hadriano, ut legem ferret de praefectura ei abroganda, quam ille legem statim ex Regii Senatus consilio per timorem latam promulgavit. Hoc furore latius serpente, domus quoque Francisci Sernae, qui legatus ad Flavium Brigantium postulatis Regiis suffragatus fuerat, direpta est, vixque ab incendio temperatum, ne vicinae domus conflagrarent. Itaque Fonseca et Ronquillus nihil sibi tutum intra Castellam fore existimantes, duos modo dies Arevali commorati, ceteris insciis nocte intempesta cum domestico comitatu profecti, ad Portugalliam confugerunt, unde conscensa navi in Belgium ad Carolum sese receperunt. His digressis, ea quoque manus equitum peditumque ex parte dissoluta est, atque Hadrianus sine ullo militum praesidio relictus, praeter paucos, quos custodiae gratia circa se habere consueverat.

XXIX. Interea civitates, pulsis magistratibus, quos Reges solent annuos praeficere, et aliis arbitratu suo constitutis, non desistunt inter se per litteras et nuntios, ne sibi in ea occasione desint, cohortari, conspirantibusque

que binos legatos Avelam urbem mitti placet, ut hi communi consilio cuncta, quae ad pacem quaeque ad bellum pertinere videantur, administrent. Qui legati celeriter missi, cum frequenter de communi officio convenirent, multa variaque consilia inire et decreta facere coeperunt; ex quibus graviora subjeci. Primum omnium postulandum esse a Carolo, ut Hispaniam repetens, exteris rejectis, Hispanae dumtaxat nationis consiliariis et domesticis praefectis uteretur, et tum horum, tum reliquorum ministrorum numerum et salaria minueret, quotidianique victus rationem temperaret; et haec omnia, quae immoderate creverant, ad avorum Fernandi et Isabellae optimorum Principum consuetudinem et modum revocaret. Praeterea ferendas esse leges, quae Regum licentiam et sumtus non necessarios cohibeant; sanciendumque, ut more Gallorum aditus externis ad regnandum in Hispania praecludatur; ut abolito triennali tributo, alterum, quod *Alcavalas* nominant, ad summam, quae fuerat Isabella regnante, revocetur; ne Rex in Conciliorum convocatione quidquam civitatibus de mandatis, cum quibus ad Concilium legati procuratoresque mittantur, praescribat; neve quemquam, qui legatorum deliberationibus intersit, Concilio praeficiat, quo scilicet liberius, quae ad publicam commoditatem pertinere visa sint, constituantur: ne cui legatorum, Concilio peracto, a Rege quidquam muneris accipere liceat. Praeterea cum publica Regiaque vectigalia largitionibus et donationibus Regum superiorum, et praesertim ipsius etiam Caroli, non aequis venditionibus plurimum essent imminuta, rebus contrariis medendum esse publicae inopiae, his jacturis contractae, censebant.

Igi-

Igitur vectigalia Regia parvo vendita redimi eodem pretio; cetera, ut contra leges donata fuerant, sic in regios reditus sine pretio revocari oportere, ac de his et ceteris decretis, quae supra diximus, tam accurate et diligenter legibus sanciri atque caveri, ut nullus locus abrogationi relinqueretur.

XXX. Sed ante omnia Torsillas oppidum, quo Joanna Regina continebatur, occupari placet, ac experiri, siquo modo haec sanari et in eum mentis statum reduci valeat, ut viris prudentibus adhibitis Regnum gubernare posse videatur. Quae si modo adduceretur, ut ipsorum publice decreta diplomataque subscriptionibus firmaret, satis honestam rationem inventuros sese putabant ad Carolum, donec ad maturiorem Regno aetatem pervenisset, a rerum gubernaculis dejiciendum, ac ut ipsi nihil praeter leges et morem majorum agere viderentur. Quibus rebus hoc quoque, quod in primis moliebantur, effici posse existimabant, ut Carolus difficultatibus affectus boni consuleret, si quibusvis conditionibus et legibus in Regni administrationem, matre vivente, reciperetur. Torsillis igitur occupatis, ejectoque Dianii Marchione, Reginae, ut supra diximus, magistro, populares animum Reginae a Carolo filio cunctis rationibus alienare nituntur, inde potissimum in invidiam apud matrem vocantes, quod ipsa vivente sese Regem appellari jussisset. Sed cum nihil proficerent, nec ulla ratione ab aegrotante Regina impetrare possent, ut cuipiam decreto vel diplomati subscriberet, non tamen ab incepto sibi desistendum putaverunt; sed ex Torsillis, oppido multifariam opportuno, reliqua, ut instituerant, administrabant.

JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER TERTIUS.

I. DUM haec in reliqua Castella geruntur, passimque caedes et latrocinia viis omnibus infestis fiunt atque patrantur; Baeticae ut proceres, item civitates Regiam majestatem atque observantiam cunctis rationibus praeferentes, a rerum novarum consilio, quod in ceteris non probabant, abstinendum sibi censuerunt, praeter Gienenses, Ubetanos et Beatienses, qui licet antiquitus Oretani dicerentur, nunc tamen *Andaluciae* nomine Baeticae annumerantur: hi enim seorsum tumultuabantur. Igitur Hispali suppresso tumultu, quem nonnulli privato consilio excitare conabantur, et Cordubae sumto etiam de auctoribus supplicio, litteris ultro citroque missis, Baetici Concilium habere constituunt, locumque dicunt *Ramblam*, vicum agri Cordubensis: quo singularum civitatum ac municipiorum bini, et quarumdam terni legati seu procuratores cum convenissent, omnes in hujusmodi decreta consenserunt, ut Baetica omnis sese in officio imperioque Caroli et Reginae matris contineat, et ab eis ipsorumve nomine praefectis magistratibus et superiore consuetudine praeficiendis obtemperaret. Siquis ali-

aliter suaserit, aut quoquo modo publicam pacem sollicitaverit, urbe seu municipio, ubi talia conabitur, ejiciatur, turbulentique conatus proximae civitatis armis, aut omnium communibus, si opus erit, vindicentur ac reprimantur: siquid erit imperatum a tumultuantis Castellae conventu populari, qui sibi summam auctoritatem sumserit, ne pareatur, etiamsi diplomata vel edicta Reginae nomine, jam pridem mentis perpetuo morbo ab administratione Regni submotae, mittantur; tum siqua vis armis inde fuerit intentata, ut res poscet, obsistatur: idemque fiat, siquid novitii Christiani Granatenses in ea rerum perturbatione, aut Mahumetani moverint ad pacatam Mauritaniae maritimam oram, non exspectata Regii consilii, aut Regni praesidum jussione; et ad omnes casus suam quisque populus equestrem pedestremque manum jam nunc delectam habeat atque paratam.

II. His rebus in conventu *Ramblensi* constitutis, placuit etiam, ut legatum ad Carolum mitterent, qui eum de Baeticae in ipsum voluntate constantique fide et officio doceret; et simul hortaretur oraretque, ut in Hispaniam redire properaret; fore suum adventum et ipsi commodissimum, et toti Regno salutarem, utque conscensis navibus nullaque militum externorum praeter nauticos imposita manu, cursum in Baeticam dirigeret: quae si ab ipso impetrassent, se illi equitum sex, peditum vero viginti millia collaturos, quibus copiis ac ipsius praesentia facile sit tumultuantes Castellae populos coërcere ad officiumque reducere. Hanc legationem, petente Concilio, libenter suscepit Ludovicus Mendez So-

Sotomajor, legatorum Cordubensium alter, cujus singulare studium exstitit rerum omnium, quae ad bonum publicum pertinere viderentur, et egregia in eos, qui ad concilium missi fuerant, liberalitas. Nec enim solum equites quinquaginta ducentosque pedites ad concilii praesidium a se conductos, sed omnes etiam legatos cum suo quemque comitatu suis expensis liberaliter aluit. Placuit praeterea, ut tumultuantes Castellae civitates ab incepto cunctis rationibus dehortarentur. Itaque litteris ad conventum popularem ex eodem *Ramblensi* concilio missis, monent et pro vetere amicitia et necessitudine rogant, ut a pernicioso consilio inceptoque desistant, neve paucorum seditiosorum hominum et rerum novarum cupidorum suasu impulsi, suam et totius Regni publicam quietem et tranquillitatem conturbent; et cum multis aliis rebus, quarum jacturam afferre solent intestina bella, laudem quoque fidelitatis in Regem amittant, qua veteres Hispanos ceteris fere nationibus praestitisse constet, saevis etiam imperiis fidei gratia toleratis: quam majorum constantiam pium simul atque pulchrum sit aemulari, nec velle Regi, cui parere jus fasque sit, leges imponere; sed siquid erit quod fieri, aut lege sanciri ad publicum Regni bonum pertinere videatur, id ab ipso Rege supplicibus verbis petere et eum observantia solita comprecari. Haec igitur uti faciant, ad officiumque redeant, se iterum atque iterum rogare et obtestari, quae si ab ipsis impetraverint, intercessores se apud Carolum fore, ut eis culpas et errata superioris temporis condonet; sin hominum seditiosorum temerariis consiliis parere, ac in eo

perseverare, quam sua recte et amice monita sequi maluerint, se Regio Senatui et Regni praesidibus ei malo mederi molientibus, siquid fuerit imperatum, dicto audientes fore, et, ut ceteris in rebus, item hac in parte suum officium praestituros.

III. Ad haec populares, se vero responderunt majestatem Regiam in primis sacrosanctam habere, eamdemque tum opibus, tum dignitate auctam percupere, nec suos conatus aliorsum pertinere; non igitur sibi legitimum Regis imperium esse grave, sed ejus importunorum consultorum avaritiam molestam et intolerabilem: horum effraenata cupiditas ut quibusdam velut habenis cohibeatur, ne temere aut impune debacchetur, providendum, sibi videri non solum in praesens, sed etiam in futurum, idque Regiae majestatis vel in primis interesse: nam imperia, quo justiora et mitiora sint, hoc haberi tutiora, et diuturna magis esse solere, in mutua Principum et populorum caritate, ad quae conanda et perficienda, conspirante reliqua Castella, debuisse vel in primis Baeticos consentientes potius piis ejus conatibus omni ope in tali rerum occasione favere, quam qui publicam causam suscepissent, hos ab honestissimo consilio et incepto dehortari.

IV. Baeticae consilium Lusitani quoque tractum incolentes, qui *Extremadura* nominatur, secuti sunt, auctore potissimum Francisco Castilla, qui praeerat urbi, quae nunc *Trugillum*, olim, ut putatur, *Castra Julii* dicebatur, estque illius regionis velut caput. Hic enim Franciscus vir nobilis, consilio praestans et eloquentia, veritus ne per occasionem Regis absentis veterum factio-

num

num Chavium et Vargarum, in quas civitas scissa erat, memoria revocaretur, et alterutri, ut esset necesse, cum publico discrimine ad partes populares inclinarent, cum principibus factionum diligenter egit; et cum pacem perpetuam non posset, inducias ad reditum usque Regis et anni praeterea unius impetravit. Quibus factis et jurejurando ab utrisque firmatis, proceres populosque vicinos, ut in officio fideque manerent, per litteras cohortatur, et auctoritate publica, quam ab Hadriano Cardinale acceperat, qui Castellam, ut demonstratum est, Regis nomine procurabat, concilium ejus regionis Augustam Emeritam, quae medium fere tenet, convocavit. Huc postquam populi per suos legatos atque proceres convenerant, de Concilii sententia constitutum est, ne a fide et imperio Regis ejusque magistratuum discederetur, et decretum, dato et accepto jurejurando, firmatum. Praeterea equites circiter mille, pedites ad octo millia non tam imperati sunt, quam sponte a proceribus atque populis oblati, et his omnibus Petrus Castella Francisci frater praefectus, ut ea manus instructa esset atque ad officium Regi Regiisque magistratibus, siquid opus esset, praestandum parata.

V. Dum haec in Baetica et Extremadura geruntur, ceterae Castellae civitates tumultuari, et manus, quas in armis paratas haberent ad ea, quae visa fuissent, exsequenda cogere non desistunt, proceribus quibusdam frustra populares in officio continere conantibus. Erat Burgis Jofredus, natione Belga, qui cum esset Caroli mensorum praefectus, ab ipso, ut Laris arci praeficeretur, Burgensibus invitis, impetraverat. Hujus domo direpta

 et

et ex parte diruta, Burgenses minacibus ejus urbe decedentis contumeliosisque verbis magis incensi, ex vici fano, quo scilicet confugerat, abstractum reducunt et in carcerem conjiciunt, atque inde a quodam ira furente clava contrito capite peremtus, in gulam injecto laqueo raptatur trahiturque in patibulum, atque suspenditur. Ad hos motus sedandos, qui inter seditionis initia fuerant exorti, Inechus Fernandus Velascus Castellae Comestabilis Burgos venit, quippe in ea civitate plurimum, tum gratia, tum etiam auctoritate pollebat, magnoque omnium consensu civitati praeficitur. Sed unum turbulentum hominem, qui asperius quaedam liberiusque in Carolum jactaverat, comprehendi cum jussisset, a plebe concitata, quae sumtis armis sese opposuit, prohibitus est; ac dum se in aedes suas placide contemtimque reciperet, parum abfuit, quin a quodam ex plebe occideretur, qui bis scorpionem tetendit, bis spiculum aptavit Inechi configendi causa; sed ab altero proxime incedente, qui rebus Inechi favebat, prohibitus est, primum velut casu compresso scorpione, et emissa in sublime sagitta, deinde postquam illius pertinaciam perspexerat, nervo etiam dissecto. Itaque Comestabilis, ne invitis oppidanis sine commodo Reipublicae et cum suo periculo maneret, Burgis discedit, et oppidum suae ditionis, *Farum* nomine, progressus, tumultuantes illic oppidanos coëgit ad officium redire.

VI. Najarensium quoque tumultus eisdem diebus, sed majore illato detrimento, ab ipsorum Duce Antonio Manrico repressus, qui ut Navarram pro Rege tunc temporis obtinebat, factus de suorum motibus certior,

Na-

Najaram cum militibus, qui erant ei ad illius Regni praesidium attributi, movet, si posset incusso terrore oppidanos ad sanitatem revocare; sed cum intentando periculo nihil proficeret, oppidum, qua datus est a quibusdam oppidanis aditus, irrupit, et vi captum militibus diripiendum permisit. Ceterum supplicio de iis, qui principes fuerant seditiosi consilii, sumto, ceteris venia suppliciter petentibus data.

VII. Paucis diebus interjectis, litterae a Carolo diplomataque perferuntur, quibus Inechus idem Comestabilis, et Federicus Henricus Almirantus Castellae, propter magnam ipsorum apud omnes ordines auctoritatem procurationi Regni cum Hadriano Cardinale praeficiuntur. Quo munere suscepto, Comestabilis (Almirantus enim aberat in Catalonia, ubi quibusdam oppidis imperitabat) pecunia ex suis vectigalibus et possessionibus quam maximam potuit, congessit, et ab Emanuele Portugalliae Rege quinquaginta ducatorum millia Caroli nomine mutuatus, delectum habere instituit, simulque veteranarum cohortium ex Africo bello id temporis redeuntium quod potuit mercede ac pollicitationibus accersivit, pars enim fuerat a popularibus abducta. Simul ad Antonium Manricum, Najarae Ducem, qui pro Rege, ut demonstratum est, Navarram obtinebat, scribit petitque, ut quando jam bono animo Navarri in nostros esse viderentur, sibi partem aliquam praesidii veterani et item aliquot tormenta mitteret, quod ille non gravate Reipublicae amicitiaeque tribuit, missis quingentis veteranis militibus cum Manrico, filio puero, et tormentis quatuor mediocribus

bus cum Michaële Ferrera, Pompelonensis arcis praefecto.

VIII. His rebus cognitis, populares, qui ex concilio Torsillano rem communem administrabant, ipsi quoque novo delectu suas copias augent, hisque Petrum Gironem, Uregnae Comitis natu maximum filium, suam operam pollicentem, cum imperii summa praeficiunt, propter hominis auctoritatem et virtutis opinionem; de cujus voluntate hoc minus sibi dubitandum putabant, quod is a Carolo alienum animum gerere credebatur ob animi dolorem, quem non dissimulanter ferebat, et injuriam, quam ab ipso, ut praedicabat, acceperat, dejectus spe Ducatus Methymnae Sidoniae jure uxorio potiundi. Joannes enim Methymnae Sidoniae Dux ex uxore Isabella, Petri Velasci Comestabilis filia, Henricum et Menciam, quae Petro Gironi nupsit, progenuerat. Idem, Isabella defuncta, ex Leonora consobrina sua amitae filia, quam moriens uxorem duxit, filios procreavit, qui beneficio legis per subsecutum matrimonium legitimi esse videbantur. Sed quoniam Henricus, qui patri successerat, et ejusdem Petri sororem duxerat, sine liberis decesserat, Petrus Giron, uxoris Menciae nomine Ducatum injussu Fernandi Regis invadit atque occupat, exclusis Leonorae filiis, quos ex non legitimo matrimonio, utpote quod praeter Ecclesiasticas leges propter propinquitatem et sine Pontificis Maximi privilegio, quam *dispensationem* vocant, contractum fuisset, natos esse dictitabat.

IX. Erat autem Petrus Giron jam pridem odio Regi Fernando, propterea quod is Henrico puero, cui soro-

rorem post Ducis patris obitum desponderat, ex Hispali, cum Rex adesset, in Portugalliam profugiendi dux et auctor fuerat, ne ipsum Rex idem Annam ex Alfonso notho filio neptem, uxorem, ut velle ostenderat, ducere compelleret. Itaque odio simul et cupiditati Fernandus indulgens, Petro Girone cum uxore per occasionem dejecto, Alfonsum, ex Leonorae filiis natu maximum, Methymnae Ducem praefecit, Anna in matrimonium eidem collocata. Sed Fernando Rege defuncto, Petrus Giron diploma, nescio quod, a Carolo in favorem sui juris impetravit, quod postea idem Carolus, adversariis reclamantibus, publico consilio rescidit. Hoc iniquo animo ferens Petrus Giron, Valdoliti Carolo Compostellam proficisci parante, ipso die profectionis, proceribus quibusdam et nobilibus audientibus, sic ipsum est affatus: „More majorum ac legibus, Rex Carole, „comparatum est, ut siquis honesto, aut etiam illu„stri loco natus vir gravi injuria affectus a Rege, jure „patrio, quo Hispani communiter utantur, decesserit, „is, quasi hospes jam et alienigena factus, nullis am„plius patriis legibus teneatur, ut siquid deinde co„natus erit in Regem, non idcirco in laesae majestatis „crimen vocari possit, aut perduellionis ignominia no„tari. Ego igitur, qui a te praegravi accepta injuria, „uti volo ejus legis beneficio, jam nunc omni Hispa„no jure decedo, atque hos, qui adsunt, viros nobiles „attestor." Cui Carolus respondit: non se putare illum, quae jactaret, esse commissurum; *Sed si feceris*, inquit, *dabis mihi poenas tua temeritate dignas*. Haec igitur a Carolo Petri Gironis alienatio spem dabat popularibus, ipsum

psum in partibus suis permansurum, cum eum copiis suis adversus proceres, quibus causa cum Rege communis esse videbatur, praeficerent.

X. Ceterum populares Hadriani Cardinalis, cui a discedente Carolo Regni, ut demonstratum est, procuratio tradita fuerat, Regiique Consilii auctoritatem suis conatibus obesse animadvertentes, Hadrianum ipsum et consultores ceterosque magistratus Regiam aulam sequi solitos capere moliuntur. Hoc illi cognito, Valdolito intempesta nocte discedunt, et Hadrianus cum eorum parte Methymnam, quae ad *Rivum Siccum* cognominatur, Almiranti ditionis oppidum, cum ceteris Antonius Roxas Archiepiscopus Granatensis, Senatus Consiliique ejusdem praefectus, Vernicam in fines Comestabilis profugerunt. Interea Federicus Almirantus ex Catalonia Methymnam suam reversus est, ad quem proceres cum suo quisque comitatu frequentes convenerunt. Affuit Alvarus Osorius Asturicae Marchio cum Petro, maximo natu filio, Alfonsus Pimentelus Beneventi, Fernandus Silva Centumfontium, Jacobus Henricus Gusmanus Albaelistae, Franciscus Quignonius Lunae, Henricus Henriquez, Almiranti frater, Rivadaviae, Alvarus Moscosus Altamirae, Comites; Jacobus Toletus, equitum Sancti Joannis, Fernandus Vega, equitum Sancti Jacobi, ex Castella Praefecti, et alii praeterea complures, sine hujusmodi titulis optimates.

XI. Jam Burgos oppidanorum voluntate Comestabilis redierat, eamque civitatem spe atque promissis ad officium reduxerat, pollicitus se illorum postulata intra certum tempus a Carolo impetraturum. Erat autem gravio-

viorum postulatorum summa, ut Carolus veteribus maternorum avorum tributis et vectigalibus contentus, nulla praeterea exactione gravaret civitates; ne praefecturae, aut sacerdotia mandarentur externis; neve pecunia ex Hispania exportaretur; et haec omnia sanctissimis legibus sancirentur. Quae tamen Inechus nec praestare potuit, nec ullis precibus impetrare, leges eas Carolo ut iniquas, nec suae dignitati convenientes, pertinaciter respuente; annuit tamen de immunitate mercatus, quod erat unum ex Burgensium postulatis.

XII. Ex Burgis Comestabilis Petrum Fernandum, filium natu maximum, Fari Comitem, ad quem summa imperii bellique gerendi procerum voluntate et approbatione delata erat, coactas manus in unum locum contrahere et Methymnam deducere, seque cum reliquis proceribus conjungere jubet. Ejus rei gratia Petrus idem *Melgar* oppidum, ex his quas nostri vocant *Behetrías*, processit; huc ad eum Jacobus Sarmentus Salinarum, Garcias Manricus Osorni, Petrus Velez Guevara Ognati, Comites; item Alfonsus Carrillus Peralta, Falcium Marchio, cum filiis et bono veteranorum militum comitatu ex Navarra profectus, et Gomezius Benavides Fromestae Mariscalis, convenerunt. Copiis coactis Petrus Velascus Methymnam contendit atque pervenit; eodemque die Franciscus Zugniga Mirandae Comes, Beltranus Cueva Ducis Alburquerquii natu maximus filius, Bernardus Roxas Dianii Marchio, cum Ludovico filio, eodem convenerunt. Erant autem copiae, quae huc cum proceribus confluxerant, equitum duo circiter millia ducenti, peditum sex millia: popularium exercitus, equitum mille

ducentorum, peditum decem amplius millium, quas copias Petrus Giron tribus castellis Torfumo, Villagarcia, Villabraxima, prope Methymnam, adversariosque collocaverat, unde Methymnensem agrum incursionibus infestabat. Sed post adventum Petri Velasci, relictis his locis, Villalpandum Comestabilis ditionis oppidum, quod tunc ab illo defecerat, et plures ad bellum gerendum commoditates habere videbatur, contendit, ab oppidanisque recipitur. Quo cognito, Petrus Velascus ipse quoque suas copias Methymna deducit, proceribus consequentibus, et in his Federico etiam Almiranto, qui nondum Regni procurationem iniverat, sed compositionis atque pacis auctorem diligentissimum sese praebebat, sic suam apud populares gratiam majorem fore existimans, si quasi privatus tunc cum eis ageret, cum nomine et auctoritate Caroli Regni procurationem posset obire.

XIII. Proceres igitur copiis omnibus Methymna profecti, Torsillas contendunt. Hoc enim oppidum, quo Regina, uti docuimus, continebatur, in primis oppugnare placuit, nequid sinistri populares occasione Reginae, ut tentaverant, perficerent. Ab horum enim legatis Torsillae cum praesidio tenebantur, oppidanis singulari studio conspirantibus, qui a Petro Velasco proceribusque missa legatione, ut sibi, qui Reginam salutatum convenissent, aditum praeberent rogati, spatium ad respondendum se sumturos dixerunt. Ceterum caduceator, qui bellum, nisi portas aperirent, denuntiatum redibat, ab eis non est admissus, sed telis potius ex muro rejectus. Tum Petrus Velascus, equites cum Regio vexillo, quod pro suo hereditario officio Fernandus Silva

va Comes Centifontanus ferebat, separatim collocat, praeter duas turmas cataphractorum, quos ad pedes desilire et oppugnationem cum peditibus inire jussit. Coepta oppugnatione, murus semel atque iterum diversis partibus tormentorum telis concutitur, utrobique tamen ejusdem firmitudo, ut erat terra intrinsecus accumulata munitus, oppugnantium conatus frustrabatur: itaque multi oppugnatorum caesi, complures vulnerati, vexillumque Regium duobus scloppetorum telis perforatum, naviter scilicet defensoribus ex muro propugnantibus. His difficultatibus affectus Velascus, Dionysium Dezam Navarrum, hominem strenuum et magno usu rei militaris ad se vocat, jubetque oppidum circumeuntem, qua parte commodius oppugnari posse videretur, explorare. Is foramen nuper obtrusum parte a propugnatoribus aversa sibi notatum esse renuntiavit, quo aditus aperiri posse videretur. Huc igitur transvectis tormentis, tamdiu murus est concussus, donec parte disjecta, foramen sub solis occasum, qua modo posset singularis homo subire, patuit. Hac miles quidam ex Methymna Campestri, *Nietus* nomine, initium ingrediendi fecit; cujus rei virtutisque gratia Velascus ipsum postea remuneravit. Multi hunc subsecuti, qui murum et proximam turrim, victoriam conclamantes, citra contentionem occuparunt. Nam defensores eam partem nihil inde metuentes incustoditam reliquerant. Oppidani adversarios intra moenia conspicati, proximis domibus incensis, ea quoque parte nonnihil repugnare coeperunt; et magno campanarum strepitu periculum significantes, fidem sociorum, siqui prope adessent, implorare.

XIV. Hoc animadverso, Velascus Rodericum Roxam cum turma expeditorum equitum mittit, qui paulo longius progressus, in itinere, quod ducit a Villalpando, consisteret, et siquid auxilii ab adversariis veniret, renuntiaret; tum ceteris fere proceribus per foramen, quod initio in porta, quam ad equites introducendos refringendam curabat, patuit, ingressis (nam et ipsi ad pedes desilierant) ductor ipse Velascus, majorem partem noctis extra oppidum exspectavit, donec perfracta et expedita porta, quae caemento fuerat obtrusa, equitibus pateret aditus, et tormenta inveherentur. Tertia vigilia cum equitatu ingressus custodias per muros disposuit, et cetera, quae oportere visa sunt, imperavit; et quamquam pridie oppidum militibus diripiendum permiserat, tamen ut a direptione desisterent, magnis poenis constitutis edixit per praeconemque denuntiavit. Expugnatae sunt autem Torsillae mense Decembri cum jactura hominum amplius centum quinquaginta, multis praeterea vulneratis. Sed primus omnium centurio quidam occubuit, in cujus tunicae manica sacer calix argenteus repertus fuit, quem fano Torlobatonis oppidi ab ipso et manipularibus direpto, ceteris rebus Ducis jussu restitutis, occultaverat, ut Deus interdum non sera poena sacrilegos ulciscitur. Ex oppidanis et popularibus pauci perierunt, nec ullus nisi armatus. Civitatum legati comprehensi nonnulli et custodiae dati, ceteri muro ab adversariis occupato fuga elapsi, paulo post Valdolitum se receperunt. Huc enim Petrus Giron, cum de Torsillarum expugnatione cognovisset, ex Villalpando suas copias deduxit, quas paucis post diebus

bus relinquens, Pegnafielem paternae ditionis oppidum discessit. Discedendi duplex causa ferebatur: altera, quod ferre calumniam non posset popularium vulgo jactantium, exercitum ab eo per dolum ex agro Methymnensi deductum fuisse, ne obesset adversariis, quominus Torsillas expugnarent; altera, quod eidem a propinquis proceribus (erat enim magnae cognationis et primis eorum sanguine conjunctus) per nuntios et quorumdam colloquium persuasum fuisset, victoriam, si popularibus contigisset, fore, ut ceteris proceribus, item ipsi Gironi perniciosam, cum hoc in primis jactarent populares, se Regem ex procerum jactura ditaturos, publicatis et Regio patrimonio restitutis ipsorum bonis, quaecumque inde fuissent, ut essent pleraque, per Regum superiorum largitionem injustasque donationes praeter leges detracta; ut quemadmodum pernicioso illo errore, multis proceribus locupletatis, contracta fuisset publica Regis inopia, sic ei malo, quod esset caput omnium incommodorum, contraria ratione mederentur.

XV. Torsillis expugnatis atque direptis, plerique pedites praeda illa quantulacumque contenti, et ob alias causas, domum discesserunt, reliquae copiae, partim Symancas, Torlobatonem, Villalvam, Methymnam Rivi sicci et Portillum, castella et oppida circum Valdolitum hybernorum praesidiique causa deductae, partim Torsillis cum Hadriano, qui jam huc ex Methymna migraverat, et Almiranto, qui hoc oppido recepto Regni procurationem susceperat, et Velasco Fario Comite, ac ceteris fere proceribus remanserunt. Ex popularibus quoque post digressum Petri Gironis multi diffluxerant, re-

li-

liqui fere Valdoliti et circum Methymnam Campestrem continebantur, et utrinque incursiones, interdum excursionesque fiebant. Quorum popularium circiter quingenti Rodillanae juxta Methymnam Campestrem cum hybernarent, hos nihil tale metuentes aggressus Petrus Cueva cum minore militum manu, praeter paucos fuga dilapsos, cunctos aut interfecit, aut cepit. Idem paucis post diebus cum equitibus cataphractis ducentis et peditibus quingentis Zarzam missus, improvisus adest, et octingentos ex adversariis, qui consederant in eo vico, qui ultra Methymnam Campestrem abest a Torsillis passuum millia viginti quatuor, inopinantes adortus conturbavit; qui se in vici fanum cum recepissent et parumper repugnassent, paucis interemtis, reliquos in deditionem compulit et captivos duxit, tantumque fuit militum studium, ut passuum quinquaginta sex millia (huc enim iter vitata Methymna circuitu creverat) conficerent, nullo interim cibo, donec Torsillas reverterentur, sumto.

XVI. Interea Toletani, cognito Petri Gironis discessu, Joannem Padillam cum supplemento mittere constituunt. Hic enim, quo tempore in Torsillano consilio de Petro Girone cum summa imperii exercitui praeficiendo ageretur, iniquo animo ferens ea ratione suam auctoritatem minui, domum reverterat: remissus igitur cum majore auctoritate, Valdolitum pervenit et magna cum gratulatione a popularibus recipitur. Erat in partibus popularium Antonius Acugna Episcopus Zamorensis, homo factiosus ac turbulentus, et nihil minus quam ad Episcopatum natus; ad quem honorem non doctrinae, aut religionis morumque sanctitatis, earum denique vir-

virtutum opinione pervenerat, quae multae et excellentes in eo desiderantur, qui praefectus Ecclesiae, religionis interpres, atque hominum suae fidei commissorum vitae magister et censor esse debet: ab his enim procul abhorrebat, sed longe diversis artibus obrepserat. Qui cum suos Zamorenses initio ad tumultum sollicitaret, ejectus urbe fuerat a Jacobo Henrico Albae Listae Comite; unde Taurum urbem progressus, atque ea sollicitata in popularium castra pervenit, et ubique sese rerum novarum ac seditionis ducem exhibere studebat.

XVII. Is paulo post adventum Joannis Padillae, ex Valdolito cum parte copiarum in proximam regionem, quam propter planiciem *Campos* recentior consuetudo nominat, profectus, Ampudiam venit, atque inde pulso praesidio, quod paulo ante fuerat a proceribus missum, Cordovillam usque nihil ab injuria et maleficio temperans procedit; unde reflexo itinere per Torquemadam et Magazam, aliaque castella et vicos procerum ditionis obvia quaeque devastans, Magazae quoque templo direpto, Valdolitum revertit. Hic, coacto primorum concilio, placuit popularibus omnes adversarios proceres laesae majestatis crimine condemnare. Qua sententia in foro per praeconem ex suggesto pronuntiata, Joannes Padilla copiis omnibus egressus, ad Torlobatonem castellum ditionis Almiranti, quod parvo praesidio tenebatur, oppugnandi gratia consedit. Huc quoque Velascus Farius Comes cum equitatu et quinquaginta electis peditibus, quos cum praefecto Francisco Osorio suis ad tuendum castellum subsidio mitteret, proficiscitur; sed in itinere nuntio accepto ab Almiranto, ut pro quinqua-

quaginta peditibus totidem equites cataphractos summitteret, sibi eam sententiam non probari respondit; nec enim eos pedites ad castellum defendendum minus esse idoneos, quam equites, quorum opera ad res alias longe utilior esse possit. Quo responso indignatus Almirantus, Franciscum Osorium cum scalis, quibus erat murus per partem a popularibus aversam conscendendus (harum enim cura ipsum retardaverat) ad Torsillas manere jussit, et Velascum, qui jam in adversariorum conspectum venerat, revocavit, per litterasque, ne supervacaneum minimeque necessarium subsidium mitteret, denuntiavit. Itaque postridie parvo negotio castellum expugnatum est, eodem Fario Comite, qui in conspectum cum equitatu processerat, spectante et propter suorum paucitatem non valente, sed ne conante quidem prohibere. Nec vero modo castellum vi captum est atque direptum; sed arx quoque munitissima, intentata modo oppugnatione, per ignaviam praefecti dedita, eodem die in popularium potestatem pervenit, qui stativa ibidem habere constituerant, propter loci opportunitatem ad proceres, qui Torsillis continebantur, infestandos, atque ipsum oppidum, quod inde abest passuum duodecim millibus, per occasionem oppugnandum et commeatibus intercludendum. Cujus rei gratia pedites sclopetarios, qui vias obsiderent, quotidiana consuetudine dimittebant, donec horum circiter quinquaginta ab equitatu procerum ipsoque Velasco intercepti et capti sunt. Hic enim timor ceteros deinde repressit, et infestas vias ab incursionibus hujusmodi tutiores reddidit. Atque haec quidem in Vaccaeis gerebantur.

Co-

XVIII. Comestabilis ad hoc tempus Burgis morabatur, cum nuntius, qui Burgensium postulata, de quibus supra diximus, ipsiusque preces ad Carolum Caesarem pertulerat, re infecta redivit: itaque seditionem atque impetum in se civitatis veritus, arcem, qua se potiri, prius quam res enuntiaretur, magni interesse judicabat, praemiis et pollicitationibus adducto praefecto, recepit, eamdemque populo, qui sumtis armis tumultuari coeperat, sua potissimum auctoritate cohibito, praesidio munivit, ut illo quasi fraeno seditiosorum animi compescerentur. Cum autem necessaria ad bellum cum popularibus gerendum compararet, nec esset tormentorum copia, Methymnensibus a Joanne Padilla et popularibus occupatis, Sanctium Velascum Fonterabiam mittit, qui aliquot tormenta hinc deducta in urbem Victoriam, atque inde Burgos deferenda curaret. Is jussa diligenter administrans, levioribus tormentis globisque ferreis, et ceteris, quae tormentis usui sunt, per terram statim, quo properantius deportarentur, missis, septem graviora tormenta in navem imposuit, cumque his ipse Bilbaum navigavit, ut inde commodiore ac breviore terrestri itinere conveherentur. Hoc Torsillas nuntiato, populare consilium Petro Ajalae Comiti Salvaterrae per litteras mandavit, daret operam quam maxime posset, ut tormenta interciperet, nec ulla ratione in adversariorum castra perferri sineret. Nam is ex proceribus partes popularium pertinaciter ad Cantabriam fovit, quemadmodum ad Asturiam et Legionem urbem Ramirus Nugnez Guzmanus, qui Torali oppido, aliisque castellis vicisque per eam regionem imperitabat. Hic enim se ducem

praebuit hujus tractus popularibus, sive quod illorum publicam causam probabat, sive studens veteribus factionibus, ut a Comite Lunae, quem ab urbe Legione depulit, dissentiret. Fuerat autem Comes Salvaterrae a consilio Torsillano omnis ejus tractus, qui ab agro Burgensi usque ad Oceanum et Fonterabiam pertinet, dux et praeses constitutus, cujus impulsu hae regiones magna ex parte tumultuabantur, et praefecturae veteris Castellae, quas *Merindades* appellant, a Comestabili, cujus erant in clientela, defecerant, et illius auctoritatem sequebantur. Is cum litteras consilii, de quibus supra diximus, accepisset, praemittit ex suis, qui cetera tormenta, quae ex Fonterabia per terram devehebantur, interciperent, ipse celeriter, coacta per Gonzalum Barahonam suum praefectum circiter decem millium armatorum manu, cum his in vallem Arratiam movet, qua septem illa graviora tormenta ad Bilbaum exposita a Sanctio Velasco cum praesidio convehi nuntiabantur. Sanctius, cognito de Comitis et tantae manus adventu, cui par esse non poterat, tormenta vehiculis detracta reliquit, ipsa vehicula cum mulabus abduxit, quae causa fuit, ut Comes tormenta, cum devehere non posset, malleis ferrariarum, quae in propinquo erant, in frusta comminueret.

XIX. Erat Comes Salvaterrae Victoriensi civitati, quae Alavae Cantabricae regionis velut caput habetur, plurimum infensus. Haec enim civitas, quamquam initio popularium seditionum ancipiti consilio lababat, postea tamen in fide Regis opera potissimum et auctoritate Jacobi Martini Alavae confirmata, suum officium

pro-

proceribus studiose praestare perseveravit, ac plurimum obfuit Comitis conatibus, exorsa videlicet a capto Antonio Gomecio Ajala. Hic enim in Cantabriam quasi praetor cum plena juris dicendi facultate, utque Salvaterrae Comitem eis regionibus praefectum ducemque datum renuntiaret, ex consilio Torsillano missus ad Comitem eumdem venerat, acceptisque ab eo custodiae gratia quinquaginta satellitibus, Victoriam oppidum contendit, ut ibi potissimum magistratum gereret, et consilii mandata exsequeretur: quorum quaedam in Jacobum Martinum Alavam ejus provinciae magistratui praefectum, qui *Deputatus* patrio more nuncupatur, ejusque propinquos privatim acceperat. Haec enim familia nobilis in primis ejus civitatis ex omnibus, pertinacissime popularem causam oppugnabat, et ob eam rem primarii ejus perduellionis nomine fuerant in consilio Torsillano damnati. Jacobus igitur Martinus tum sibi suisque, tum Regiis rationibus metuens cavensque, coacta propinquorum amicorumque manu, Antonii Gomecii hospitium ante lucem obsidet, ipsumque in lecto nihil tale metuentem comprehendit, et in arcem Vernedi, cui Fernandus Alava ejus filius praeerat, custodiendum mittit, unde postea Valdolitum, ut causam pro se diceret, deductus est, damnatusque post reditum Caroli, atque capite mulctatus. Quae hominis captio Comiti Salvaterrae molestissima fuit, multumque ab ea civitate animum ejus alienavit.

XX. Dum igitur irae odioque Victoriensium indulget Comes, ut ab his, praesertim ab Alavarum familia, poenas expeteret, cum ea, de qua dixi, manu si-

gnis infestis Victoriam contendit, et intermisso mille circiter passuum spatio, in planitie, quae *Arriaga* dicitur, consedit. Sed dum oppidum oppugnare parat, viri duo Religiosi, Abbas Sanctae Piae, et Jacobus Arna Theologiae magister, Monachus Dominicanus, Comiti familiariter noti et accepti, ab oppidanis ad eum in castra legati de pace mittuntur. Comes pacem civitati aliter se daturum negavit, quam si Jacobus Martinus Alava cum filiis et fratribus sibi dederetur, totaque civitas se Comestabilis imperio non amplius parituram polliceretur. Quo responso accepto, oppidani ab eodem Jacobo, ut protinus urbe cum suis decederet, impetrarunt, his submotis facilius Comitis animum placari posse existimantes: nec ipsos opinio fefellit. Nam illis digressis, Trevignumque Najarensis ditionis oppidum migrantibus, pax civitati data est certis conditionibus; quarum illa fuit, ut portis patefactis Comitis exercitus, signis militaribus explicatis, per urbem quasi victor, sine injuria tamen et maleficio transiret. Ita per portam *Arriaguae* immissum agmen, per alteram, quae *Sanctae Clarae* cognominatur, a praefecto Gonzalo Barahona deductum. Nam Comes ipse, urbe vitata, copiisque dimitti jussis, in vallem Quartangum oppidumque suae ditionis Andagojam cum paucis contendit.

XXI. Interea, qui Trevignum secesserant Victorienses, ad Comestabilem auxilium adversus Comitem eumdem postulatum mittunt, quo tempore Manricus Lara, stirpis maximus, missus ex Navarra a patre Duce Najarensi cum militum veterana manu, ad Comestabilem paulo ante opportunus pervenerat. Hunc Comestabilis ju-

jubet rogatque, ut cum eadem manu ad compescendos Comitis Salvaterrae motus progrederetur; ex suis autem pedites quadringentos et equites centum praemittit, qui *Pueblam* cognomento *Arganzonis* progressi (quod castellum sub ejusdem Comestabilis imperio erat) eadem nocte quarta vigilia cum Jacobo Martino Alava Andagojam pervenerunt, ubi Comes, exercitu ad Victoriam dimisso, securus agere nuntiabatur. Sed Comes, quem eorum adventus latere non potuit, conscenso equo, se fuga subtraxerat. Re igitur infecta, aedibus modo ipsius direptis et incensis, Pueblam revertuntur. Postridie Manricus Lara cum peditum duobus millibus et equitibus quadraginta Trevignum pervenit, atque inde adjuncta ea, quae ad Pueblam erat, manu, insequente die Victoriam processit, oppidanisque in fide confirmatis, Salvaterram movet; et id oppidum, cum citra contentionem recepisset, Jacobo Martino Alavae custodiendum tradit, praesidio ducentorum hominum attributo, Victoriamque revertitur. Sed cum allatum esset, Comitem ad vallem Quartangum manus cogere, eo Manricus suas copias deducit, quarum impetum Comes intelligens a se sustineri non posse, in proximos montes sese suosque abdidit. Ille vero direpta valle, et Andagojae Morillarumque arcibus incensis, in *Merindades* (quae praefecturae a Comestabili, ut docuimus, defecerant) conversus, quatuor ex iis ad officium redire coactis, et incensa domo Gonzali Barahonae, ad Comestabilem revertitur, qui profectionem in bellum popularium urgebat. Nam tres alias *Merindades* Gonzalus idem in amicitia et societate Comitis continuit; unde in vallem

Aja-

Ajalam ad Comitem redivit, qui manus ad recipiendum Salvaterram, oppugnandamque Victoriam, quae pacis conditiones violasse videbatur, cogebat.

XXII. Victorienses, cognito Comitis consilio, ad obsistendum sese comparant, habitoque censu, sexcenti homines, qui arma ferre possent, ex oppidanis reperti sunt, praeter milites ducentos, qui praesidio relicti fuerant. Submittuntur praeterea a Comestabili ex Faro et Puebla et Sancto Vincentio, suorum finium castellis, pedites ducenti quinquaginta et equitum duae turmae. Summa belli in Cantabria gerendi ducibus duobus Martino Ruizio Avendagno, et Gomecio Gonzalo Buitrono Cantabris tradita. His Victoriam convenientibus Jacobus Martinus Alava ad Salvaterram, unde discesserat, tuendam revertitur. Sed facta seditione, captoque ab oppidanis Fernando filio, ipse in arcem confugere coactus est. Hoc cognito, Comes, quod plenius etiam atque uberius, quam res erat, a quibusdam ipsius studiosis oppidanis nuntiabatur, occasionem recipiendi castelli non praetereundam ratus, cum tribus circiter hominum millibus Quartango proficiscitur, et Duranam, vicum quatuor a Victoria passuum millibus, praetergressus, ipse cum expeditis advolat, subsequente cum reliquis Gonzalo Barahona, et tertia vigilia ad Salvaterram improvisus adest, seque ab oppidanis sine contentione recipiendum esse ratus, suis Ajalam conclamare jussis, portam, quae *Sancti Joannis* cognominatur, hasta pulsavit. Sed jam castellani cum praefecto Jacobo in gratiam ad officiumque rediverant. A custodibus igitur equo vulnerato et nonnullis suorum amissis, rejectus est

at-

atque cedere coactus. Itaque prima luce accedente reliquo agmine, cum suis omnibus Bicugnam vicum contendit, ubi factus certior de concordia praefecti cum oppidanis, vastata ad Exparnam vicum Jacobi Alavae possessione, et quinque ejus domibus incensis, unde venerat, reverti coepit.

XXIII. Hoc Victoriam nuntiato, Martinus Avendagnus cum reliqua manu, quae huc, uti demonstratum est, convenerat, oppidanos etiam armatos educit, seque ad Comitem praelio in itinere lacessendum comparat, praemissis cum Ochoa Asua, qui ponte, quo flumen praeterfluens ad Duranam committitur (hac enim Comiti iter erat) obsiderent. Sed his pulsis, Comes, cui ob paucitatem pares esse non potuerant, suos ponte cum traduxisset, adversariorum equitatu jam extremos premente, constitit parumper quasi praelium commissurus. Sed adversariis urgentibus, atque eminus stragem scloppetis edentibus, inclinatam suorum aciem videns, se fugae mandavit, Gonzalo Barahona constanter resistente, ac suos a fuga clamoribus revocante, donec a Gonzalo Valenzuela equitum praefecto (hic enim potissimum in eum invectus fuit) pugnans, superatus et captus est. In eo praelio perpauci utrinque desiderati, parcente vicinis vicinorum humanitate. Capti ex popularibus circiter sexcenti, sed ceteris, ut multitudini solet, data venia, in ducem Gonzalum Barahonam laesae majestatis damnatum animadversum in foro est poena capitali.

XXIV. Interea Comestabilis in Vaccaeos, ut cum Almiranto et Petro Velasco filio se conjungeret, profi-

cisci-

ciscitur, quem Joannes Cerda Methymnae Salonis Dux, hujusque maximus natu filius Ludovicus, et Bernardinus Cardenas, Cogolludi et Elchis Marchiones sequebantur. Praeterea Alfonsus Arellanus, Petrus Manricus, Rodericus Mendoza et Fernandus Bovadilla, Aguilaris, Osorni, Castri, Chinchonisque Comites; item Antonius Padilla Castellae *Adelantatus*, Joannes Roxas maximus natu filius Jacobi, qui non multo post factus est Pozae Marchio, duo quoque filii ipsius Comestabilis, Joannes Tovar et Bernardinus Velascus. Cum his igitur profectus Comestabilis, ex itinere *Bezerrillum* castellum, cui Laurentius Figueroa Ducis Arquensis frater studens partibus popularium praeerat, expugnavit, ipsoque Laurentio capto, Pegnaflorem Vaccaeorum castellum non longe a Torlobatone, adversariorumque castris pervenit, atque ibi consedit. De cujus adventu ceteri Regni praesides ac proceres certiores facti, equitibus ex Portilli castelli praesidio deductis, et ad Torsillas, Reginamque Hadriano Cardinale et Bernardo Dianii Marchione et Jacobo Roxa, qui Pueblae imperitabat, cum praesidio relictis, ipsi cum cetero equitatu Pegnaflorem proficiscuntur, seque eodem die cum Comestabili conjungunt. Inita postridie copiarum ratione, peditum haud amplius tria millia reperta, equites omnino mille octingenti: nam bona pars equitatus ad Symancas relicta fuerat, ut eo praesidio Comes Ognati non modo castellum id ad bellum gerendum peropportunum custodiret, sed Valdolitensibus etiam immineret.

XXV. Tertio die, qui fuit ad nonum Kalendas
[...]o M.D.XXI. Maii, anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo pri-

primo, Joannes Padilla, Torlobatone incenso, agmen peditum septem millium et equitum trecentorum educit, Taurumque contendit, ut in oppido copioso et omnium, quae ad bellum usui forent, facultatem habente, copiis auctis, de reliqua belli ratione deliberaret. De cujus profectione postquam in castra procerum nuntiatum est, praemissis expeditioribus equitibus, qui extremum agmen carpendo adversarios morarentur, proceres cum reliquo equitatu non longo intervallo insequuntur, peditibus subsequi propperareque jussis. Bis praelium committendi gratia agmen, acie instructa, Joannes Padilla, urgentibus adversariis, consistere jussit, primum transmisso torrente coenoso et transitu difficili, ut in eo impeditos adversarios adoriretur, deinde occupato loco editiore. Sed utrobique ceterorum ducum concursu ac dehortatione prohibitus est, quibus properare magis placebat, et Villalare propinquum castellum, antequam adversarii convenirent, occupare. Ubi ventum est in planitiem, quae excipit ante Villalare, proceres atque equites (nam peditatus longiore intervallo subsequebatur) acie instructa, in cujus dextro cornu praesides et reliqui proceres, in sinistro Comes Farius curabat, infestis signis procurrunt.

XXVI. Populares autem, qui adhuc ordinem diligenter servaverant, castello appropinquantes, adversariis prementibus, partim ad eos transivere, partim Villalare, quamquam id castellum collapso muro parum poterat tegere receptos, temere ac sine imperio confugere. Pauci equites cum Joanne Padilla, Petro et Francisco Maldonado et Joanne Bravo restitere, qui certamen ineun-

tes a multis circumventi, facile capiuntur. Joannes Padilla, qui cum Petro Bazano viro forti Valduernae Vice-Comite concurrerat, et ipsum ex equo deturbaverat, ausum levioribus armis sese objicere cataphracto, captus est ab Alfonso Cueva. Ceteros, tum equites, tum pedites dissipatos atque palantes, Farius Comes cum parte equitatus quatuor millia passuum ultra Villalare consectatus est, magis ut terrorem injiceret, quam ut necem inferret. Neque enim aut huic, aut Regni praesidibus perdere, vel imminuere populares cordi erat, sed conatus eorum impedire, ipsosque ad officium revocare. Itaque hoc praelio et fuga ex popularibus quadringenti circiter caesi, ex altera parte viginti admodum equites tenui fortuna desiderati. Postridie Joannes Padilla, Franciscus Maldonadus, atque Joannes Bravus proditionis damnati et ad idem castellum capite mulctati sunt. Qui cum ad necem ducerentur, praeconi clamanti eos fuisse morte condemnatos ob patratum crimen laesae majestatis: *Mentiris*, inquit Joannes Bravus. Ad quem conversus Padilla: *Quando*, inquit, *Brave, ut vir fortis nobilisque pugnasti, fac ut pie et Christiane moriaris*. Petrus vero Maldonadus et idem Pimentelus cognominatus, Beneventano Comiti pro cognato deprecanti datus est in custodiam; ea lege, ut magistratibus repetentibus ipsum sine mora restitueret.

XXVII. Post praelium ad Villalare, sumtumque de popularium ducibus supplicium, praesides Symancas concesserunt, eoque Valdolitenses ad eos legatos pacem atque veniam oratum mittunt, quam facile universo populo, exceptis qui principes seditionis inter eos fuerant, im-

impetrarunt; cumque his legatis praesides, ac proceres Valdolitum agmine sequente procedunt. Hinc proceribus domum digressis, praesides legationibus, quae undique de pace mittebantur, benigne auditis, Methymnam Campestrem, atque inde Sagoviam contenderunt, et utrique oppido ac ceteris populis et civitatibus, quae fuerant seditionis participes, petentibus venia, qua conditione sibi Valdolitenses impetraverant, data; et sic populari tumultui finis ad Castellam factus, praeter Toletanos, qui seditionem pertinacius ac diutius aluerunt.

XXVIII. Ea tempestate Ludovicus, cui Maria Caroli Caesaris soror germana nupserat, Bohemiae Hungariaeque Regnum obtinebat. Huic Solimanus, qui non ita pridem in Turcarum imperium successerat, bellum intulit, et cum multis oppidis et castellis Hungariae Belgradum urbem, ejus Regni velut arcem ad Danubii et Savi confluentem, expugnavit, eamdemque opere munivit et valido praesidio firmavit.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER QUARTUS.

I. FRANCISCUS Gallorum Rex, de Hispanorum intestino bello cum cognovisset, horum discordiam absentiamque Caroli suam occasionem ratus, hanc sibi praetermittendam non putavit, si posset Navarram saltem recipere, eoque Henricum reducere, cognatum clientemque suum, filium Joannis Regis Navarrae, qui Joannes Julii Pontificis Maximi judicio et decreto, propterea quod schismaticis favisset, Regno privatus, armis vero Fernandi Catholici nostri Regis pulsus fuerat. Franciscus igitur, coacto exercitu peditum ex Vasconibus et Aquitanis octo circiter millium, equitum vero quadringentorum quinquaginta, cum hoc Asparrosum magnae virum auctoritatis, imperii summa delata, Pyrenaeum superare jubet et Navarram a praesidio vacuam occupare, nec ullam praeterea rei bene gerendae occasionem omittere: compertum enim habebat, Antonium Manricum Ducem Najarensem, qui pro Rege, ut supra demonstratum est, Navarram procurabat, deductum praesidium Inecho Castellae Comestabili, proceribusque auxilio adversus populares misisse.

II. Dux autem idem, ubi de Gallorum adventu cogno-

gnovit, suspectam habens Navarrorum inconstantiam, quorum plerosque rebus Gallicis et exacti Regis filio studere sciebat, Sagoviam ad praesides per equos dispositos proficiscitur, eosque de Gallorum adventu et Navarrae periculo certiores facit, rogatque et obtestatur, ut, quando ipse veteranarum cohortium praesidio eorum causa jussuque destitutus, Navarra discedere coactus fuisset, maturarent iidem exercitum conficere, Navarramque mittere, quo posset Gallis adventantibus obsisti. Praesides, nuntiis atque litteris in omnes Castellae partes citra Orospedae juga, Carpetanos a Celtiberis Arevacisque et Vettonibus dirimentia, et Navarrae propinquas regiones dimissis, delectus haberi jubent; ac primum omnium Michaël Ferrera praefectus arcis Pompelonensis, quem inter initia tumultus popularis Dux Najarensis curae et administrationi tormentorum praefecerat, et cum veteranis cohortibus auxilio proceribus miserat, Pompelonem properare et arcem praesidio firmare ac defendere jubetur. Dux autem ipse per paucos dies Sagoviae moratus, regreditur et ad Navarrete suae ditionis castellum, passuum octo millibus a Logrogno, consistit, quod oppidum est ad Iberi ripam in confinio Castellae et Navarrae proxime eum locum, ubi olim urbs Varia fuit.

III. Jam Galli, Pyrenaeo superato, Navarram invaserant, et cum cetera fere sine contentione, quocumque accessissent, tum ipsam Pompelonem urbem Regni caput occupaverant. Nam milites circiter septingenti, qui fuerant per oppida in praesidium dispositi, Gallorum multitudini se pares esse non posse intelligentes,

Lo-

Logrognum sese receperant. Michaël quoque Ferrera, haud diu sustentata oppugnatione, rebus desperatis, arcem Gallis dedidit, pactus modo sibi, suisque incolumitatem, facultatemque in Castellam cum signis militaribus explicatis transeundi.

IV. His successibus elati Galli, Logrognum oppugnare, et, si hoc quoque successerit, interiorem Castellam penetrare parant, hortantibus etiam ad hoc per nuntios et litteras Maria Pachieca, quam sublati mariti Joannis Padillae moeror exagitabat, et Antonio Episcopo Zamorensi, qui per litteras egisse non contentus, Navarram ipse adire constituit, ut commodius coram Gallos cohortaretur, et dissensionis Castellanorum adhuc in Carpetania vigentis certiores faceret, et auxiliorum certiore spe ipsorum animis injecta, ut Castellam invaderent, dubitantes forsitan impelleret: qui cum Gallorum castris appropinquaret, quamvis sine comitatu et vulgari veste indutus, quo falleret obvios, incederet, tamen in trajectu Irueguae Logrognum praeterfluentis fluminis agnitus est a nostris militibus, captusque et Navarrete delatus custodiae traditur; postea vero Symancas, ut in arce custodiretur, missus est.

V. Praesides Castellae, ut venientium Gallorum conatibus obsisterent (nec enim de ipsorum consilio Castellam invadendi dubitabatur) Petrum Velezium Guevaram, quem toti officio Logrognum defendendi praeesse voluerant, eo cum centum equitibus praemittunt. Quo paulo post Petrus Lassus Vega cum septuaginta, Franciscus Mexia cum quadraginta, Jacobus Florez Robles cum sexaginta equitibus affuerunt, et alii praeterea ex fi-

finitimis quotidie confluebant. Galli vero, quorum exercitus, Navarrorum auxiliis accedentibus, ad peditum quatuordecim millia et equites sexcentos pervenerat, Logrognum versus movent, inque nemus, quod Regium cognominatur, progressi, passuum octo millibus a Logrogno ad Iberum amnem castra ponunt, atque inde Logrognensem agrum incursionibus infestabant. Hinc oppido appropinquantes ad Franciscanorum coenobium tertio idus Junii consederunt, tormentisque dispositis, muros quatere coeperunt, oppidanis fortiter cum praesidio propugnantibus. Galli, desperata expugnatione, cum de adventu praesidum exercitusque cognovissent, discedentes Calagurrim versus processerunt, urbem nec loco satis, nec opere munitam; de qua proceribus deliberantibus, deseri placeret in magna militum paucitate, an cum periculo defendi, variantibusque sententiis, postremo tamen constitutum est, ut cum Beltrano Cueva Ducis Alburquerquii filio stirpis maximo, qui hujus sententiae in primis auctor fuerat, praesidium primo quoque tempore mitteretur. Is negotio libenter suscepto, cum mille veteranis militibus et equitibus ducentis eodem die vespere profectus, itinere nullam noctis partem intermisso, albente coelo Calagurrim pervenit, moeniumque infirmitate animadversa, ut hostem, qui in proximo consederat, oppugnatione deterreret, magno sclopetorum, tympanorum, tubarumque strepitu et clangore continuato, majoris etiam praesidii accedentis speciem praebuit.

VI. Asparrosus, cum de adventu ejus et inducto praesidio cognovisset, Calagurrim oppugnandi consilio de-

desistit, castraque movet. Beltranus ab Alfarensibus oppido suo, quod hostis petere videbatur, metuentibus, per litteras et nuntios, ut subsidio sibi veniret, exoratus est, et quo securioribus, nec opinantibus Gallis, qui medio itinere constiterant, transiret, multo jam die profectus; sextaque fere hora fervente sole (erat enim mensis Julius) castra praetergressus, nemine iter remorante, prius cum suis Alfarum intactus pervenit, quam plane hostes quid rei gereretur cognoscere, armaque ad pugnam expedire possent: qui nihil amplius morati et in Navarram interiorem parvis itineribus regressi, ad Thaebas, passuum citra Pompelonem octo millibus, castra posuerunt.

VII. Praesides autem imperatos milites, quorum undique manus ad ipsos confluebant, colligentes, in agrum Logrognensem progrediuntur, ac ut bellum in Navarra gerendum ab eo potissimum administrari videretur, quem Carolus ejus Regni procurationi praeesse voluerat, Ducem Najarensem copiis omnibus praeficiunt. Quae causa fuit, ut Petrus Velascus Farius Comes domum rediret, ne privatus bello interesset, qui nuper in exercitu summam imperii tenuisset. Ceterum Hadriano Cardinali ad Logrognum remanente, Comestabilis et Almirantus praesides non sibi ab exercitu discedendum, sed bellum communi consilio cum Duce Najarensi administrandum constituerunt, ad pontemque Reginae, quod castellum non procul a castris hostium aberat, celerius illorum opinione progressi consederunt, cum jam nostrorum exercitus ad peditum quindecim, equitum vero cataphractorum duo millia, et armaturae levioris mille perve-

venisset. Tertio die, qui fuit pridie Kalendas Julii, motis castris, ad Squirozium vicum inter hostium castra, Pompelonemque consistunt. Quo cognito, Asparrosus castra Thebis movet, acieque instructa Pompelonem versus hoc animo contendit, ut, si per hostes liceat, se in oppidum cum exercitu recipiat; sin lacessatur in via, praelium committere non recuset. Nostri vero, quibus parce commeatus et stipendia suppetebant, neutrum enim absente Carolo in illa rerum perturbatione, ac temporis brevitate satis provideri potuerat, nullam dimicandi moram, si facultas esset, sibi interponendam rati, ad Noajum vicum, qua iter Galli Pompelonem direxerant, procedunt, ne si in urbem illi sese recepissent, bellum cum magno rerum nostrarum dispendio atque periculo traheretur; ac se triplici acie instructa jam appropinquantibus opponunt, quarum prima Cantabrorum erat; altera Vaccaeorum et Celtiberorum, regionumque finitimarum, in qua Jacobus Henricus curabat; tertia militum veteranorum, quibus praeerat Gutierrus Quixada. Nam Comestabilis et Almirantus et Dux Najarensis nunc cum equitatu erant, qui paucis exceptis separatim constiterat, nunc extra ordinem, quae usui essent, imperando vagabantur.

VIII. Postquam intra teli jactum ventum est, Galli pugnam tormentis ineuntes, nonnullis prostratis, magnum terrorem nostris, praesertim nuper conscriptis, incusserunt (nam veterani interriti praelium iniere); ita ut Dux Najarensis, qui in acie prima versabatur, cum equitatus parte sub proximum collem ad vitanda tormentorum tela parumper declinare cogeretur; et acies

Cantabrorum gentis alioqui pugnacissimae, quam potissimum tormenta petebant, ordine quidem servato, pedem tamen referret. Quod Almirantus, vir statura brevi, sedmaximo tum animo, tum etiam consilio, animadvertens, equo admisso procurrit, magnaque voce, „*Quo tenditis*, inquit, *milites? Proh pudor et ignominia*, „*Hispaniaeque certa pernicies! Utrum vos, an hostem, quicum bellum geritis, ignoratis? Et hos Gallos esse nescitis* „*a nostrorum minore numero saepe devictos, atque concisos?* „*quique numquam antehac sine sua pernicie cum Hispanis* „*contenderunt? An vos uni omnium a virtute majorum degenerastis, qui vestra cunctatione et gloriam et rem Hispanam perditum itis? Revertimini per Deum immortalem, et* „*me duce, atque in acie prima dimicante, optima spe concepta, in hostem irruite.*"

IX. His dictis, militum confirmatis et accensis animis, ex equo descendere parantem centuriones prohibuerunt, clamantes: se non fugiendi gratia gradum referre, sed ut hostium tormentis, quibus multi nostrorum impune ac miserabiliter caderent, ipsi sua tormenta invehentes opponerent, et pari conditione dimicarent. Ad haec Almirantus, „*Non est*, inquit, *jam tor-* „*mentis opus, sed gladiis et hastis res cominus gerenda.*" Cantabrorum igitur acie conversa, seque in Gallos referente, ac ceteris nostris equitibus et peditibus undique, sed ante omnes veteranis cohortibus procurrentibus, praelium conseritur; hostilis equitatus magno impetu cum irruisset, ac per nostros irrupisset, tamen a majore nostrorum equitum numero, qui transvectos invaserant, circunventus, magna ex parte conci-

ci-

ciditur, cum interim ad hostilia tormenta, quae primum omnium expugnanda sibi nostri constituerant, pedestres copiae acriter undique dimicarent. Ceterum Galli diutius nostrorum impetum ferre nequeuntes, amissis tormentis, in fugam vertuntur. In eo praelio captus est Asparrosus ipse dux, in fuga vero Tornajus, qui proximum ab illo auctoritatis locum in exercitu Gallorum obtinebat.

X. Duobus exercitibus, populari et Gallico, qui pacem Hispaniae solicitabant, brevi tempore fusis atque deletis, nondum tamen Castellae quies reddita erat; adhuc enim Toletani tumultuabantur, addente animos magnitudine populi, atque urbis locique natura. Est enim Toletum totius Hispaniae natura munitissimum oppidum, quippe in loco edito, et magna ex parte praecipite, situm est, et undique fere cingente Tago; qua fluvius intermittit, muro firmissimo vallatur. Neque vero solum hac urbis munitione freti Toletani tumultuari non desistebant; sed etiam instigante Maria Pacheca illustri loco nata viragine, erat enim filia Inechi Mendozae Tendillae Comitis, quam amissi mariti Joannis Padillae et popularis calamitatis dolor exagitabat. Sed post digressum Joannis Riverae, de quo supra memoravimus, quem Fernandus Silva frater et multi viri nobiles, cognati alii, pars amici earumdemque partium, secuti fuerant, non nihil Toletani quieverant, belli exitum, quod justis exercitibus inter proceres et populares gerebatur, exspectantes, donec Antonius Acugna Episcopus Zamorensis, de quo supra demonstratum est, ex Vaccaeis, castrisque popularium Toletum, in

cujus pontificatum animum intenderat, ad oppidanorum animos majore furore concitandos pervenit, qui Toletanorum segnitie castigata, quod Antonium Zugnigam equitum Sancti Joannis praefectum, *Priorem* vulgo dictum, impune vagari, et vicinos et amicos populos exagitare et invitis leges imponere paterentur, negotium sibi deposcit illius conatus cohibendi; civitateque jubente, cum Toletanorum manu Iepes oppidum, unde illum lacessendi reprimendique facultas fore videbatur, contendit.

XI. Antonius enim Zugniga initio ad se suaque tuendum, et clientes, quos non paucos habebat in Carpetania, in officio continendos, praesidio coacto cum finitimis, qui Ocagnam, Romerale, Guardiam et proxima loca tenent, tumultuantibus bellum gesserat, et multis magnisque incommodis affecerat; quippe eo tempore Morae, qui vicus magnus est, et arce munitus in agro Toletano, casus miserabilis accidit. Nam cum Morenses initio dissensionum consilium Toletanorum probarent, sequerenturque, tamen periculi denuntiatione et Antonii Zugniguae auctoritate permoti, in procerum Regiamque fidem, dato jurejurando, redire coacti sunt; sed posteaquam ipsos nec partium studium, nec jurisjurandi religio satis in officio continebat, missa in eos est manus militaris, quae oppugnando, vel territando, furentes ad sanitatem revocaret. Hujus adventu cognito, Morenses mulieribus, et inutilibus per aetatem ad pugnam viris cum multa veste ac supellectile in fanum conjectis, ceteri, sumtis armis, ad fossas, quas transversas ad capita viarum duxe-

xerant, constiterunt. Sed adversariorum impetum ferre nequeuntes, dissipati diffugiunt, parsque in fanum, de quo diximus, sese receperunt: arx enim non erat in ipsorum, sed in praefecti religiosi equitis ab eis dissentientis potestate. Adversarii vero irrumpentes ad praedam conversi, vacuasque domos offendentes, ad fanum, quo sua fere omnia Morenses contulisse reperiebant, concurrunt, obsidentque, et nisi deditio fiat, oppugnare parant; de cujus deditionis conditionibus dum per nuntios ageretur, scloppeti telo ab obsessis emisso unus obsidentium occiditur; quo ceteri irritati et accensi arida materia admota, subjectoque igne fores incendunt, ut eo terrore perculsi, sine pactione sese illi in potestatem permitterent. Sed foribus incensis, proxima materia impositi tabulati, quam *tribunam* nostri vocant, ignem celerrime concepit, unde in tectum, reliquamque materiam fuso incendio templum omne conflagravit; ita cum ab ea janua ignis obstaret, et essent ceterae valide ad obsistendum obtrusae, nec uspiam exitus pateret, omnes fere conclusi, numero supra quatuor millia, fumo et igne perierunt.

XII. Hac agri Toletani parte pacata, Antonius, Ocagnam victor, favente nobilitate, ingressus fuerat, ibique cum praesidio se continebat, donec Episcopus Zamorensis Iepes, quod oppidum abest ab Ocagna octo circiter millia passuum, cum Toletana manu pervenit. Tum vero incursiones utrinque fieri coeptae, et parva praelia vario eventu fiebant; ceterum de praelio ad Villalare, victisque popularibus accepto nuntio, Episcopus Toletum sese recipit, cum paucis ante diebus ad

ad eosdem Antonium Zugnigam et Joannem Riveram a Regni praesidibus summa belli in Carpetania gerendi delata fuisset, ut Joannes Rivera citra, Antonius ultra Tagum ad meridiem militare imperium obtineret.

XIII. Toletani posteaquam de popularium mala pugna et Joannis Padillae, ceterorumque ducum casu nuntiatum est, nihilo magis ad sanitatem rediere, ac multo etiam magis tumultuabantur. Per id tempus Jacobus Lupus Pachecus Scalonae Princeps, qui Villenae Marchio inani titulo dicebatur, cum cognomine filio, Sancti Stephani Comite, itemque Jacobus Cardenas Granatae praefectus (*Adelantatum* vulgo dicunt) qui postea Maquedae Ducis titulo fuit auctus, Toletum, ut vicini, atque adeo cives Toletani et amici, pacificandi gratia venerunt; sed Toletani, dolum metuentes, coacta manu, Granatae praefectum adorti, comitatum ejus armis et centum circiter triginta equis exuerunt, atque ipsum urbe excedere coëgerunt. Tum vix a Pacheco propter ejus auctoritatem abstinentes, Comitem filium in popularium verba jurare compulerunt; deinde Mariam Pachecam furoris altricem atque ducem, ex domo quam habitabat, in sella, ut erat post mariti mortem atrata, sustulerunt et in arcem transportarunt.

XIV. Episcopus Zamorensis ad ingressum Jacobi Pacheci Toleto discesserat, ut in Navarram, Gallorumque castra, ut supra docuimus, opem oratum contenderet. Pachecus igitur ne frustra niteretur, desperata Toletanorum sanitate, Scalonam, unde venerat, revertitur, ac omnes fere cives, qui in aliquo numero et honore erant, discesserunt. Itaque omnia vulgi libidine et

et temeritate agitabantur, nec tamen ea aestate quidquam memorabile gestum, nondum obsidionem magnopere urgentibus adversariis. Quorum Antonius Zugniga cum peditum tribus millibus quingentis et equitibus ducentis ad Iepes, Joannes Rivera cum minore manu ad Illescas diversi consederant, et utrinque in agrum Toletanum incursiones faciebant et obsidionem acrius urgebant, praesertim hyeme appetente; quo tempore Toletani, cum re frumentaria ceteroque commeatu premerentur, cibaria cum majore suo periculo ex propinquis vicis petere cogebantur. Cujus rei gratia, cum egressi numero mille circiter ducenti per viam sacram progrederentur, Joannes Rivera cum equitibus centum viginti, quorum bona pars erant viri nobiles, et expeditis sagittariis, scloppetariisque ducentis veteranis militibus ex Baetica, Lucenaque oppido, potissimum ex iis qui sub Ludovici Camarensis Marchionis imperio ad Oranum militaverant, fit venientibus obviam ad Olías, qui vicus abest a Toleto octo millia passuum. Nam cum pridie per exploratores de hoc Toletanorum consilio comperisset, reliqua manu, quae peditum erat ad mille quingentorum, subsequi jussa, cum equitatu et paucis, quos diximus, militibus, nocte processerat et opportuno loco constiterat.

XV. His conspectis, Toletani non tam ipsorum, qui aderant, timore deterriti, quam quod nuntium acceperant appropinquare subsequentem peditatum, retrocedere, servato tamen ordine, coeperunt, extremos adversariis equitibus carpentibus, et jaculatoribus ab utroque latere ex vineis impune agmen impetentibus et magnum de-

detrimentum inferentibus. Hoc Toletum nuntiato, mille homines auxilio suis oppidani summittunt, quibus percunctantibus, fugientes Toletani timoris causam non tam in urgentes nunc hostes, quam in magnam subsequentem, et jam appropinquantem multitudinem conferebant, quare multo major trepidatio per agmen exoritur. Hoc animadverso, Joannes Rivera, Fernandusque Silva fratres haud sibi cunctandum esse constituerunt, quin, equitatu coacto, simul omnes magno impetu trepidantes adorirentur. Equitibus igitur irruentibus a tergo et jaculatoribus uno tempore ab utroque latere vehementius urgentibus, effusi jam citraque ordinem ac imperium oppidani fugere coeperunt. In ea fuga quingenti amplius eorum desiderati, et in his Chaves quidam aurifex, qui virtutis opinione magnam inter ipsos auctoritatem obtinebat, quique diebus superioribus Toleto cum trecentis hominibus egressus, ad Mascaraque vicum sexdecim passuum millia progressus, Alfonsum Carvajalem, qui ad eum vicum stativa cum centum equitibus habebat, nihil tale metuentem adortus, captum cum equitatu in urbem deduxerat.

XVI. Paucis diebus interjectis, Antonius Zugniga, cum peditum sex circiter millibus et equitibus quadringentis, ex Iepibus movet, multis viris nobilibus assectantibus; quorum principem locum obtinebant Petrus Giron Guzmanus, frater Ducis Methymnae Sidoniae, Jacobus Carvajalis, Gutierrus Lupus frater Joannis Padillae, Petrus Nugnez Ferrera filius nothus Alfonsi Aguilarii fratris Gonsali magni. Antonius igitur in Toleti suburbana cum suis progressus, ad Coenobium, *Syslam*

lam dictum, castra posuit, ad locum usque quod *Saxum Regis Mauri* dicitur pertinentia; ex quo loco tormentorum telis oppidanos infestabat, et viis omnibus obsessis ab ea parte fluminis frumentationibus et pabulationibus prohibebat.

XVII. His difficultatibus affecti Toletani, cum nuntiatum esset magnum pecudis numerum ab adversariis compulsum paulo supra urbem ab eadem fluminis parte pabulari, per aversam egressi numero ad mille quingenti, Tagum, qui propter magnas hoc anno consecutas siccitates vado transiri poterat, ad locum, cui nomen est Velilla, trajecerunt, ac pecus agere, in oppidoque compellere coeperunt. Hujus rei factus certior Antonius Zugniga cum equitatu et bona parte copiarum oppidanis occurrit; sed hi non solum occurrentium impetum fortiter sustinuerunt, sed ut pedem etiam referrent, coëgerunt. Hoc in urbem nuntiato oppidani sublati sese qua proximum fuit frequentes effundunt, ad suisque opem ferendam alii, pars ad oppugnandum castra, defensoribus magnopere nudata, contendunt; quare timor, et trepidatio adversariorum animos tantopere incessit, ut undique fuga fieret, ipseque dux cum equitatu in castra primum rejiceretur, deinde ubi suos passim diffugientes cernit, sese fugae mandaret, donec a Petro Nugne, quem supra nominavi, revocatus est.

XVIII. Hic enim vir strenuus et fortis, qui centum equites ducebat, cum, sagitta transfixo brachio, curandi gratia ex praelio excedens in Syslam commodum pervenisset, accepto suorum fugae nuntio, nec spatio sa-

gittam, quae magno erat ad pugnam impedimento, educendi dato, abscindi eam ex utraque parte jubet, ac vulnere raptim obligato, equo conscenso se proripit, ducem voce atque oculis inquirens. Quem ubi fugientem prospexit, advolat, clamansque, et equitatum ac ducem, cum prope fuit, appellans: „Quo tenditis, inquit, viri nobiles? Tuque, dux inclite, quo pergis? „Non est ista nec ad victoriam, nec ad laudem via. „Revertere per Deum immortalem, tuaque praesentia „nondum plane dissipatos tuos confirma, et adversarios „ad castrorum praedam conversos, collectis tuis, invade. Facile, crede mihi, temere exsultantes, ac sine „imperio et ordine divagantes superabis.“

XIX. Quibus verbis et auctoritate viri facile revocatus Antonius, collectoque equitatu, cum quingentis veteranis militibus, qui locum non deseruerant, et nonnullis aliis in adversarios irruit, et pugna redintegrata eos, cum paulisper ad torrentem, qui Syslam praeterfluit, restitissent, terga vertere coëgit. Hoc praelio et fuga ex Toletanis trecenti circiter conciderunt, ac fere totidem capti, et in his Mojanus causidicus, cujus maxima tunc erat inter oppidanos bellicis etiam in rebus auctoritas; ex his alteris pauci desiderati. Petrus Cusmanus, dum cupidius fugientes insectatur, circumventus comprehensusque ab eis est, ac in urbem deductus.

XX. Hac accepta calamitate Toletani, jam suis rebus diffidentes, de pace, quam adhuc repudiaverant, cogitare, missisque legatis ad Antonium Zugnigam, deinde ad Regni Administratores, de pacis conditionibus

bus agere coeperunt, quas illi aequas et libenter tribuerunt. Earum summa fuit, ut Toletanis publice omnia superioris temporis errata, sine exceptione, nomine et auctoritate Regis condonarentur; iidem ex more magistratus acciperent, et imperata facerent; illud quoque nominatim adjectum, ut Joannis Padillae liberis paterna bona publico decreto confirmarentur. Igitur circa Novembris Kalendas, magistratibus acceptis, praefectoque urbis Gabriele Merino Archiepiscopo Barri, qui paulo post Episcopus Gienensis et Ecclesiae Romanae Cardinalis factus est, Maria Pacheca ex arce in domum soceri migravit, armaque publice sunt deposita, ac ex digressis civibus plerique redierunt. Plebs tamen turbulentorum hominum non ante Februarium mensem consequentis anni, et Mariae discessum, a novis consiliis et conventibus agitandis quievit; nec ipsa Maria, ut Toleto discederet, prius animum induxit, quam arma, quae domi habebat, magistratibus tradere coacta est, et sine satellitibus habitare jussa; tunc enim, suae videlicet saluti metuens, veste in speciem rusticae mulieris mutata, conscenso mulo, cum uno dumtaxat comite ante lucem urbe digressa in Pueblam Montis Albani ad Alfonsum Tellem, inde Scalonam ad Jacobum Pachecum, eidem oppido imperitantem, cognatos et affines, contendit; a quibus, ut se parum libenter, graviores scilicet inde molestias, et damna metuentibus, excipi videt, cum paucis comitibus in Portugalliam ire perrexit; ubi post aliquot annos vitam cum morte commutavit. Hac digressa, Joannes Rivera Toletum intravit, magistratuumque tum potentia, tum auctoritas in-

P 2 va-

valuit; ac de seditiosis quibusdam hominibus, qui civitatis pacem post acceptas conditiones solicitaverant, legitimo supplicio sumto, res Toletanae ad pristinum statum et tranquillitatem redierunt.

XXI. Interea Gallorum Rex, exercitu reparato, siqua ratione posset incommodum ad Navarram acceptum aliqua ex parte sarcire, his copiis Almirallium praefecit, et quid fieri vellet, ostendit. Hic, exercitu in Cantabriam inducto, Fonterabiam Hispanae ditionis oppidum in Oceani littore ad radices Pyrenaei montis obsidione cingit. Jacobus Vera praesidii praefectus, haud ita diu sustentata obsidione, posteaquam nec ab Hispaniae praesidibus, propter inopiam rei pecuniariae superioribus bellis per absentiam Caroli contractam, subsidium mittebatur, et commeatus pulvisque tormentarius parce suppetebat; oppidum his conditionibus dedidit, ut praesidiarii milites cum ipso praefecto armati, explicatisque signis militaribus, per media Gallorum castra discederent; oppidanis vero liberum esset sive manere cum suis quisque rebus, sive quocumque animus inclinaret, discedere mallent; cujus praefecti mollitiam animi, et calamitatum intolerantiam, oppidani postea cum lacrymis, et vicini Cantabri, *Guipuscoani* dicti, cum indignatione apud Comestabilem et Almirantum Castellae praesides ad Victoriam urbem (huc enim processerant) vehementer incusabant.

XXII. Praesides, cognita Fonterabiae deditione, ne latius id malum serperet, Beltranum Cuevam, quem bello Navarrico superiore egregia tum virtutis, tum etiam consilii documenta praebuisse docuimus, imperii

ad

ad eas regiones summam obtinere jubent, et cum peditatu equitatuque, qui ad Victoriam aderat, Sanctum Sebastianum properare, et id oppidum Guipuscoae Cantabricae provinciae primarium, quod mox Galli petituri putabantur, tueri. De hujus adventu Almirallius cum cognovisset, ulterius procedendum non putavit; sed firmo praesidio Fonterabia, vicinisque castellis munitis, domum revertitur. Hoc nuntiato, Castellae praesides suas etiam ipsi copias dimittere constituunt, praeter mille pedites, equitesque ducentos, centum cataphractos, totidem levioris armaturae, quo praesidio Beltranus Cueva Sanctum Sebastianum et circumjectam regionem obtineret, et a Gallorum incursionibus tueretur; quod ille munus, libenter susceptum, strenue ac diligenter administravit.

XXIII. Erat non procul a Fonterabia arx Beoviae dicta, quam Galli eodem tempore cum occupassent, praesidioque tenerent, quia tamen plus dispendii, quam commoditatis ad bellum gerendum habitura videbatur, demoliri constituerant. Hoc per exploratores perlato, Beltranus, qui arcem non spernendam putabat; quoniam ipse tertiana febricula laborabat, Ludovicum fratrem, cum milite praesidiario et tumultuaria manu properare jubet, et arcem, quae negligenter custodiebatur, tentare. Hoc ille diligenter administrato, arcem sine certamine per deditionem recepit; quo nuntio commoti Galli, et arcis, quam contemserant, desiderio incensi, tumultuario delectu manus cogunt, et Germanos mille quingentos, quos Almirallius discedens in confinio Regnorum collocaverat, ex praesidiis deducunt. Hoc cogni-

gnito, Ludovicus Cueva Beltranum certiorem facit, et sui ceterorumque praefectorum consilii esse docet, ut arx, quae sine magno praesidio, magnisque impensis defendi nequeat, solo aequetur, ne deserta hostibus usui esse possit. Beltranus, suorum improbato consilio, quippe quod Gallorum voluntati de arce subruenda suffragabatur, jam se morbo remittente, dehortantibus Medicis, tamen cum paucis accurrit, ut quae arci defendendae contra Gallorum impetum usui essent, imperaret; situque et loci natura considerata, praesidium relinquit, et Ochoa Assua praefecto, si lacessatur, sustinere, seque cum subsidio eo triduo exspectare jusso, in provinciam interiorem, Gallis adventantibus, revertitur, et popularibus ad arma vocatis, et in ea temporis angustia trecentorum circiter hominum coacta manu, cum hac praetereaque militibus septingentis et equitibus centum sexaginta in hostes movet; jam enim anno poene elapso, bona pars militum propter stipendium perparce suppeditatum discesserat.

XXIV. Galli arcis oppugnationem, tormentis admotis, urgebant numero millia circiter quinque, praeter Germanos, quos demonstravimus, et milites ex Fonterabiae praesidio, qui duo signa sequebantur. Beltranus igitur suos hortatus, ut sociis laborantibus subvenirent, et Gallorum multitudinem, quorum magnos exercitus saepe Hispani parva manu fudissent, contemnerent, prima vigilia profectus, per montem interjectum copias circumducit, ut collem, qui *Saxum Aldabae* dicitur, arci impendentem, pulsa Gallorum collectitia manu, quae ibi consederat, occuparet. Extrema quarta vigi-

gilia, cum hostibus appropinquaret, proxime collectam manum cum veteranis praefectis in hostes, qui collem tenebant, praemittit, cujus illi impetu, et subsequentis agminis timore in fugam conjiciuntur. Dux hostium, qui cum cetera manu, Germanisque, inferius ad tormenta constiterat, animadversa suorum fuga parumper moratus, si forte ea parte hostis ingrueret, Germanos, copiarum scilicet robur, montem subire, nostrisque obviam proficisci jubet. His magno impetu subeuntibus, Beltranus suos, qui fugientes insectabantur, revocat; acieque instructa, et fronte ex industria ad speciem paulo latius explicata, ceteros superne hostes invadere jubet, ipse cum equitatu eodem tempore a latere Germanos circa montis cacumen adoritur; verum Germani, labore subeundi fatigati, et majorum copiarum ingruentium falso timore conterriti (collis enim nostrorum postremos occultabat) animo deficere coeperunt; itaque primis, qui promtius depugnabant, concisis et postremis fugere incipientibus, ceteri facile funduntur, omnesque nostris insectantibus usque ad Beoviam flumen, quod Hispaniam a Gallia disterminat, effusa fuga deferuntur, eoque flumine alioquin vadoso, tunc aestu vicini maris, quoad Fonterabiam influit, intumescente, multi eorum, qui se illi commisere, perierunt. Hoc praelio ex nostris unus dumtaxat occidit, isque ore, quo Deo saepe maledixerat (nam et hoc notatum fuit) scloppeti telo accepto vulnere. Ex hostibus multi caesi, multi etiam capti, et in his plus sexcenti Germani, ex quibus centum nonaginta, qui graviter erant vulnerati, in cymbas impositos ad praefectum Fonte-

terabiae curandi gratia Beltranus misit; ceteri armis exuti, et ad praesides, qui adhuc Victoriae morabantur, rejecti sunt; ab his autem, ne si in Galliam reverterentur, in nostros arma resumerent, per Hispaniam victus quaerendi gratia penetrare jussi, sed ita, ut dispersi singuli, aut bini, certe non amplius deni, procederent.

XXV. Hac parta victoria, Beltranus praefectis virtutis gratia pro ipsius mediocritate donatis, finitimam Galliam incursionibus infestare, vias obsidere, commeatu Fonterabiam prohibere, praesertim post adventum trium millium Germanorum, quos ei Carolus Caesar, qui jam in Hispaniam ex Belgio redierat, cum Rocandulfo praefecto in supplementum miserat; naviculas enim complures, *zabras* patrio vocabulo dictas, quibus Galli repentinis incursionibus omnem illam maritimam oram infestabant, partim abductas, partim depressas sustulit, et Fonterabiam terrestri itinere praetergressus, Sanctum Joannem Lusium maritimum castellum invasit atque diripuit. Quibus rebus sublatus Bajonam quoque, custodibus per occulta colloquia, magnaque pollicita solicitatis, mari terraque oppugnare cogitabat, animos addente classe, quam Petrus Cueva Beltrani patruus, a Carolo missus, compulerat. Erant duae magnae catenae transversae in fluvio Bajonam alluente, quae aditum navium impediebant; ad has infringendas dentata ferramenta, aeneaeque bombardae, quibus illa erant ex naviculis contorquenda, ingeniose comparantur, et rebus omnibus expeditis, idonea rei gerendae tempestas exspectatur; quae ubi adesse visa est, Petrus Cueva, milite nau-

nautico et machinamentis impositis, naves solvit, eodemque tempore Beltranus cum terrestribus copiis proficiscitur; sed dum in flumen, directo cursu, classis secundo flatu ferretur, malacia primum consecuta, dein contrario vento flare incipiente, nostrorum conatus ad irritum reciderunt. Lautrecus enim, Mariscalisque Navarrae, qui tunc forte ad Bajonam aderant, inopinato periculo perculsi, omnem circa regionem ad arma vocaverant; itaque quatriduo armatorum hominum millia circiter quinque, et praeterea cataphracti equites ducenti Bajonam subsidii gratia confluxerunt. Quo animadverso, Beltranus, qui totidem diebus rei gerendae occasionem in castris exspectaverat, classe discedere jussa, suas ipse copias in Sanctum Sebastianum reduxit, quod oppidum novis operibus munire non desistebat.

XXVI. Diebus aliquot interjectis, Beltranus, Fonterabiam obsidere, et commeatibus terra marique prohibere coepit. Galli, ut suorum inopiae quoquomodo mederentur et virorum periculo consulerent, mulierculas, quae cibaria deportarent, submittebant; hae namque deprehensae a fortium virorum violentis manibus tutiores fore videbantur; sed huic malitiae facile obviam itum est, abscissis viginti circiter deprehensarum muliercularum auriculis, pro quibus singulis Beltranus praemium militibus binos regales nummos proposuerat. Viis igitur omnibus per terram obsessis, placuit Regi Gallo, ut commeatus, qui ut anguste provisus fuerat, perparce obsessis suppetebat, maritimo subsidio importaretur. Beltranus ubi de comparata classe cognovit, ipse quoque suam ad obsistendum paratam esse jubet; cujus rei gratia tormenta cum scloppetariis tripartito

sic collocavit, ut una pars ex idoneo loco jaculando obsessos frequentibus telis infestaret; duae diversae mari portuique incumberent, ad hostiles naves portu, si compellerentur, arcendas, aut etiam deprimendas. Ubi dies rei gerendae destinatus illuxit, Gallica classis ante portum conspecta; huic nostrae naves, quibus praeerat Alfonsus Mercadus, quamquam erant numero longe inferiores, ad fauces portus adversae constiterunt, ceteraque a nostris interim, ut constitutum erat, expediuntur.

XXVII. Ceterum Gallicae naves nihil his rebus deterritae, cum se aestus ex alto incitavisset, velis explicatis, non alieno vento in portum impelluntur; has nostrae venientes excipiunt, injectisque harpagonibus constrictas tanto impetu singulae singulas oppugnare coeperunt, ut brevi eas omnes in potestatem redigerent, nam reliquae naves hostiles, quibus se nulla nostrarum singulatim objecerat, non id curae fuit, ut sociis navibus laborantibus subvenirent, sed ut in portum interiorem prope urbis moenia cum commeatibus, ut fuerat imperatum, penetrarent; quae tamen praetereuntes non parum incommodi a nostris tormentis, et jaculatoribus acceperunt; eoque certamine, et nostrarum navium congressu retardatae nondum muris successerant, cum aestu minuente vadis subsederunt. Hoc animadvertens Beltranus delectos, praemioque adductos ex nauticis hominibus quosdam prima vigilia cymbis duabus mittit, a quibus injecto igne, naves omnes, quae duodecim, aut tredecim numero erant, conflagrarunt, simulque mortales omnes perierunt, iis exceptis, qui ad terram, qua proximum cuique fuit, enatarunt.

XXVIII. Hoc nuntio Franciscus Rex Galliae vehemen-

menter commotus, majore classe reparata, exercituque peditum decem et octo millium, cataphractorumque equitum septingentorum confecto, mari terraque subsidium obsessis Fonterabiam mittit; quod opportunissimo tempore pervenit, eodem scilicet die, quo praefectus ex pactis cum Beltrano, qui obsidionem vehementer urgebat, nisi subventum ei fuisset, urbem dediturus erat. Ita, cum tantae multitudini nostri, qui peditum quinque millium et septingentorum equitum numerum non explebant, pares esse non possent, Beltranus suas copias sine jactura, ordine servato, Sanctum Sebastianum reduxit.

XXIX. Eodem anno, qui fuit Christi millesimus quingentesimus vigesimus primus, dum Hispania tumultuatur, Italia quoque bello concussa est, et Franciscus Rex Gallorum, cui Veneti socia arma conjunxerant, Leonis Pontificis maximi et Caroli Caesaris communibus armis Principatu Mediolanensi dejectus, quem ante sex annos, superatis cruenta victoria ad Melignanum Helvetiis, occupaverat; ex his enim Maximiliani Sfortiae Mediolanensis ducis exercitus constabat, et Maximilianus ipse, desperatis rebus, Mediolanensem arcem, qua continebatur, seque Gallis dediderat, et ab iis fuerat in Galliam captivus ductus, et retinebatur etiam nunc jure quodcumque in Mediolanensem Principatum haberet, decedere, et Regi Francisco tradere coactus. Nec vero solum Insubrium fines Rex Franciscus, et oppida Mediolanensis ditionis occupaverat, sed Placentiam quoque et Parmam, quae licet antiquitus essent ditionis Mediolanensis, tunc tamen Romano Pontifici parebant, a Leone ANNO M. D.XXI.

ne per terrorem recente victoria injectum extorserat in colloquio Bononiensi ; quae causa fuit, ut id bellum non gravate Leo susciperet, a Carolo Caesare in foedus et amicitiam adversus Gallum ineundum solicitatus. Carolus enim jus suum persequebatur, iniquo animo ferens Principatum Mediolanensem sine auctoritate Imperatoria contra jus antiquum ab ipso Francisco occupatum, denique nullo a se non modo impetrato, sed ne petito quidem titulo, retineri.

XXX. His igitur de causis inter Leonem et Carolum foedus ac societas inita est, his potissimum legibus, ut bellum communibus armis et impensis gereretur; parta vero victoria, et pulsis ex Italia Gallis; Placentia et Parma ad Pontificem Romanum redirent; Principatui vero Mediolanensi Franciscus Sfortia Maximiliani frater minor natu praeficeretur, quippe is vim et insidias Galli metuens ad Carolum confugerat, ac ipsum, opem et fidem ejus implorans, assectabatur; cujus dignitati et commodis hoc libentius Pontifex favebat, quod eo Mediolanensibus imperitante, res Italicas tutiores quietioresque fore non dubitabat, hoc enim fere Romani Pontifices et ceteri Principes Italici, atque liberae civitates sibi omni ope providendum statuebant, ne cui Regi magnove Principi accessio fieret ducatus Mediolanensis, cujus ille occasione posset in reliquam Italiam atque ejus imperium animum intendere. Nec parvi momenti apud Leonem, Carolumque ea ratio fuit, quod Sfortiarum nomen in magna gratia esse apud omnes fere populares Mediolanensis ditionis constabat, quorum studium ad bellum conficiendum magno usui fore non du-

dubitabatur. Quibus rebus proponendis et commemorandis Hieronymus Moronus civis Mediolanensis, vir magni consilii et auctoritatis, per litteras et nuntios principes Italicos ad bellum pro Francisco Sfortia, cujus erat valde studiosus, suscipiendum e Tridento cohortabatur; Mediolanenses vero, ut a Rege Gallorum, cui Moronus erat infensus, deficerent, cunctis rationibus solicitabat.

XXXI. Ceterum his molitionibus per indicium enuntiatis, Thomas Fusius, qui pro fratre Odetho Lautreco rei Mediolanensis procuratore opera vicaria fungebatur, cum equitatu, in quo uno praesidium Mediolanense consistebat, Parmam contendit, huic enim urbi primum omnium metuebat; hinc Regium Lepidi, Pontificiae ditionis oppidum, quo Hieronymus Moronus ex Tridento, et quidam alii Mediolanenses exules confugerant, progressus per dolum id capere molitur; qui urbis praefecto ad colloquium vocato, dum ante portam institutum sermonem consulto trahit, multisque verbis de receptis exulibus expostulat, Alexander Tribultius, ut convenerat, cum turma Gallorum equitatus, oppidum invadere conatus est, simulans se a Guidone Rangonio Mutinensi Pontificii praesidii praefecto in auxilium oppidanis cum equitatu submitti; sed dolo cognito non modo repulsus a praesidio et oppidanis est, sed etiam letale vulnus accepit; Fusius vero, cum capi posset, tamen increpatus tantum a praefecto, et fraudis nomine graviter incusatus dimittitur. Hoc nuntio accepto, Pontifex non mediocriter commotus est, nec tamen moleste tulit oblatam sibi esse causam cur jure

Re-

Regem Gallum bello lacessere posse videretur, qui prior foedus Bononiae initum violasset; itaque deinde apertius ab eo et Caroli Caesaris administris de bello agitari coeptum.

XXXII. Rex Franciscus, ubi de consilio et apparatu Leonis et Caroli cognovit, Odethum Lautrecum ex ulteriore Gallia Mediolanum properare jubet, et simul conquisitores cum pecunia ad Helvetiorum octo millia conducendum mittit, ad quos item Leo Pontifex Ennium Verulanum Episcopum proficisci, et decem millium manum conducendam curare jubet, simulque Federicum Gonzagam Mantuae Principem, qui nunc Ducis, tunc Marchionis titulo civitati huic imperitabat, Italicorum peditum, equitumque delectum habere, eisdemque praeesse jussit. Interea Carolus Prospero Columnae scribit, ut Hispanorum cohortes, et equites cataphractos ex praesidiis Regni Neapolitani deducat, et cum his in Galliam Cisalpinam contendat, seque Federico eidem conjungat, et quid fieri velit, ostendit. Has copias Prosper ad fluvium Lentiam deduxerat, cum eodem quatuor Germanorum, Rhaetiorumque, quos *Gryssones* nunc appellant, duo millia, quae Carolus in supplementum mittebat, pervenerunt; quibus ille aucto exercitu Parmam, quam Fusius Federicusque Gonzaga Bozuli Princeps cum firmo praesidio obtinebant, oppugnare aggreditur; sed parte urbis expugnata, cum se Galli citra pontem, quo Parma fluvius cognominem urbem interfluens committitur, recepissent, et munitionibus firmavissent, summa Fernandi Avali Piscariae Marchionis, peditum Caesarianorum praefecti, contentione,

Par-

Parmam expugnari posse negantis, factum est ut oppugnatio omitteretur.

XXXIII. Quo cognito Leo Pontifex, tribus jam mensibus exactis, et magna vi pecuniarum consumta, nihil bello profectum esse moleste ferens, Julium Medicem Cardinalem patruelem suum ex urbe Florentia, cujus rempublicam administrabat, ad exercitum contendere jubet, et bellum cum ducibus pro sua fide atque prudentia administrare. Hic ubi in castra venit, haud sibi tempus in Parmae obsidione, aut oppugnatione terendum statuit, sed urbem ipsam Mediolanum Insubrium, ac totius Principatus velut caput, petendam; hac enim recepta, facile ceteras in ditionem potestatemque redigi posse confidebat. Quam sententiam ducibus omnibus approbantibus, Mediolanum movet, Helvetios jam domo cum Verulano Episcopo, de quo supra mentionem fecimus, et Matthaeo Sedunensi Cardinali profectos obiter excepturus. Erat autem Matthaeus natione Helvetius magna in suos gratia et auctoritate, cujus egregia opera Pontifex usus fuerat in hoc milite, praeter foedus, quod Rex Gallus cum ea gente percusserat, conducendo.

XXXIV. Odethus initio belli Mediolanum cum venisset, magnam vim pecuniarum mutui nomine per omnia oppida locupletibus imperavit, et coacto Helveticorum, Italicorumque magno peditatu, et Venetorum pro foedere et societate copiis adjunctis, per agrum Cremonensem Parmam contendit; sed hostium discessu cognito, revertens ad Rhobechum oppidum, et fluminis Olii ripam, nondum Helvetiis in Caesarianorum castra per-

du-

ductis, occasione pugnandi praeter ceterorum ducum sententiam omissa, copias Mediolanum properanter, inducit, et vastam urbem, quae praeter eam partem, qua oppidum olim, nondum maximis suburbiis adjunctis, constabat, sine muris est, fossa valloque munire et veteres aggeres reficere incipit; sed adventu Caesarianorum Veneti, qui aggeres reficiebant, repulsi, et ipsorum praefectus Theodorus captus. Hispani vero, ceteros antecedentes, vallum transcendunt, atque urbem invadunt.

XXXV Tunc vero Odethus Lautrecus, relicto in arce praesidio, copiisque per partem ab hostibus aversam eductis, Comum urbem contendit, et ibi quoque praesidium relinquens Cremonam pervenit, ubi sese ex fuga et timore cum recepisset et confirmasset, ad Federicum mittit, ut Parma decedens ad se quamprimum cum praesidio venire properaret. Federico Parma digresso, Robertus Sanseverinus, Leonis Pontificis affinis, cum praesidio successit; Placentia quoque facile in Pontificis potestatem reducta; nec fuit oppidum in finibus Mediolanensibus, quod Mediolano recepto non parvo negotio in Caesarianorum potestatem perveniret, praeter Cremonam, et eam regionem, quae lacum Verbanum attingit, et item Aronam, et Domusulam: arces tamen Mediolanensis, Novariensis, et Tritiensis in Gallorum potestate remanserunt.

XXXVI. Dum haec ad Insubres geruntur, inter victoriae gratulationem Romae Leo Pontifex naturae concessit: quo nuntio accepto Julius Medices, cumque eo Sedunensis, Cardinales, ad Pontificia comitia in urbem properanter reverterunt. Duces autem Caesariani Parman

et

et Placentiam Ecclesiae restituunt, et ceteris copiis dimissis, Hispanos Germanosque, praeter horum duo millia Principi Mantuano ad Placentiae praesidium attributa, in iis oppidis, quae Abduam flumen attingunt, hybernorum causa disponunt; utque Gallis, qui Cremonae continebantur, a Mediolano, siquid movissent, obsisterent, et, stipendio post Leonis obitum parce suppetente, impensis oppidanorum partitis domibus alerentur; quod quamquam graviter ferebant populares, hoc tamen dispendium atque molestiam ea spe solabantur, fore ut brevi pulsis omnino Gallis, quos summo odio ob superbum dominatum, et acerbas nummorum exactiones prosequebantur, Franciscus Sfortia succederet, vir de cujus humanitate, temperantia, et justitia magna erat hominum opinio, et cujus frater, paterque, et avus Mediolanensium imperium obtinuerant.

XXXVII. Rex Franciscus, ut bellum renovaret, magnum peditatum ex Helvetiis conductum in supplementum Odetho Lautreco mittit, qui singulari studio et diligentia res, quae bello usui forent, ad Cremonam comparabat; vicissimque Carolus per idem tempus Germanorum manum auxilio Prospero Columnae submittit, qui ad Mediolanum munitiones reficiendas curabat, et duplicem fossam duplicemque vallum, parvo intervallo relicto, ea ratione duxit, ut intus eruptiones ex arce cohiberentur, foris arceretur hostis, si vim facere aut opem obsessis ferre conaretur. Franciscus quoque Sfortia, quem Germanorum sex millia sequebantur, Mediolanum pervenit, singulari civitatis gratulatione receptus.

XXXVIII. Igitur Lautrecus, coactis copiis, adjunctaque Venetorum auxiliari manu, per Federicum Bozulum, et exercitus partem trans Ticinum missam, Viglevum oppidum parvo negotio recepit, et Novariam, quam Philippus Tornelius cum praesidio tenebat, expugnavit. Deinde ea manu cum Federico revocata, Papiam, quam Federicus Marchio et Antonius Leiva cum parvo praesidio obtinebant, copiis omnibus oppugnare parat. Hujus cognito consilio, Prosper ex Mediolano, ubi se exercitumque continebat, Papiensibus Hispanorum Corsicorumque delectam manum subsidio mittit, quorum tantum fuit studium, et animi robur, ut per agmen hostium appropinquantium irrumpentes, oppidum intrarent. Ceterum magno impetu Galli Papiam oppugnare, tormentisque quatere aggressi, bonam muri partem diruerunt; sed his detrimentis singulari defensorum diligentia occurebatur ducendis citra murum fossis exstruendisque vallis. Accidit quoque peropportune, ut multorum dierum continentes pluviae consequerentur, quae Gallorum administrationem tardarunt, eisdemque cibariorum inopiam magnam attulerunt, nec enim per terram viis aqua repletis, nec per redundantem Ticinum navibus in castra commeatus supportari poterant.

XXXIX. His difficultatibus Lautrecus affectus, et Prospero Mediolanum, ut suis auxilio veniret, copias deduxisse cognito, Papiae oppugnationem ac obsidionem omittens, castra movit, et Moguntiam exercitum perduxit. Huc ubi ventum est, Helvetii diuturniorem laborem inique ferentes, ut est Gallorum animus ad perferendas calamitates, prout Caesar saepius expertus conscri-

scripsit, mollis ac minime resistens, missionem a Lautreco efflagitare coeperunt, ita tamen ut si vellet hostes praelio lacessere, atque ea ratione belli fortunam experiri, libenter se vel iniquo loco pugnam inituros confirmarent; quos ille postquam ab instituto revocare nulla ratione valet, ne discessu Helvetiorum, in quibus robur consistebat, pugnae fortuna non tentata exercitus dilaberetur, statuit praelium vel iniquo loco committere, et castra hostium, quae Prosper Columna ad fundum, praetoriumque Bicocham posuerat tribus a Mediolano passuum millibus, intra fossas, quibus praealtis fundus ille muniebatur, oppugnare.

XL. Lautrecus igitur suos pridie multis verbis ad praelium, et castra hostium oppugnanda cohortatus, ipsorumque virtute omnium quidem, sed maxime Helvetiorum laudata; vicissimque hostium viribus et animis extenuatis, Moguntia digreditur; et acie instructa, in castra Caesarianorum contendit. Prosper per indicium, et exploratores cum de Lautreci consilio cognovisset, vehementer delectatus est, quod eum videret ad iniquam pugnandi conditionem necessario descendere, suosque et ipse bono animo ad castra defendenda paratos esse jubet, et Hieronymum Moronum, qui missus a Francisco Sfortia Duce tunc ad se de re communi deliberandi gratia venerat, Sfortiae renuntiare jubet, ut oppidanos ad arma vocet, et quid fieri velit, ostendit.

XLI. Jussis igitur Sfortia popularibus omnibus arma sumere, ceteros urbis praesidio ad aggeres relinquens, peditum armatorum sex millia, et item quadringentos equites educit; cum his ad Bicocham in via,

quae ducit Mediolanum, consistit. Lautrecus copiis omnibus, quarum prima maximaque acies Helvetiorum erat, progressus, dispositis tormentis, castra eminus oppugnare aggreditur. Caesariani ad arma celeriter concurrunt, et tormentis ipsi nihilo segnius rem gerunt. Tunc Helvetii suo more ad hostilia tormenta occupanda concurrunt; sed dum ad fossas haerent, progredi nequeuntes, frequentes cadunt Caesarianorum telis, praesertim Hispanorum scloppetis, quo genere teli nostri homines, ut scientissime, sic libenter magna ex parte in bellis Italicis utebantur, ut juxta essent hostibus terrori cum eminus dimicarent, et cum res gladiis cominus gereretur; quibus gladiis caesim punctimque feriendo, ceteris fere nationibus Hispanum militem praestare constat.

XLII. Inter haec Lautrecus ad partem dextram cum equitatu progressus, turmalibus suis insignia Gallica, hoc est albas cruces, rubris, quibus insigniebantur Caesariani, mutare praecipit, ut hac ratione fallentes, in castra hostium irreperent; sed dolo celeriter cognito, Prosper herbarum manipulis suos insigniri jubet; et sic occursum hostili fraudi, et Lautrecus hac quoque parte repulsus, ut sinistra Fusius frater, qui cum trecentis equitibus, et peditum manu invehebatur, qua parte Sfortia cum Mediolanensibus constiterat. Sic undique Galli magno cum detrimento rejecti pedem retulerunt, sed ordine servato, et tormenta retrahentes, nec insequentibus Caesarianis. Etenim Prosper plenam victoriam sanguine suorum quaerere nolebat, qua se paulo post Helvetiorum discessu, et exercitus dissolutione, po-

ti-

titurum non dubitabat; quod consilium eventus comprobavit.

XLIII. Helvetiis nulla interposita mora domum digressis, Lautrecus Laudem Pompejam, Pisleonem et Cremonam praesidiis firmare, dum exercitus repararetur, constituit; sed Laudem Hispanorum manus a Prospero festinare jussa parvo negotio recipit, quippe ab his per scalas appositas conscenso muro, Galli, qui erant in praesidio, deserto oppido se fugae mandarunt, bonaque pars, amissis impedimentis, caesa captaque, et oppidum direptum. Pisleonenses autem paucis post diebus admoto exercitu deditionem faciunt. Ita Lautrecus, rebus paene desperatis, tradita Thomae fratri imperii summa, ipse in Transalpinam Galliam ad Regem, ut novum exercitum mitteret, cohortandum proficiscitur. Thomas cum firmo praesidio Cremonam, quam potissimum tueri constituerat, sese recepit; sed Prospero, qui oppugnandi gratia copias omnes induxerat, periculum denuntiante, ac ne ceteris amissis sine auxilii spe discrimen oppugnationis temere experiri vellet, per caduceatores admonente, et ad pacem invitante, in has conditiones descendit, ut induciae fierent quadraginta dierum, quibus nisi exercitus a Gallia tam validus auxilio mitteretur, ut Caesarianis invitis Padum trajiceret, vel oppidum aliquod Mediolanensis ditionis praesidio firmatum expugnaret, non Cremonam tantum Caesarianis traderet, sed quidquid in finibus Mediolanensibus Gallico praesidio teneretur, praeter Mediolanensem, Cremonensem, et Novariensem arces; ipse vero, praesidiumque, cum rebus suis omnibus, vexillis explicatis, dis-

discedere, domumque redire permitteretur. Haec omnia obsidibus a Gallo traditis, et data acceptaque fide, et jurejurando firmata sunt, et utrinque captivi (nam hoc quoque fuerat in conditionibus) redditi.

XLIV. Hinc movens Prosper exercitum in agrum Genuensem hoc animo inducit, ut Genua, quae in duas factiones, Adornorum, et Fregosorum scissa erat, Octavianum Fregosum suarum partium principem, et Gallicarum studiosum, depelleret, hujus enim arbitrio tunc res Genuensis agitabatur; et Antoniotum, Hieronymumque Adornos fratres, hujus factionis principes, qui Caroli fidem sequebantur, exsules in patriam reduceret. Octavianus, cognito Prosperi consilio, ad Regem Gallorum auxilium adversus Caesarianos postulatum mittit; ipse interim duorum Italicorum millium tumultuaria manu, et amicorum, ac suae factionis hominum praesidio seque urbemque munivit. Rex quamquam in confidendi exercitus, et suis laborantibus ad Insubres auxilio submittendi curam tota mente et animo insistebat, tamen ne amici postulata, precesque in ea rerum iniquitate contemnere videretur, Petrum Navarrum, strenuum Hispani generis virum et rei militaris peritissimum, cum duabus navibus onerariis, probe armis, atque viris instructis, subsidio mittit.

XLV. Prosper in Genuae conspectum progressus, exercitum in duas partes distribuit, ut Fernandus Avalus Marchio Piscariae, peditum Hispanorum praefectus, cum ea manu Italicisque militibus ab occasu urbem oppugnare aggrederetur; ipse cum Germanis, et equitatu ad alteram partem circumjectis, occasionem observaret;

ret; sed tormentis dispositis, et rebus omnibus ad oppugnationem comparatis, Marchio simul tormentorum telis murum concuti jubet, simul caduceatorem oppidanis denuntiatum mittit, ut nisi vellent hostilia pati, ejecto Gallico praesidio, Antoniotum Adornum in urbem pro Duce reciperent (sic enim Genuenses praefectum summumque magistratum appellabant) ac fidem et amicitiam Caroli Caesaris sequerentur, conditiones aequas, et quae civitatis libertati non officerent, accepturi. Haec denuntiatio plerisque oppidanorum, validi et victoris exercitus metu perterritis, haud contemnenda videbatur, sed ut omnia paucorum ex Fregosis arbitrio gerebantur, legatus ab eis in castra nomine civitatis Benedictus Vivaldus mittitur, ut de pacis conditionibus cum Marchione transigeret, qui dum tempus in castris paciscendo terit, conscensa Hispani occupataque turri, quam magna ex parte tormentis fuerant demoliti, foratoque proximo muro, qui et ipse concussus dilabebatur, aditum sibi in urbem aperuerunt, et defensoribus negligenter agentibus, nec admodum propugnantibus, irrumpere coeperunt.

XLVI. Hoc ubi nuntiatum, Marchio, dimisso colloquio, in eum locum, quo jam undique concursus fiebat, properavit, et latius aditu patefacto, primisque militibus subsistere jussis, atque aliis intromissis, omnes ordine, pedetentimque procedere, hostemque propellere imperat, donec resistente nemine portae reclusae sunt, admissique Germani. Tunc vero militibus permissa praeda, passim dissipantur, urbemque diripiunt, sic tamen, ut Ducis Columnae imperio, edictoque a capiendis civi-

vi-

vibus abstinerent cetera praeda contenti, quae magna fuit ex urbe opulentissima, multo major futura, nisi postridie Dux idem, misertus civitatis, militibus finem direptioni facere, ac urbe decedere imperasset. Ceterum Octavianus Fregosus, et Petrus Navarrus capti, Neapolimque, ut in arce custodirentur, missi; Antoniotus autem Adornus Dux fit, civitatique praeficitur.

XLVII. Interea Rex Gallus, exercitu reparato, huic Almirallium cum summa imperii praeficit, et in Italiam properare, et cum suis laborantibus opem ferre, tum ab obsidione Genuae, quam diuturnam fore putabat, Caesarianos avertere jubet. Hoc cum esset nuntiatum, jamque Gallos Alpes transcendisse constaret; Columna copias in Astensem agrum, qua iter hostibus fore cognoverat, ut venientibus occurreret, induxit; Galli in vicum ejusdem agri, cui nomen est *Villanova*, progressi consedere, sed cognito Genuensium casu, et Cremonae deditione, difficultatibus deterriti, re infecta, ac ne tentata quidem, domum jussu Regis, quem de rebus omnibus certiorem fecerant, revertuntur. Nam Thomas Fusius, elapsis induciarum quadraginta diebus, Cremonam et cetera, quae in potestate Gallorum erant, praeter arces exceptas ex pactis, tradiderat, ac in potestatem Caesarianorum permiserat, ipse cum Gallicis praesidiis rebusque suis omnibus decesserat.

XLVIII. Pulsis Italia Gallis, ea cura potissimum Prosperum Columnam solicitabat, qua ratione posset in magna pecuniarum inopia exercitus, solutis emeritis stipendiis, ali. Igitur consilio cum praefectis communicato, Germanos Italosque milites, qui facile possent per

no-

novum delectum, si res posceret, revocari, dimitti placuit, Hispanis dumtaxat retentis, qui praesidio essent urbibus receptis, et arces, quae in potestate Gallorum relictae fuerant, obsiderent. Ceterum Joannes Emanuel Caroli Caesaris legatus, qui Romae hoc munere apud Pontificem Maximum fungebatur, et Carolus Lanojus, qui pro Rege rem Neapolitanam procurabat, inter se collocuti, consiliisque communicatis, optimum factu esse constituunt, ut a populis Italicis, ob continuatas Caesarianorum victorias perterritis, suisque rebus metuentibus, et quibus Gallos Italiam prohiberi bono esse videri volebant, stipendium exigeretur ad victorem exercitum alendum. Itaque Florentinis, Senensibus, Genuensibus, Lucensibusque liberis civitatibus, ac Duci Mediolanensi, recusare imperium non audentibus, pro cujusque facultatibus imperata sunt centum et quadraginta millia nummorum aureorum, quos *ducatos* appellant, paulo minus drachmae ponderis.

XLIX. Carolus Caesar, factus Imperator Romanorum hujus nominis Quintus, ut erat Hispanorum Rex ejusdem nominis Primus, mense Julio, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus vigesimus secundus, ANN. M. D.XXII.
ex Belgio in Hispaniam revertitur; cognitaque causa popularis seditionis, ceteris data venia, homines ad ducentos et septuaginta, quos principes tumultus auctoresque fuisse compererat, nominatim laesae majestatis condemnavit, sententia Valdoliti Kalend. Novembris pro suggesto promulgata; sed damnatorum pars comprehensa capite poenas luit, plures fuga discrimen vitaverunt, quorum nonnulli postea aut ipsi, aut eorum fi-

lii tum precibus, tum pecunia culpam, publicataque patrimonia redemerunt. Comes Salvaterrae, extremum auxilium ponens in Caroli Caesaris clementia, ad ipsum Burgos ex Portugallia, quo se receperat, pervenit, ejusque misericordiam imploravit; cujus imprudentiam Carolus sese mirari confirmans, ipsum in arcem Burgensem custodiae, dum ejus causa cognosceretur, tradi jubet. Sed paucis post diebus dolore animi morboque confectus in custodia mortuus est.

L. Per idem fere tempus in Baetica regio Granatensis, sed Almeria potissimum ingenti terraemotu concussa est, quo templa, privataeque domus complures corruere, multique mortales oppressi fuerunt. Ad exitum hujus anni Solymanus Turcarum Princeps Rhodum recepit, religiosis militibus Sancti Joannis cognominatis, qui eam insulam jam pridem obtinebant, post longam et fortissime sustentatam obsidionem dedentibus, postquam a Principibus Christianis inter se dissidentibus nihil subsidii mittebatur, ac ne spes quidem ulla certa ostendebatur mittendi.



JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER QUINTUS.

I. EA, quae secuta est, aestate, qui fuit annus Christi ANN. M. D.XXIII. millesimus quingentesimus vigesimus tertius, Carolus cum populo Veneto amicitiam, bellique societatem inivit, quae his potissimum conditionibus convenit, ut peditum sex millium, equitum vero mille ducentorum auxilio alter alterum juvaret, si quis eorum in Italia bello foret lacessitus. Arx quoque Mediolanensis per deditionem in Francisci Sfortiae, Caesarianorumque potestatem pervenit, custodibus partim morbo absumtis, partim morae taedio, inopiaque cibariorum adactis. Per id tempus Romae Ludovicus Corduba Suesanus Dux, Caroli Caesaris vicem in Italia gerentis titulo, ejusdem legatione apud Adrianum Sextum Pontificem Maximum fungebatur. Qui cum religiosum Pontificem, et a bellis abhorrentem, frustra multis viis, precibusque fuisset adortus, ut cum Carolo Caesare belli societatem iniret; tandem justitiae, ac honestatis specie quadam expugnavit, dum societatem ejus non jam ad bellum gerendum, sed ad tuendam pacem se Caroli Caesaris nomine petere dictitaret. Impetrat igitur ab eo, ut societatem cum

Carolo in eos dumtaxat coiret, qui pacem tranquillitatemque Italiae solicitarent; eoque nomine foedus percussum est, non solum inter Adrianum Pontificem Maximum et Carolum Caesarem, sed etiam Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem, item Florentinos, Genuenses, Senenses atque Lucenses liberas civitates, traditaque Prospero Columnae summa belli, si forte exsisteret, administrandi.

II. Quae omnia quamquam in se comparari Rex Gallorum intelligebat, non tamen est deterritus, quo minus bellum in Italia summis viribus renovaret instrueretque, ingenti vi pecuniarum cunctis ordinibus per Galliam etiam Clericis imperata. Confecto igitur exercitu peditum triginta millium, et equitum duorum, cum totidem hippotoxotis, hunc cum imperii summa in Italiam ducendum Guilielmo Gomphierio tradidit, quem Galli a magistratu maritimo, cui praeerat, *Almirallium*, id est maris praefectum nuncupabant. Hic, nemine iter vel impediente, vel remorante, ad Ticinum usque progreditur, ad cujus fluminis ripam alteram Columna cum Hispanorum quatuor millibus, totidemque Germanis et omni equitatu consederat; sed Prosper se hoste numero militum longe inferiorem esse animadvertens, optimum factu esse constituit, ut conquisitoribus ad conducendum militem Italicum in omnes partes dimissis Papiam Cremonamque valido praesidio firmaret, ipse cum reliquo exercitu Mediolanum se reciperet, atque urbem caput ejus Principatus custodiret. Nam si vim hostium ab aliis oppidis arcere nequiret, tamen his tribus retentis, facile posse amissa recuperari confidebat.

An-

III. Antonium igitur Leivam, cum valido praesidio, Papiam properare jubet, Cremonam Italicorum militum ad tria millia et quingentos cum Francisco Salomone aliisque centurionibus mittit, qui oppidum cum Maino ejusdem praefecto custodirent, ipse cum reliquis copiis Mediolanum contendit. Almirallius dum suos colligit, et eos, qui intervallo sequebantur, operitur, rei bene gerendae occasionem amittit; itaque sero Mediolano exercitum admovit, ac juxta viam, quae ducit Laudem Pompejam, prope urbem oppugnandi gratia castra posuit. Sed Italicorum novo delectu in dies augescere intra urbem hostilem numerum, et oppidanorum in Franciscum Sfortiam Caesarianosque magnum esse studium atque consensum per exploratores certior factus, partitis copiis oppida, quae infirmiore praesidio tenebantur, oppugnare decrevit. Itaque Petrus Bajardus, cui negotium datum, et peditum octo millia cum bona parte equitatus attributa, cum alia oppida a Caesarianis deserta, tum in primis Laudem et Alexandriam occupavit, impositisque praesidiis flumen Abduam ponte commisit; trajectisque copiis, et adjuncta quatuor millium Italicorum manu, quam Rentius Cerrus Ursinus in Carpensibus Ferrariensibusque finibus confectam ducebat, Cremonam contendit, obsessamque magno impetu oppugnare aggreditur, triduoque tormentis murum concussit, ac diruta bona parte aditum ad irrumpendum aperuit; sed magna tempestate repente exorta, et pluviis continuatis, oppugnatio irruptioque Gallorum impedita est, et spatium Caesarianis diruta reficiendi, et se novis munitionibus tegendi datum, simulque

que magnis difficultatibus obsidentes affecti, obsessis itineribus, interclusisque commeatibus, quos ab arce, quae pro Gallis stabat, petere cogebantur, desperata Cremonae expugnatione Almirallius suos inde, ut arctius Mediolanum obsideret, revocavit, ad Moguntiamque considere jussit, ut ex diversis partibus Mediolanum urgeret, et commeatibus intercluderet. Prosper vicissim Marchioni Mantuano, qui equites quingentos Pontificio stipendio militantes ducebat, scribit, ut se Papiam cum equitatu conferret, atque inde incursionibus quotidianis vias omnes redderet infestas, et hostem, quoad fieri posset, commeatibus prohiberet.

IV. Per id tempus Fernandus Alarco, qui postea factus fuit a Carolo Caesare Marchio Vallis Caecilianae, vir magni consilii, et laude bellica clarus, e Calabria Mediolanum venerat jussu Caesaris evocatus, ut in locum Fernandi Avali Piscariae Marchionis succederet. Hic enim, ne sub imperio Prosperi Columnae, a quo animum gerebat alienum, militaret, ad Carolum in Hispaniam se superiore anno contulerat. Prosper autem, cum per eos dies caepisset graviter aegrotare, summam imperii Alarconi tradidit. Hic, ut hostem liberius vagantem et propius urbe succedentem longius submoveret, contextis, adjunctisque trabibus, et multa congesta terra aggerem excitavit, ibique tormenta collocavit; unde hostilia castra crebris telis oppugnari coepta, simulque viae a Principe Mantuano quotidie infestiores reddebantur, et hostis commeatibus intercludebatur. Quibus difficultatibus affectus Almirallius, hyeme jam appetente, Helvetiisque missionem flagitantibus, castra move-

vere, in hybernaque secedere, et novam Helvetiorum manum, quae jam conducta erat, exspectare constituit. Hoc ut fieret commodius, copiis, quae ad Moguntiam consederant, in sua castra revocatis, duorum mensium inducias a Prospero Columna, missa legatione, petit. Sed cum ille spatium ad deliberandum se sumturum respondisset, ab eodem postulavit, ut legati colloquendi utrinque causa in medium locum cum mandatis mitterentur, qui de re communi, ac induciarum conditionibus agitarent.

V. Hoc impetrato, et loco inter urbem et castra medio constituto, ex Caesarianis Fernandus ipse Alarco, Hieronymus Moronus, et Paulus Victorius, ex Gallis Galleatius Vicecomes, et Thomas Bojerius missi. Quibus colloquentibus, post longam de justitia belli utriusque partis disputationem, Galli duorum mensium inducias, ut coeperant, postularunt; ea conditione, ut Almirallius omnia, quae citra Ticinum occupasset, Caesarianis remitteret atque traderet; sed illi alteri, qui consilium Almirallii non ignorabant, nec de parte Principatus soliciti erant, totum negotium ad Carolum Lanojum rem Neapolitanam pro Rege, uti supra diximus, procurantem, cujus adventus propediem exspectabatur, rejecerunt; hic enim Caroli Caesaris, Foederatorumque jussu, ut vicem Prosperi Columnae, qui jam pridem aegrotabat, bellum administraret, ad exercitum adventabat. Re igitur infecta, Galli in castra reversi, paucisque diebus interjectis, cum magnae nives decidissent, Almirallius, omissa Mediolani obsidione, Abbiagrassum copias reduxit, et cum ceterum Gallicum peditatum ex

Pro-

Provincia Narbonensi Allobrogibusque, tum etiam Helvetios, adventante nova manu, dimissit, equitibus retentis, et Italico milite, qui numero erat ad septem millia, cum quibus Rentius Ursinus Aronam oppidum ad lacum Verbanum oppugnandi gratia missus, triginta diebus in obsidione, oppugnationeque frustra consumtis, ab Anchise Vicecomite, qui Aronam cum praesidio tenebat, fortiter rejectus, re infecta redivit.

VI. Interea Carolus Caesar, ut Gallorum vires distraheret, atque manus distineret, exercitum in Hispania coëgit, et per Navarram, saltu Pyrenaeo superato, in Galliam Aquitaniam properare jussit. Ipse Pompelonem Idibus Octobris cum magno procerum comitatu progreditur, qui non ignarus placere nemini, ut ipse cum exercitu in Galliam transiret, consilium plerisque palam improbantibus, praesertim tam alieno anni tempore, quo ceteri Principes, atque Duces, omisso bello, in hyberna secedere consuescerent, proceribus in unum convocatis, simulata oratione, pauca locutus est; non se consultandi, sed hortandi gratia, ipsos convocasse, cui certum esset exercitum in Galliam traducere; omitterent igitur de re jam sibi constituta disserere, aut disceptare, sed pro se quisque necessaria ad bellum, ipso ductore, in Gallia gerendum compararent. Haec scilicet effatus est, ut fama in vulgus edita ad Regem Gallorum efferretur, atque eum majore terrore belli concussum, ad occurrendum huic parti et periculo ab Italico bello revocaret.

VII. Sed jam bona pars exercitus saltum Pyrenaeum cum duobus praefectis transierat, Philiberto Uraniae Prin-

ci-

cipe adolescente, qui praeerat Hispano peditatui, et Rocandulfo, qui Germanorum manum circiter sex millium ducebat; ambo enim Carolum fuerant in Hispaniam ex Belgio proficiscentem secuti. Inechum porro Velascum Castellae Comestabilem, tradita imperii summa, ad exercitum trans Pyrenaeum properare jubet, et quid fieri velit, ostendit. Ille, Pyrenaeo saltu non sine magno labore propter magnas nives decidentes, et itinerum difficultatem superato, collectoque exercitu, Monleonem primum natura praesidioque munitum castellum expugnavit; deinde Salvaterram majus oppidum, quod caput erat Lebritensis Principatus, et firmiore praesidio tenebatur, tormentis quatere, oppugnareque aggressus, ad deditionem compulit, ac totam Aquitaniam magno terrore concussit. Ceterum praefectorum coacto concilio, cum de ratione belli gerendi sententias exquireret, omnibus visum est, non posse absque magno exercitus discrimine tam alieno anni tempore, itineribus impeditis, in Galliam interiorem et Tolosam, ut rumor fuerat dissipatus, procedi; commodius esse iter Oceanum versus retorquere, et Fonterabiam urbem littoralem in ipso Hispaniae Galliaeque confinio, si Carolo Caesari sic placuisset, oppugnare; qua sententia Carolo perlata, atque probata, Comestabilis a Salvaterra movens, copias Fonterabiam versus deducit, magno jumentorum numero, quae frumentum comportabant, sine praesidio subsequente, quae omnia fuerunt a Gallis intercepta, et inde magna rerum necessariarum inopia in nostris castris consecuta.

VIII. Kalendis Januarii insequentis anni, qui fuit

ANN. M.D.XXIV Christi millesimus quingentesimus vigesimus quartus, Comestabilis Fonterabiam obsidione cinxit, postridieque tormentis murum quatere aggressus est; cujus bona parte concussa, tantae pluviae et procellosae tempestates consecutae sunt, ut necessario ab oppugnatione desisteretur, gnaviter etiam defensoribus telis tormentisque propugnantibus; ita cum magno nostrorum incommodo, durissimo anni tempore, obsessio tracta. Nam re infecta discedere, tum Comestabili turpe videbatur, tum etiam Carolo Caesari; qui ut citius, quae a suis gererentur, cognosceret, et quae visa essent, commodius provideret, ex Pompelone profectus, Victoriam urbem caput Alavae Cantabriae regionis Nonis Januarii pervenit.

IX. Erant in praesidio Fonterabiae Navarri circiter trecenti, ex iis qui Gallorum partes secuti fuerant, quo tempore illi occupatam a nostris Navarram bello repetebant, Gallisque repulsis atque devictis in Galliam sese receperant. His praeerat Petrus, Marischalis Navarrae filius, maximae in omni praesidio auctoritatis. Cum hoc ab initio Comestabilis per occultos nuntios agere coeperat, ut auctor fieret oppidi dedendi, quod contra tantas Caroli Caesaris vires tueri non posset, quodque per injuriam a Gallis ereptum jure antiquo ad Castellam, unde ipsi mater genusque maternum esset, pertineret, Navarrorum cohorti impunitatem, reditumque in patriam, ipsi vero magna etiam praemia, cum paterno patrimonio, tituloque dignitatis, proponit. Hanc conditionem Petrus, ceterique Navarri, initio quidem repudiaverant, et sibi famam fidemque Gallo Regi datam cunctis rationibus antiquiorem esse responderunt.

Sed

Sed multis diebus obsidione sustentata, posteaquam omnes, maxime Gallos, defensores pro sua natura morae taedium ceperat, ac pulvis tormentarius paene erat exhaustus, sine quo tormenta redduntur inutilia; conditio placere coepit, praesertim spe sublata Comestabilem re infecta discessurum; nam de hujus, et Caroli Caesaris obstinato animo exploratum habebant. Itaque, eodem Petro auctore, facilius etiam Gallis, quam Navarris persuasis, oppidum tertio Kalendas Martias deditur, omnibus incolumitate data, permissoque, ut armati, explicatisque vexillis, quo quisque vellet, discederent. In digressu equites cataphracti centum, ac totidem levioris armaturae, quos francharchieros Gallica consuetudo nominat, pedites mille et quingenti numerati; oppido, ac oppidanis in fidem receptis, bombardica tormenta majora quadraginta septem reperta, minorum, atque scloppetorum maximus numerus, globorum, quibus ferreis, aut aeneis bombardae pro telis utuntur, circiter quinque millia; sed tormentarii pulveris quinque dumtaxat cadi, tritici, atque vini magna vis; atque haec quidem in Hispania gerebantur.

X. Interea Carolus Lanojus Papiam primum, ubi dies aliquot substitit, deinde, Prospero Columna jam extremum spiritum ducente, Mediolanum progressus est, et justis ei funeribus solutis, exercitum ex hybernis educere, et Germanos, qui numero ad sex millia jam iter ingressi nuntiabantur, in castris exspectare constituit. Adjunctis autem Venetorum copiis, quibus praeerat Dux Urbinas, et equitatu, qui Clementis Pontificis Maximi nuper in demortui Adriani locum suffecti stipendiis,

cum praefecto Marchione Mantuano militabat, Mediolano movet, Italicorum quinque millibus praesidio relictis, Ticinumque copias traduxit, et ad Gambalotum castra posuit. Hoc animadvertens Almirallius, et amissi Garlasci nuntio commotus, quod castellum, cum praesidio Gallorum teneretur, opera et industria Venetorum ac Ducis Urbinatis fuerat expugnatum, ipse quoque Abbiangrasso movet; praesidioque relicto, copias, in quibus erant Helvetiorum duodecim millia, Ticinum trajecit, et ad Viglevenum non longe ab hostibus consedit. Hic frequenter parvis equestribus praeliis secundioribus magna ex parte cum Gallis contendebant.

XI. Itaque his levioribus certaminibus, et accepto nuper ad Robecum castellum incommodo, ubi bona pars cataphractorum de improviso fuerat a Caesarianis oppressa, multum erat Gallicus equitatus imminutus; quorum incommodorum, ceterarumque belli calamitatum pro suo ingenio impatientes Galli, copiis omnibus rem praelio committere constituunt, et continuo biduo acie instructa, hostibus pugnandi potestatem faciunt. Caesariani vero, quamquam et numero, et genere militum erant superiores, tamen tutius consilium cruentae victoriae praeferendum rati, pugnae discrimine vitato, bellum ducere decernunt, et per occasiones, quas sibi certas ex Gallorum natura et impatientia pollicebantur, administrare. Paucis igitur diebus, Saturana (castelli hoc nomen est) cum arce, caeso praesidio, et captis Ugone Pepulo Bononiensi, et Joanne Virago praefectis, expugnata, antequam Almirallius Vigleveno movens subsidio perveniret, nec multo post Vercellae per oppidanorum

rum deditionem receptae; tum castris inter hoc oppidum, et Novariam, ubi hostes consederunt, communitis, eos commeatibus, qui ex regione Subalpina importabantur, prohibere coeperunt.

XII. His difficultatibus affecti Galli, se tamen auxiliorum spe, quae tum a Rhaetiis, tum ab Helvetiis in dies exspectabant, solabantur. Ceterum Rhaetiorum ad quinque millibus in agrum Bergomatem progressis tum nova manus a Venetis missa, tum Joannes Medices cum peditum quatuor millibus, et ducentis equitibus, quam manum Sfortia Dux Mediolanensis alebat, occurrit, eosque continentibus incursionibus usque adeo vexavit Medices, ut triduo dumtaxat morati, spe transeundi dejecti domum sese reciperent, et paucis diebus interjectis legatos de pace et amicitia ad Franciscum Sfortiam mitterent. Sed revocato ab hac expeditione Joanne Medice, Abbiagrassumque oppugnandi gratia praemisso, Sfortia ipse cum Mediolanensium non contemnenda manu subsequitur. Expugnatoque ponte, quo Ticinus ad Abbiagrassum committitur (nam et hic Gallico praesidio tenebatur) oppidum ipsum magno impetu oppugnare aggreditur, captumque deleto praesidio militibus diripiendum permisit, atque ea victoria laetus Mediolanum cum praeda magna quidem, sed Mediolanensibus perniciosa, revertitur; pestis enim, quae Abbiagrassum afflixerat, Mediolanum ex contagione tam vehementer invasit, ut supra quinquaginta hominum millia ex hac urbe, grassante morbo, absumerentur.

XIII. Dejecti Galli spe Rhaetiorum subsidii, amissoque Abbiagrasso, unde commeatu bonam partem suble-

va-

vabantur, et paene cunctis ex partibus interclusi, durisque subvectionibus a re frumentaria laborantes, nihil jam, nisi de tuto receptu, domumque reditione cogitare, utque Helvetiorum novae quinque millium hominum manui sese conjungerent, niti, quae manus suis non jam ad bellum gerendum, sed, ut domum redire possent, auxilio veniebant. Almirallius ex Novaria copias instructas Romagnum deducit, et cum Helvetiis illis, qui ad Porediam constiterant, conveniendi loco ad Sesitem fluvium per internuntios constituto, silentio noctis castra movit, et extrema quarta vigilia, per vadum trajecto flumine, cum Helvetiis Poredia profectis suas copias conjunxit. De hac simili fugae profectione certiores facti Caesariani equitatum ad consectandos hostes immisserunt, mille circiter peditibus scloppetariis expeditis sua sponte absque signo militari subsequentibus, a quibus eminus jaculantibus turbati hostes, seque vix ab effusa fuga continentes, male habiti sunt, eorumque non pauci desiderati, et in his equitum duo praefecti Petrus Bajardus et Joannes Cabanaeus; plures vulnerati, in primisque Almirallius ipse grave vulnus accepit; nec prius ex timore ac trepidatione, multis tormentis signisque militaribus, et impedimentis amissis, sese hostes receperunt, quam Caesariani finem facerent insequendi.

XIV. Pulsis Italia Gallis, ac Laude Pompeja et Alexandria, quae oppida praesidiis Italicis nomine Gallorum tenebantur, ad deditionem compulsis, Carolus Caesar in Galliam Transalpinam bellum transferre constituit, ne sibi semper esset illatum a Gallis defendendum; sed

Rex qui publicam pacem solicitare non intermittebat, suis etiam rebus timere aliquando cogeretur, adjuvantibus hoc Caesaris consilium Caroli Borbonii rationibus, quem Gallia, dum Regis iram et injuriam metuit, digressum profugumque in suam fidem receperat, et ad bellum in Gallia administrandum idoneum esse reputabat. Carolus enim Galliae Comestabilis, et Borboniorum Dux (quae natio est in Aquitania Avernos attingens) postquam, injuria odioque Regis, avitae fortunae atque ejus Principatus in discrimen trahebantur, jam suae quoque saluti metuens, statuit ad fidem Caroli Caesaris confugere, atque illi suam operam, gratiam, et auctoritatem in Gallos ad Regem bello consectandum per occultos nuntios deferre; nec Carolus Caesar in tanta Regis pertinacia, et in se hostili animo, conditionem respuendam putavit, eumdemque consolatus liberaliter pollicetur. Itaque Borbonius, conquisitoribus cum pecunia in Germaniam missis, qui militum duodecim millia quam occultissime possent, conducerent, per occasionem Regis absentis, et Italico bello occupati, Galliam invadere decreverat, si Rex ipse, qui post suorum cladem ad Bicocham acceptam bellum reparabat, exercitum, ut instituerat, in Italiam Transpadanam induxisset.

XV. Sed his rebus enuntiatis, Rex, mutato consilio, Gallia se, suisque finibus tenuit, et exercitum cum imperii summa Almirallio ducendum tradidit, Carolumque Borbonium, qui, ne ipsum in Italiam sequi cogeretur, morbum simulaverat, ad se quam primum, etiam aegrotantem, per nuntium et litteras venire jussit. Sed litteris acceptis, Borbonius inani lectica in speciem

cum suo comitatu missa, ipse clam cum duobus dumtaxat comitibus in Burgundiam, Carolique Caesaris fines, lecticae dolo non ante biduum patefacto, profugit, unde Caesaris voluntate in Italiam, et Caesariana castra migravit; et tunc temporis aderat, cum Almirallius et Gallicus exercitus Italia cedere cogeretur. Ex litteris igitur Caroli Caesaris, quae fuerunt in concilio Caesarianorum ducum recitatae, exercitus in Transalpinam Galliam ducendus Carolo Borbonio cum summa imperii traditur. Is, nulla interposita mora, copias in Transalpinam Galliam per Allobroges traducit (Lanojus enim ad Insubres cum parvo praesidio remansit) Massiliamque urbem maritimam, quae capta cum portu magnas ad bellum gerendum commoditates praebitura videbatur, primum omnium obsidere, atque oppugnare aggreditur; quod fore suspicatus Rex Gallus, Rentium Ursinum, cum Italicorum militum ad quinque millibus, qui, Laude et Alexandria deditis, Transalpinam in Galliam traducti fuerant, Massiliam properare ac tueri jusserat. Itaque oppidum opere locoque et firmo praesidio munitum, facile obsidionem, atque oppugnationem sustentavit.

XVI. Rex autem, magno exercitu coacto, facile sibi fore ratus, dum Borbonius in obsidione Massiliae tempus terit, vacuam a milite Caesariano Transpadanam Italiam in potestatem suam redigere, hanc petere, omissa Massilia, decrevit, vitatisque hostibus, copias Alpibus admovere coepit. Hoc cum esset nuntiatum, Borbonius, et Marchio Piscariae, vir magnae virtutis atque usus in re militari, communicato consilio, nec de

Re-

Regis animo dubitantes, optimum factu esse statuerunt, ut omissa obsidione Massiliae, exercitum in Italiam reducere maturarent, ne, dum trans Alpes nova imperia quaeruntur, quae citra magno labore jam parta erant, in discrimen adducerentur. Tormentis igitur, quae maxime iter demorari poterant, partim in naves impositis, ut Genuam deportarentur, partim comminutis, ut jumentis deferri, rursusque, cum opus esset, conflari possent, castra movent, magnisque itineribus Mediolanum, ut Regem, quam maxime poterat, properantem anteverterent, reverti contendunt; tantumque fuit militum studium, ut a Massilia profecti Papiam vicenis castris pervenirent; et quo die Rex cum agmine primo, magna celeritate usus, Vercellas attigit, hoc Borbonius, et Marchio Piscariae cum equitibus, et Hispano atque Italico peditatu ab Alba usque ad Viqueriam, quod oppidum est ad Padi ripam, quadraginta passuum millia conficerent, Germanis intervallo itineris diurni subsequentibus. Sed Mediolanum progressi parati nihil offenderunt, non commeatus congesti, non aggeres refecti, propter Sfortiae Ducis absentiam, qui vitandae pestis causa Pisleonem secesserat; itaque arcem retinere contenti, urbem deserere, et militibus in praesidio deductis, oppida cetera, quae ad bellum gerendum majorem haberent facultatem, muris contra furentium Gallorum impetum objectis, defendere constituunt, et exercitus supplementum ex Germania, quo militem conducendi gratia mitti placuit, exspectare.

XVII. Vix dum erant Caesariani Mediolano per portam, quae Romana dicitur, ordine servato, ne pro-

fectio similis fugae videretur, digressi, cum per Ticinensem et Vercellensem Galli succedebant, nec tamen Rex ipse Mediolanum est ingressus, sed imposito praesidio, quod arcem simul obsideret, paucis diebus ante Novembris Kalendas exercitum oppugnandi gratia Papiam inducit. Hoc oppidum Antonius Leiva custodiendum susceperat, ibidem Germanorum, qui agmen nostrum subsequebantur, ad quinque millibus, Hispanisque circiter quingentis, et quadringentis equitibus retentis. Ita cum huc quoque Caesariani pleraque tormenta et plurimum bellici apparatus contulissent, recepta Papia bellum confectum fore Rex sibi persuadebat. Dispositis tormentis Rex Papiam circa Idus Novembris tribus non continuis, sed brevi intervallo diebus, magno impetu multis ex partibus oppugnare, et murum ferire tormentis aggressus, bonam ejus partem demolitus est; ter milites irrumpere jussi, conatique, ter a Caesarianis, magno accepto detrimento, repulsi.

XVIII. Postquam ea parte non succedebat, Rex Ticinum, qui fluvius Papiam, qua murus erat infirmus, et oppidum parum munitum, alluit, avertere tentavit. Sed hoc quoque frustra fuit. Nam magnis imbribus consecutis fluvius auctus oppositas moles, maximoque sumtu productum opus disjecit, diruitque. Nec tamen incepto desistere Rex animum inducit, indignum se, tantoque exercitu, et ad hominum opinionem, quae multum in bello dominatur, perniciosum esse judicans, re, quam totis viribus fuisset aggressus, infecta discedere. Perstare igitur in obsidione placet; et quoniam quando aliter non datur, interclusis commeatibus, inopia re-

rum

rum necessariarum obsessos premere, ad deditionemque compellere. Magnos enim spiritus Rex sumserat, et magnopere contemserat Caesarianorum paucitatem, qui necessario Mediolanum relinquentes in oppida munitiora sese recepissent, sic ut non contentus Mediolanensi Principatu, quem sibi velut explorata victoria pollicebatur, in Regnum etiam Neapolitanum animum intenderet. Itaque non dubitavit peditum octo millia, et sexcentos equites ex magno videlicet exercitu detrahere, cum quibus Joannem Scotum Albaniae Ducem praefectum Neapolim properare jubet, ut vel Regnum, quod nullis aut parvis praesidiis tenebatur, reciperet, vel si contra hunc auxilia fuissent a Caesarianis missa, distentis hostilibus copiis facilius ipse Mediolanensi Principatu potiretur: de cujus Ducis, manusque ex castris profectione cum Caesariani cognovissent, non tamen adduci poterant, Regem nondum Mediolanensi confecto, velle distractis copiis bellum Neapolitanum suscipere, sed per hujus causam praesidium mittere, quo tormenta et quae tormentorum usui necessaria sunt, convehi possent, quae Alfonsus Aestensis Ferrariae Dux ad Papiae commodiorem oppugnationem petenti Regi amicitiae gratia ex maxima scilicet copia submittebat. Alfonsus enim tormentis fabricandis oblectabatur, atque ejus artificii scientissimus erat.

XIX. Igitur Caesariani nova sex millium Germanorum manu copiis auctis, praesidio Laudi relicto, ad insectandum Albaniae Ducem, et frustrandos Gallorum conatus proficiscuntur. Sed trajecto Pado, Monticellum oppidum progressi, ex captivis certisque auctoribus de Re-

gis consilio cognoverunt invadendi Regni Neapolitani, ac si deductam manum Caesariani consectarentur, his longius submotis, pontem ab eis in Pado paulo supra Cremonam factum, occupandi, ut amne hostibus exclusis, facilius Transpadanam Italiam in potestatem redigeret; quod ne accideret Caesariani providentes, exercitum in castra ad Laudem reducere festinant, simulque Lanojus per nuntios, et litteras Neapolitanos proceres praesidiorumque praefectos de profectione Gallorum certiores facit, et ut manus equitum, peditumque cogerent, atque oppida et arces praesidiis firmarent, cohortatur, et se ad Gallis iter jam ingressis, donec a se, vel a Carolo Caesare auxilia, si opus esset, mitterentur, obsistendum compararent.

XX. Paucis diebus interjectis, ab Antonio Leiva litterae perferuntur, Germanos, qui erant in Papiae praesidio, quamvis ab obsidionis initio oppidanorum sumtibus alerentur, stipendium tamen efflagitare, urbem, nisi sibi satisfiat, hostibus sese udituros minitantes. Laborabatur pecuniarum inopia vehementer in castris Caesarianis, stipendium enim a Carolo Caesare parce admodum ex Hispania suppeditabatur. Nam Clemens Pontifex, et Florentini, ac fere reliquae liberae civitates, quae foedus cum Carolo Caesare fecerant, tempori servientes ab officio discesserant; et ejus amicitia, et fortuna, quam inclinatam judicabant, relicta, ad Regiam, quae stare atque etiam augescere videbatur, se converterant, ut ex foedere pactum stipendium minime suppeditarent Nec Veneti de copiis auxiliaribus ex foedere mittendis fidem praestabant. Quamobrem Lanojus, cum Borbonio

et

et Fernando Avalo communicato consilio, ex ea penuria tria ducatorum millia subducta, Germanis, si consilium fortuna comprobaret, submittere constituit. Hac inita mittendi ratione, duplicibus linteis ad thoracis formam aptatis, intus dispositi nummi per singulos ordines, et quasi versus rectis, transversisque filis intertextis, ne delaberentur, constringuntur; tum ea lintea tunicis interioribus assuuntur, eaque ratione duo quasi thoraces nummis aureis pro xylino, laneove tomento farti, conficiuntur, aptanturque. Hos duces duobus Hispanis militibus viris fortissimis, quos ut negotium susciperent, magnis pollicitis persuaserant, induendos tradunt, et quid fieri velint, ostendunt, eosque, datis ad Antonium, Germanorumque praesidium mandatis, bene precantes dimittunt.

XXI. Erat in Gallorum castris Hispanorum cohors, qui tempore superiore, propter multorum mensium stipendium non solutum, facta secessione, ad Gallos transierant; his praeerat Petrus Guevara, qui cum ordinem in exercitu Caesariano, summam imperii tenente Prospero Columna, duxisset, post hujus mortem a Piscariae Marchione fuit per injuriam eo gradu atque honore dejectus, nec a Carolo Caesare, cujus fidem vir nobilis, et tum virtute, tum usu rei militaris praestans imploravit, ad suam dignitatem restitutus; quamobrem ab ipso Principe missione, et cuicumque vellet, militandi impetrata facultate, ad Regem Galliae sese contulerat. Duo igitur milites, thoracibus auro infartis induti, in castra Gallorum, Hispanorumque cohortem pro transfugis cum pervenissent, a Petro Guevara, cui noti erant,

rant, de adventus causa rogati, se patrata in castris caede vix irati ducis, et se ad supplicium diligenter perquirentis manus effugisse responderunt. Hos Guevara consolatus, bono animo esse, et apud se manere jussit.

XXII. Paucis diebus interjectis, Papienses custodes erumpunt, et hostes levi praelio lacessunt. His Guevara, Hispanorumque cohors sese ante omnes objiciunt; tum praelio commisso, duo milites pecuniam comportantes, qui inter primos versabantur, cedentibus Papiensibus sese conjunxerunt; et sic incolumes ad Antonium perducti, tradita pecunia, Lanoji, ducumque mandata Germanis audientibus exponunt; ex magna pecuniarum, ad quam redacti sint, inopia, illam se ingenti cum solicitudine, et singulari deferentium periculo mittere, non ut Germanis militibus, quod maxime vellent, satisfiat; sed ut iidem animum et voluntatem suam agnoscant: rogareque, et obtestari Germanos pro ipsorum perspecta fide et constantia, inopiam aequo animo tantisper tolerarent, donec exspectata, et jam a Carolo Caesare missa pecunia, per Genuenses mercatores perferatur, ne quorumdam impatientia res atque dignitas Caroli Caesaris, qui magnam spem victoriae in Germanorum fide atque virtute omnibus bellis collocare consuevisset, cum dedecore laudatissimae nationis in discrimen adducatur. His auditis, Germani, et ducum animo studioque perspecto, magnopere sunt deliniti; itaque accepta excusatione, parvaque pecunia, aequo animo ad bellum confectum stipendii solutionem exspectarunt, praesertim post ipsorum praefecti mortem, qui per eos dies ardentissima

ma febre correptus, nec sine veneni suspicione, interiit; sic enim increbuit, Antonium hac ratione voluisse sine tumultu ancipiti malo mederi, eo scilicet sublato de medio, qui seditionis auctor fuisse putabatur.

XXIII. Paucis post diebus, Germanorum altera sex millia in castra ad Laudem pervenerunt, quorum adventu recreati Caesariani duces, haud cunctandum sibi esse constituunt, quin Regem, si ad parem pugnandi conditionem deduci possit, praelio lacesserent; sed magna difficultate afficiebantur, quomodo in tanta penuria, stipendio non soluto, milites adducerent, ut ex hybernis ad signa, et una castra convenirent, et exercitum ad praelio dimicandum paratum, dictoque audientem haberent. Cum igitur pecuniae, quantum satis esset, conficiendi nulla ratio iniri posset, quod reliquum erat, ad preces descendere, et pollicitis blandaque oratione cum militibus agere placuit, sumto ab Hispanis initio, ut quorum animi, tum natura tractabiliores et calamitatum tolerantiores essent, tum hujusmodi incommodis magis assueti; nam ceteri fere milites, quasi mercenarii; Hispani tamquam et existimatio, et res eorum ageretur, bellum gerebant. Igitur Fernandus Avalus Piscariae Marchio, ut erat universi peditatus Hispani generis praefectus, et in omni exercitu auctoritatem, Lanojo imperii summam obtinenti proximam, et paene parem habebat, apud Hispanos concionatur in hunc maxime modum.

XXIV. „Si vel mea, ceterorumque ducum culpa „factum esset, commilitones, ut tamdiu emerito stipen„dio careretis, aut vestra militia stipendium maxime „mo-

„ more mercenariorum spectaret; puderet me, fateor, „ post tot, tantosque susceptos vobis, et sine stipendio „ exhaustos labores, rursus operam vestram militarem „ vel ad breve tempus gratuitam postulare, cujus gra- „ tia huc necessitate compulsus accessi. Tunc enim me- „ tuenda foret justa repulsa, maximeque verendum, ne „ apud vos aut cognita nostra avaritia postulationis in- „ justitiam et imprudentiam argueret, aut illiberale ve- „ strum institutum honestis nostris, atque necessariis po- „ stulatis obesset. Nunc magna me spes habet, quae „ honeste, ac necessario poscimus, facile posse ab in- „ genuis animis vestris impetrari. Nam et vobis nota „ est innocentia nostra, quos exploratum habetis non „ avaritia, sed inopia laborare, et nobis multis magnis- „ que documentis perspectum, vos belli gerendi prae- „ mium, non mercedem, sed laudem et gloriam po- „ tissimum vobis proposuisse; prudentissimo scilicet insti- „ tuto, praestans enim virtus, et maximis in rebus per- „ specta fides nullo pretio aestimari, nulla pecunia re- „ munerari queat, quoniam, quae res ignavis juxta, et „ fortibus viris adesse potest, haec non est idoneum, „ conveniensque praemium virtutis egregiae, sed laus et „ solida gloria, quae solis praestantibus viris contingit; „ cujus praecepti non magis philosophos auctores ac te- „ stes, quam vestros majores, vosque ipsos, hoc est „ Hispanam gentem, citare possum, quos omni saecu- „ lo, omnique memoria illo potissimum praemio du- „ ctos bella gessisse constat; qui magnos labores atque „ pericula sponte suscipientes, ac fortiter obeuntes, in- „ gentes calamitates, et rerum necessariarum inopiam

„ aequis-

„ aequissimo animo tolerantes, vos ita gerere consuevi-
„ stis, ut bello vobis nihil magis petitum esse videa-
„ tur, quam gloria, et vera insitae virtutis, ac robo-
„ ris, fideique laus; quam sic estis claris editis facino-
„ ribus assecuti, ut Hispanorum nomen, bellicaque vir-
„ tus et fides, et in malis ac difficultatibus invictus a-
„ nimus per totum orbem cum maxima vestra laude
„ pleno, ut ajunt, ore celebretur. Neque vero hic at-
„ tinet celeberrima Numantinorum et Saguntinorum ex-
„ empla, et quae Viriato et Sertorio duce gesta sunt,
„ ceteraque omnis aetatis maxima, claraque documenta
„ ex vetustate repetita in testimonium commemorare,
„ cum multa veteribus illis, et celebratissimis paria ve-
„ stra facinora aetas nostra viderit; quorum est in pri-
„ mis locupletissima testis Italia, in qua tum in Regno
„ Neapolitano, duce Gonsalo magno, tum in circum-
„ padanis regionibus difficillima bella saepe sine stipen-
„ dio, et parcissime commeatu suppetente confecistis,
„ et pauci cum longe majoribus copiis praelia secundis-
„ sima fecistis; quorum cum aliarum nationum milites
„ socios interdum habueritis, idcirco tamen laudem vo-
„ bis potissimum, et plerumque solis, fama homi-
„ num attribuit, quoniam ceteri externos, et mercena-
„ rios milites imitantur, vos ut cives fortissimi, et quo-
„ rum res, et imperium existimatioque agatur, Regis
„ vestri, quem fidelissime studiosissimeque colitis, bel-
„ la gerere consuevistis. Haec cum ita sint, viri fortis-
„ simi, non rogandi mihi esse videmini, ne ab institu-
„ to et consuetudine vestra discedatis, sed admonendi
„ dumtaxat Caroli Caesaris vestri nostrique Regis et Im-

„peratoris imperium et dignitatem hoc difficillimo tem-„pore, si unquam alias, officium vestrum postulare, ut „quemadmodum jam diu necessario, sic ad paucos prae-„terea dies inopiam aequo animo perferatis, donec pe-„cunia ad stipendium militare ex Hispania missa, et „propediem, ut nuntiatur, affutura perveniat, et ad „signa sumtis armis conveniatis, ut ceteri exemplo ve-„stro officii sui admoneantur, nec quisquam sibi pu-„tet in stipendio necessitate dilato satis esse causae ad „bellum turpiter et ignave, addo etiam stultissime, ta-„li tempore, et tantarum rerum sese ostendentibus „occasionibus, detrectandum. Nec enim, ut arbitror, „statum rerum, et rationem belli hujus nescitis, aut pu-„gnandi conditio quam impar et dissimilis nobis, ho-„stibusque, et quam disparia praemia victoribus propo-„sita sint, ignoratis. Illi enim bellum gerunt cum for-„tissimis quidem, sed egenis hominibus, et praeter vir-„tutem et arma hoc quidem tempore a rebus cunctis „inopibus, quibus cruenta victoria superatis, si forte, „quod abominor, superaremur, victores nec praeda, „praeter equos et arma, secutura sit, nec de capto ma-„gno aliquo Principe triumphus, quae cogitatio, for-„tissimorum etiam animos obtundere, et minus alacres „reddere solet ad praelio decertandum. Nobis contra „res est cum Rege Gallorum, opulentissimum exerci-„tum ducente, ex his nationibus, quas saepe devicistis, „confectum, et quem pleraque Gallica nobilitas auro, „argentoque fulgens assectatur, quos si armis, quem-„admodum spero, et vobis solitum est, deviceritis, in-„genti praeda cum locupletissimis captivis potiemini, et

„in-

„ inveteratam gentis vestrae bellicam laudem novo et
„ clarissimo exemplo, magnaque et perpetuo duratura
„ gloria cumulabitis, Rege cum tot, tantisque proceri-
„ bus, aut capto, aut interfecto. Nam de victoria mul-
„ ta sunt, quae me vetant dubitare; primum, melior,
„ justiorque belli, quod defendimus, causa, cui Deus
„ superbiae et injuriarum vindex adesse solet; deinde
„ vestra, ceterorumque militum nostrorum virtus, cum
„ qua non est Gallorum nec robur animi, nec constan-
„ tia conferenda; tum, quod eorum numerus, quo ma-
„ xime valebant, adeo imminutus est, parte copiarum
„ ad Regnum Neapolitanum invadendum dimissa, ut ne
„ hoc quidem jam post adventum Germanorum sint lon-
„ ge nobis superiores. Agite ergo, viri fortes, et pri-
„ stinae virtutis, fideique memores non de tenui stipen-
„ dio, quo nemo est unquam locupletatus, nec quis-
„ quam vestrum fraudabitur, cum facultas erit, quam
„ propediem exspectamus, sed de opulenta praeda, et
„ magna gloria cogitantes, vos ad arma comparate, ut
„ officium vestrum tum sociis et cognatis, qui ad Pa-
„ piam obsessi spem suae salutis in vestra virtute ac fi-
„ de posuerunt, tum Carolo Regi Imperatorique no-
„ stro, hoc suo magno tempore praestetis, quo totum
„ ejus Italicum imperium agitur. Frustra enim vestra
„ natio tot, ac tantas victorias, nostra patrumque me-
„ moria, de Gallis reportasset, tota fere Italia, quam illi
„ sibi injuste ac insolenter vindicabant, in vestram po-
„ testatem redacta, si quod imperii, et gloriae majo-
„ res vestri sua virtute, et malorum tolerantia pepere-
„ runt, id vos pertinacia, et praepostera quadam ava-

X 2 „ ri-

„ritia volentes amitteretis, turpissime socios, et Ita-
„liam hostibus vestra cunctatione prodentes, quae res
„longissime a vestra natura, consuetudine, et instituto
„absunt.“

XXV. Hac oratione habita, alacres Hispani, et cupidi belli gerendi, operam suam liberaliter pollicentur, seque solidum mensem aequo animo stipendium exspectaturos confirmant. Tum cum Germanis eodem fere modo actum per Georgium eorum praefectum, et ab eis, Hispanorum exemplo permotis, impetratum, ut stipendii medietate ad praesens contenti bellum gerere ne gravarentur. Equites quoque, ut debiti stipendii accepta parte ex hybernis ad signa convenirent, haud difficulter exorantur. Copiis in unum coactis, primum omnium Sanctum Angelum oppugnare placet, quod castellum medio ferme spatio inter Laudem, et Papiam situm, a Pyrrho Gonzaga cum praesidio Italico peditum octingentorum, et ducentorum equitum Regis nomine tenebatur, multumque commeatibus in Caesariana castra, Laudemque comportandis obstabat. Coepta oppugnatione, posteaquam tormentis, et scloppetis murum defensoribus nudaverant, atque hostem repulerant, Marchio Piscariae, ab Hispano centurione sublevatus, secundus post eum et murum conscendit, et intra oppidum desilivit; hujus virtutem Hispani milites laudantes, et libenter imitantes, conscenso muro in oppidum irruperunt, portisque refractis ceteros admiserunt, nec fuit difficile hostes, qui se in arcem receperant, intentata oppugnatione ad deditionem compellere, quos Marchio, praefecto et centurionibus exceptis, incolumes,

ar-

armis tamen, et equis exutos, trans Abduam abire permisit; data fide, et jurejurando, arma se ante mensem exactum adversus Caesarianos non sumturos.

XXVI. Nec vero solum ad Sanctum Angelum bene pugnatum est a Caesarianis, sed etiam ad Casale majus Alexander Bentivollus cum Italorum manu missus Joannem Ludovicum Palavicinum oppressit, qui cum duobus peditum millibus, et quadringentis equitibus vias, ut Caesarianos commeatibus prohiberet, jussu Regis obsidebat, et incursionibus infestabat. Nam praelio commisso, ipsum equo delapsum vivum cepit, ejusque copias fudit atque fugavit. Gaspar quoque Mainus Mediolanensis, qui Alexandriam cum praesidio tenebat, Italicorum duo millia ex iis qui Massiliae aestate superiore praesidio fuerant, et evocati a Rege in castra ipsius contendebant, praetergredientes adortus, in fugam dedit, et in Castellatium vicum compulsos armis exutos dimisit.

XXVII. Ad haec incommoda illud quoque multo etiam gravius Gallis accessit, quod Rhaetiorum quatuor millia finitimo bello evocata e castris discesserunt. Causa discedendi fuit, Davennae ipsorum ditionis oppidi ad Larium lacum amissi nuntius perlatus, quod Joannes Jacobus Medices, qui arci Mussi castelli Mediolanensis ditionis haud procul inde praeerat, per dolum scilicet occupaverat; pauci enim milites ab eo missi, et quid fieri vellet, edocti, cum loco idoneo ad arcem Davennae in insidiis consedissent, praefectum ex consuetudine arce digressum exceperunt, eoque in arcis, uxorisque conspectum reducto, hanc jactatione verborum, et ma-

mariti necis, nisi dedat arcem, denuntiatione, ut se intra arcem reciperet, coëgerunt. Quo nuntiato, Joannes Jacobus cum trecentis militibus accurrit, occupataque arce, facile oppidum in potestatem redegit. Hoc cognito, Rhaetii, qui aderant, non solum sese sumtis armis ad Davennam recipiendam comparare, sed etiam illos, qui erant in Regis castris, per litteras et nuntios evocare coeperunt, quos dubitantes capitis mulcta, et bonorum publicatione, si non paruissent, constituta, domum redire coëgerunt. Horum discessus multum fregit Gallorum, ac Regis animum; sic enim factum est, ut Regis exercitus Caesarianis numero par, aut etiam inferior redderetur.

XXVIII. His rebus majore in dies auctoritate, et spiritibus sumtis, Caesariani haud sibi cunctandum esse statuebant, quin castra castris conferrent, atque hostes praelio lacesserent. Minus igitur mille passuum ab Regis castris intervallo cum castra posuissent, hostem diurnis, nocturnisque eruptionibus infestare, et vanis interdum ad pugnam per clangorem tubarum et tympanorum strepitum nocturnis irritamentis solicitare, nec somnum capere pati, ut primum metu ac solicitudine vexarent, deinde, cum vanum timorem consuetudine remisissent, securiores offenderent, ubi visum esset, vero praelio lacessere.

XXIX. Rex autem, se suosque castris diligenter continere bellumque ducere, sic fore sperans, ut exercitus Caesarianus, stipendio non suppetente, rerum necessariarum inopia brevi dilaberetur, qui timor vicissim Caesarianos duces angebat urgebatque, ut maturarent rem prae-

praelio committere, si qua se facultas ostenderet non iniqua conditione decernendi. Erant castra Regis ceteris ex partibus vallo, atque fossa permunita, sed uno latere murus non admodum firmus, locum illum, *Parcum* vulgo dictum, cingebat: hic Cartusianorum Monachorum coenobium erat, et praetorium *Mirabellum* vocatum, quo Duces Mediolanenses venationis causa secedere solebant. Ad coenobium castris circumfusis, Rex ipse initio diversabatur, sed postea his propius urbem commotis, ipse quoque urbi appropinquavit. Ad praetorium vero, quod paulum erat a continentibus castris sejunctum, pars equitatus, et peditum nonnullae cohortes consederant. Igitur Marchio Piscariae, cum quotidiana fere consuetudine considerandi gratia castra Regis obequitaret, animadvertit eam partem, qua muro objecto satis se munitos esse Galli existimabant, negligentius custodiri, et hac aditum aperiri posse ad copias introducendas judicavit; consilioque cum Carolo Lanojo, et Borbonio communicato, placuit, ut subruto muro, et copiis inductis, Mirabellum occuparent, ibique castra munirent, quo Papiam obsidione laxarent, et cum viam ad urbem expedivissent, adjuncta sibi manu, quae cum Antonio erat in praesidio, hostes ea parte, quae immunita erat, praelio lacesserent.

XXX. Ceterum certiores facti iidem duces, praesidium Papiense tormentarii pulveris inopia laborare, equitibus Hispanis expeditis sexaginta cum Faro praefecto adscitis, sacculos singulos pulvere plenos his contribuunt, et quid fieri velint, imperant. Erat in castris Regis Joannes Medices Italicorum equitum praefectus, vir animosus

sus et impiger, qui saepe, inconsulto Rege, cum suis extra ordinem, nec accepta tessera, castris ad captandas occasiones Caesarianos opprimendi excedebat, qui per inopiam commeatus ex propinquis aedificiis agrisque petendi gratia, saepe turmatim centuriatimque vagabantur. Haec Joannis consuetudo explorata Lanojo, ducibusque Caesarianis erat. Igitur equites Hispani, qui sacculos ad priorem ephippii partem adstrictos importabant, ad castra Gallorum progressi, per mediam hostium stationem vadunt, et quinam mortales essent, rogantibus, ac tesseram petentibus Gallis, se Joannis Medicis equites esse respondent, custodiamque fallunt; postremo admissis equis portae succedunt, et in urbem incolumes recipiuntur.

XXXI. Postridie ad sextum Kalendas Martias, qui
Ann. M. D.XXV. fuit annus Christi nati millesimus quingentesimus vigesimus quintus, antecedentis noctis tertia vigilia Caesariani duces, praemissa Hispanorum cohorte ad Regia castra, qui clamore cohortantium ad arma, et tympanorum sonitu, scloppetorumque strepitu, hostes, velut ea parte castra oppugnaturi solicitarent, et eorum in se animos converterent, copias ipsi silentio castris educunt duplice acie instructa, quarum altera Germanorum erat, Hispanorum altera, Italicis, qui mille circiter numero erant, praesidio tormentis esse jussis. Ubi ad *Parcum* ventum est, tanta fuit militum murum ariete concutientium diligentia et studium, ut prius bona muri parte solo aequata, *Parcum* irrumperent, quam Galli, quid ab his gereretur, plane, quamquam sonitum audierant, intelligerent. Re autem cognita, propere ad ar-

arma concurrunt, equitatu praemisso, a quo, praesidio Italicorum deleto, facile tormenta fuerunt occupata.

XXXII. Hoc cognito, Marchio, qui Mirabellum a Gallis timore desertum occupaverat, hostibus obviam venientibus, et frequentissima tela tormentis jaculantibus, rem jam non consilii esse, sed necessitatis animadvertens, Borbonium, atque Lanojum, qui cum equitatu constiterant, misso nuntio, de amissis tormentis certiores facit, utque sese praelio compararent, adhortatur, quemadmodum ipse necessario copias Mirabello ad dimicandum educeret. Idem paulo post acie instructa, animadvertens, Caesarianum equitatum ab hostili, qui multis partibus major erat, repulsum urgeri, utilissimo consilio Alfonsum Cordubam, et Quesadam praefectos, cum jaculatorum Hispanorum manu, subsidio mittit equitatui; quae manus Gallos equites a latere urgendo, multis dejectis, tantopere telis, strepituque conturbavit, ut gradum referre cogeret. Itaque Caesariani equites conversi, et magno impetu relati Gallos equites cedentes, donec prope castra ventum est, consectantur; tum vero praelio redintegrato, pro vexillo, cum quo Fernandus Rex equestrem suam familiam fraterno exercitui subsidio miserat, est acriter utrinque pugnatum, bis enim amissum, idemque bis receptum est a Caesarianis.

XXXIII. Interea Marchio, imperandi, et administrandi gratia, dimissa cum Vasti Marchione Hispanorum manu, ad Germanos, qui propius hostes erant, devenit, eoque, et Georgio cohortantibus, et antecedentibus, Germanorum acies genibus flexis Deum Christiano more, ut res feliciter eveniret, comprecata Hel-

vetiorum obviam phalangem adoritur, Hispanis jaculatoribus latera claudentibus, atque eminus rem gnaviter gerentibus; sed Helvetii, Caesarianorum primum impetum ferre nequeuntes, pedem referre coeperunt, moxque Germani hostes, qui sese Hispanis opposuerant, parvo negotio fusi ab eis, atque fugati sunt, ut erant scilicet sociorum fuga conturbati.

XXXIV. Eodem fere tempore, ex alia parte Antonio Leiva cum praesidio erumpente, fuga undique a Gallis fieri coepta est; et nostris insectantibus, multi concisi, plures in Ticinum amnem praecipitati perierunt. Carolus enim Alansonii Dux, qui cum equitibus quingentis primus omnium sese fugae mandavit, ut insectandi sui Caesarianis facultatem demeret, pontem ligneum, quo Galli Ticinum paulo infra Papiam commiserant, rescidit; ita cum plerique, factum ignorantes, fuga per pontem salutem peterent, alii alios impellentes, omnes in flumen praecipitabantur, et vi fluminis, ac timore obruti peribant. Multi etiam in fuga capti, et in his Rex ipse Franciscus, quem amisso exercitu, cum paucissimis equitibus fugientem, Jacobus Avila, et Joannes Urbieta Hispani equites paulisper insectati sunt, donec ad ponticulum quemdam nonnihil haerentem Avila consecutus, equum Regium gladio per locum neci opportunum adacto confodit, quo cadente, illi ad pedes desiliunt, et Franciscum, quem adhuc Regem esse nesciebant, ex ejus confessione cognitum, ex ephippio, ne cadens laederetur, exceperunt; cui Jacobus Avila gladium, Joannes torquem cum aurei velleris insigni in testimonium capti ab ipsis Regis ademerunt; mox tri-

tribus aliis equitibus invectis, et ab his, ut in societatem praedae, captique Regis admitterentur, postulantibus, Carolus Lanojus superveniens controversiam diremit, eosque se, prout quisque meritus esset, donaturum pollicitus, Regem abduxit.

XXXV. Capti etiam Almirallius, et Thomas Fusius, Galleatius Sanseverinus, qui ab officio et honore *magnus Scutifer* a Gallis dicebatur; praeterea Jacobus Cabanaeus, et alii multi proceres; nec hujus ordinis quisquam omnium effugit, praeter Carolum Alansonii Ducem, quem supra nominavimus. Magna praeterea turba Gallorum equitum capta, qui Germanorum parta etiam victoria saevientium iram metuentes, sese Hispanis, quorum mitior est humaniorque natura, et extra praelium a caedibus abhorrens, sponte dedebant, et commendabant, ne sic quidem valentibus nonnullis manus Germanorum effugere. Ex Caesarianis perpauci desiderati; Marchio Piscariae, dum inter primos versatur in praelio, quo Helvetii a Germanis fusi sunt, duas plagas, alteram leviorem in facie, alteram secundum ilia ancipitem accepit. His Carolus Madritium, ubi tunc agitabat, nuntiatis, quamquam victoriae nuntius ei non ingratus evenit, tamen quia cum multorum Christianorum caede parta erat, nullam ex more gratulationem publice fieri passus est, nec ipse laetitia exsultavit, sed gaudium moderate pro sua gravitate tulit.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER SEXTUS.

I. PRAELIO Papiensi, quo praelio Rex Gallorum Franciscus magno amisso exercitu captus est a ducibus Caroli Caesaris, et inde paulo post ad ipsum in Hispaniam perductus, diuturno bello, quo jam pridem Italia fuerat continenter vexata, finis factus esse videbatur. Quippe Gallorum fractis viribus, et opibus exhaustis, magnoque populis Italicis injecto terrore, nemo fore putabatur, qui contra Carolum toties in Italia victorem bellum movere animum induceret. Sed illa victoria, ut grata plerisque popularibus evenit, qui sibi longam ex ea quietem et tranquillitatem pollicebantur, ac ipsorum studia coepit ad pacem convertere, sic Italorum Principum, quibus erat potentia Caroli suspecta et formidolosa, animos solicitabat, et ad bellum, siqua ratione fieri posset, renovandum acuebat. Nam Clemens Pontifex Maximus tum aliarum rerum conscientia privatim exagitabatur, tum illud metuebat, ne si in pacatam Italiam coronarum gratia Carolus trajecisset, suam in Romano Pontifici subjectas, ac stipendiarias civitates auctoritatem minueret, et vectigalia deteriora face-

ce-

ceret, si non se omnino earum imperio depelleret, ob veterem illam Pontificum et Imperatorum de imperio Ecclesiastico controversiam: accedebat Florentinorum ratio, cui civitati tunc temporis Clemens idem oppressa libertate imperitabat.

II. Adventu igitur Caroli ne qua commutatio rerum exsisteret, Pontifex verebatur. Veneti sua consuetudine ac instituto ducebantur, qui Gallorum, ac vicissim Hispanorum augescentibus opibus in Italia studiose diligenterque solent suas vires opponere, et cum victis societatem inire, dum scilicet metuunt, ne non aliter possint imperium in Italiae Continentis urbes et oppida retinere, quam si neutrorum opes in Italia plurimum emineant; quod sibi a Carolo Caesare tanto magis verendum existimabant, quod quasdam in eo tractu Imperatoriae ditionis urbes a se tempore superiore per occasionem occupatas obtinebant, quas ne victricibus eisdemque justis armis Carolus repeteret, metuebant. His accedebat communis causa asserendae Italiae a dominatu, ut ipsi praedicabant, barbarorum, et quam solam, ut pote omnium maxime et speciosam, et ad popularium animos concitandos efficacem, suis conatibus Pontifex et Veneti praetendebant; quibus causis, cum sua ipsi sponte solicitarentur, tum admonitione et hortatu Alberti Pii Carporum Comitis, viri facundi, et acri ingenio, magnopere accendebantur, cujus propter plurimum rerum usum, et veterem nobilitatem, singulari doctrina cumulatam, non mediocris erat apud Principes auctoritas. Hic enim non modo Gallorum communi causa, quorum res a Francisco Rege legatus apud Pon-

Pontificem Romae procurabat, sed suo quoque nomine Italicis Caroli successibus infensus erat, propter Carpensem principatum, quo principatu fuerat a Caesarianis dejectus, et dum Clementem Pontificem Venetosque ad bellum cohortaretur, Gallorum animum, atque opes in societatem belli deferebat; nec enim haec ignara Ludovica Galli Regis matre, aut praeter voluntatem ejus administrabantur.

III. Re igitur per hunc et Venetorum legatum Romae cum Pontifice occultis consiliis agitata, placuit communi consilio, Henricum Britannorum Regem ad amicitiam et belli societatem invitare, quem alienum a Carolo animum gerere constabat propter injuriam neglectae filiae, quam Carolo citra legitimam, et maturam aetatem cum spopondisset, non ille quidem neglexit, sed justis de causis Isabellae Portugalliae Regis Emanuelis filiae posthabuit. Propter has igitur causas sua sponte Carolo succensentem Regem Britannum Pontifex ac Veneti missa legatione, quibuscumque rationibus possunt, in Caroli odium atque invidiam incendunt, nec privatarum modo injuriarum admonent, sed etiam commune periculum proponunt, nisi communibus armis eatur obviam Caroli Caesaris in dies augescentibus opibus, qui recente de Gallis victoria, ipsorumque Rege capto, usque adeo sublatus esset, magnis spiritibus sumtis, ut in omnia Christianorum Regna animum adjecisse videretur: rogare, ut ad insolentiam Caroli cohibendam et iniquos conatus reprimendos, societatem secum ac foedus sanctissimum iniret: facile fore ipsorum atque Gallorum, quibus eumdem animum atque con-

consilium esse docent, collatis viribus, Carolum ad justitiam aequabilitatemque compellere, ac revocare.

IV. Hac audita legatione, Rex Henricus conditionem accepit non gravate, statimque legatum cum liberis mandatis mittit, qui Romae cum Pontifice, et Gallorum Venetorumque legatis foedus et amicitiam suo nomine sanciret. Foedere, quam potuit, occultissime percusso, ne si res Carolo fuisset enuntiata, pax, de qua tunc maxime, et liberatione Regis in Hispania tractabatur, impediretur, Regem Gallum per occultum nuntium de facta conspiratione certiorem faciunt, cohortanturque, ut pacem cum Carolo quibuscumque conditionibus faciat, nullam fidem, nullum jusjurandum, nullos obsides dare recuset, modo se vindicet in libertatem, facile fore jurisjurandi veniam a Pontifice Maximo, principe conspirationis, qui hanc ipsam veniam ultro deferat, impetrare, et obsides a Carolo per vim et metum extorquere. Nam bello communibus armis illato, victoriam esse in expedito, ut Carolus ad accipiendas conditiones, quas ceteris dare moliretur, cogi possit, magno pacem emturus, si velit Regna vel avita retinere. Tali cohortatione, non solum a justitia et proborum virorum consuetudine, sed etiam a jure gentium abhorrente, Francisci Regis animus ad fraudem et honesti ac boni contemtum facile impulsus est, ad alias stimulantes causas auctoritate Clementis Pontificis accedente.

V. Clemens igitur, et Foederati, iis, quas diximus, rationibus urgentibus, res ad bellum necessarias comparare incipiunt. Quae licet ab eis, quam occulto fieri poterat, administrarentur, ne tamen ipsorum consilia Caro-

rolum Caesarem diu laterent, fecit eorumdem nimia solicitudo ac diligentia nihil inexpertum relinquendi, quod ex usu fore ad perficienda conata videretur. Quippe Fernandum Avalum Piscariae Marchionem, magni animi virum, et rerum gestarum gloria clarum, qui, absente Carolo Lanojo, summam imperii in exercitum Caesarianum tenebat, ad defectionem solicitare inutili consilio constituerunt, cum eum non ita bono animo esse in Carolum Caesarem existimarent, propter dolorem celati consilii de Rege Gallo in Hispaniam traducendo. Nam Carolus Lanojus, quem pro Rege Neapolitanam rem administrare, et summam imperii in exercitum Caesarianum tenere supra demonstravimus, a Carolo Caesare, quid fieri vellet, per litteras edoctus simulat se velle captum Regem Neapolim deducere, ut procul a Gallia in arce munitissima urbis pacatae parvo praesidio tutissime custodiretur, et per hanc speciem ipsum Genuam adducit, inde tutiore ac expeditiore, quam pedestri via, Neapolim, ut videri volebat, navigaturus; re autem vera, ut comparata classe, Regem id ipsum magnopere cupientem, ut coram, aut certe propius cum Carolo Caesare de sua liberatione transigere posset, in Hispaniam transportaret. Quod ubi Marchio rescivit, qui victoriam de Rege suae potissimum industriae, virtutique deberi sibi conscius erat, dum vel se contemtum, vel suam fidem damnatam eo facto interpretaretur, magno dolore affectus est, atque ira incensus, statim per litteras de insigni Lanoji in se, gravique injuria cum Carolo Caesare vehementer conquestus est, sed ita ut tota querela in Caesarem ipsum magis

gis intendi videretur: non ea esse officia, quae multis annis ipse per summos et continentes labores, ingentiaque pericula Regibus Hispaniae praestitisset, non ea documenta fidei, ut spernendus esset a Carolo Lanojo, aut fidei parum integrae damnandus, occultando consilium de Rege in Hispaniam traducendo; quod si factum esset illius privato consilio, nec recte ipsum, nec pro bono fecisse: sin jussu Caesaris, qui se non eum judicaret, cui secretum, atque id generis consilium recte committeretur; ab ipso petere, ne cujus fidem haberet suspectam, hujus opera in bello administrando, et summis rebus uteretur: missionem daret, ut sibi liceret ipsius voluntate aliquo secedere, ubi tam procul a sinistra suspicione, quam a bellicis tumultibus, quod reliquum esset aetatis ageret.

VI. Ad haec Carolus respondit, omnia Lanojum suo jussu administrasse, nec Marchionem propterea debere se vel neglectum, vel minus fidelem habitum existimare, cujus virtus et industria multis et magnis documentis cognita fuisset, et fides perspecta; sed negotium sibi placuisse non pluribus citra necessitatem, sed uni tantum committi, ut res, quam occultissime fieri posset, administraretur.

VII. Hoc responso accepto multum Marchionis ira deferbuit; quod licet Pontifex Venetique non ignorarent, tamen ferocem animum re vehementer accensum, nullis verbis ad aequitatem, lenitatemque rediisse rati, sic cum eo per Hieronymum Moronum Ducis Mediolanensis intimum et consiliarium egerunt: sibi esse in animo, siqua ratio iniri possit, Italiam a crudeli dominatu et intolerabili avaritia barbarorum in libertatem as-

asserere; de quorum in Italos animo, fideique eorum in se opinione si non aliunde Marchio didicisset, tamen domestico, suoque exemplo potuisse nuper edoceri, cum de transvehendo in Hispaniam Gallorum Rege tam diligenter fuisset a Carolo Caesare celatus propter suspectam ipsius, ut ceterorum Italorum, fidem; qua barbarorum suspicione Itali, siqua ratio dignitatis haberetur, satis sui officii admoneri possent; nam cui dubium esse, suspicionem illam ex timore barbarorum ortam, ne Itali resipiscant aliquando, et vires suas orbi reliquo, adsit modo concordia, non tolerandas agnoscant, et memores veteris majorum gloriae unanimes ad arma concurrant, et Italiam, ab ipsis barbaris servitute oppressam, vendicent in libertatem? haec cum ita sint, non esse bonis ac fortibus viris committendum, ut Patriam ipsorum fidem tacitis gemitibus implorantem deserant, praesertim siqua occasio rei bene gerendae sese ostendat, quam occasionem tunc putarent planam et expeditam adesse; nam complures Italiae populos, et eos potentissimos, paratos esse Patriae cunctis opibus atque viribus hoc summae pietatis officium adversus barbarorum crudelitatem praestare, sed duce ipsis atque imperatore opus esse, qui bellum administraret, quod munus quoniam Marchio cunctis videretur optime omnium praestare posse, rogare, ne in tam praesenti occasione, et tanta universae propemodum Italiae conspiratione Patriae suum officium impartiri gravaretur: quod non esset sine magno emolumento facturus, sed, exactis barbaris, praemium suae virtutis consensu Italiae Regnum Neapolitanum accepturus.

VIII. Ad haec Marchio, fidei ac officii memor, ita

ta-

tamen respondit Legato, ut non parum et oratione motus, et pollicitis captus esse videretur; sed rei magnitudine ac difficultate deterreri, ut, spe defectionis injecta, cuncta Pontificis consilia commodius exploraret, qui socii conspirationis essent, qui belli apparatus, perdisceret. Curam esse, dixit, perofficiosam, et laborem honestissimum, et nemini viro probo recusandum, quicumque pro Patriae libertate susciperetur: sed bellum parari difficillimum, et, nisi maximis opibus administraretur, frustra, atque adeo tam florentibus Caroli rebus cum auctorum magno periculo futurum.

IX. His auditis, Moronus, ut in mandatis habebat, existimans voluntati Marchionis nihil aliud, quam rei difficultatem obesse; ut eam expeditissimam esse demonstraret, socios nominat conspirationis Pontificem, Venetos, Florentinos, et Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem ex Italis, praeterea Henricum Britannorum Regem, regnumque Galliae; nam contra barbaros commodum esse barbarorum opibus abuti, ut potentioribus Italia pulsis ceteri bello attriti facilius excludantur. Ad ea Marchio commodius tanti momenti negotium domi tractari posse cum dixisset, discesserunt; haec enim Mediolani in area, quae est ante arcem, inambulantes sunt collocuti. Marchio vero, qui gloriam virtute et claris facinoribus partam in discrimen adducere, et Caroli Caesaris multis et magnis officiis collectam gratiam effundere nolebat, certam rem dubiae spei, et incertis Italorum pollicitis posthabere dementis esse judicavit. Itaque eodem die legationem ad se perlatam omnemque Moroni orationem Antonio Leivae, cujus maxima e-

rat secundum ipsum inter Caesarianos duces auctoritas, exponit, ne celato consilio in animi, fideique in Carolum Caesarem dubiae suspicionem incurreret; rursusque, ne comminisci, aut fingere aliquid ad fidei ostentationem videretur, rationem inire constituit, ut idem Antonius Moronum ipsum eisdem de rebus secum agentem ac disserentem audiret.

X. Ad diem igitur colloquio dictum cum Moronus adesset, hunc Marchio in cubiculum, ubi post stragula aulaeaque Antonius occultabatur, inducit, submotisque arbitris, pristinum legationis, mandatorumque sermonem repetunt; et Marchione diligentius ex industria de rebus omnibus percontante, et Morono referente, ex ore hujus Antonius omnia Pontificis Venetorumque molimina et mandata cognovit. Ad ea sic respondit Marchio, ut conditionem haud prorsus aspernari videretur, se tamen ad deliberandum de re tanta spatium sumturum esse dixit.

XI. Ad hunc modum de conatibus Foederatorum edoctum Antonium Marchio in consiliorum societatem adsciscit, ac Carolum Caesarem de cunctis rebus per litteras certiorem facit, et quid fieri velit, exquirit. Ille, fide prudentiaque Marchionis laudata, pergere eum jubet spe defectionis animum Pontificis eludere, ac omnia consilia Foederatorum explorare, et praecipue Franciscus Sfortia quid moliatur, observare, hunc enim, tanto suo beneficio nuper devinctum, falso inter conjuratos nominatum putabat.

XII. Reverso ad diem Morono, et quid Marchio statuisset, exquirenti sic ille respondit: in ea provincia,

cia, quam sibi Pontifex dare cogitaret, suscipienda se Patriae studiosissimum minus fuisse dubitaturum, si foret modo sua, et ceterorum Italorum eadem conditio et causa; sed quod aliis fortasse gloriosum esset, qui nullo auctoramento Carolo Caesari obligati essent, id sibi, cujus ille fidei tanta rerum momenta credidisset, non videre quomodo non sit infamiae ac dedecori perduellionis nomine futurum. Nam si honeste id facere posse doceatur, nihil in se fore vel morae, vel cunctationis ostendit. Hoc responso accepto, Pontifex fallacibus quibusdam, sed a juris specie ductis argumentis Marchioni persuadere nititur id facinus ab ipso pie atque sancte patrari posse.

XIII. Dum his de rebus nuntiis, atque litteris ultro, citroque mittendis tempus extrahitur, etsi pleraque conjuratorum consilia Marchio perquirens cognoverat, statuit tamen Hieronymum Moronum capere, ut per hujus indicium cum aliorum, tum maxime Sfortiae Ducis consilia certius ac perquisitius cognosceret, simulque ceteris ducibus atque praefectis fides fieret, nihil se vani ad eos de conspiratione retulisse. Re igitur cum Antonio potissimum communicata, et ad Subalpinas regiones Salutias et Astam, copiis, quae diversae agebant, evocatis, et proprius Mediolanum considere jussis, Hieronymum Moronum per speciem de re communi colloquendi missis litteris Novariam accersit; huc enim ipse secesserat lento morbo implicitus, quo tandem absumtus est, porrecto scilicet, ut suspicio fuit, Foederatorum opera, posteaquam de animo ejus desperarunt, veneno, et paulatim proficiente. No-

Va-

varia igitur rediens Moronus jussu Marchionis ab Antonio capitur, militibusque custodiendus datur, a quo, intentatis tormentis, conjuratorum consilia planius, et apertius indicata.

XIV. Ad nuntium capti Moroni Dux Sfortia magno timore perculsus Jacobum Philippum Saccum jure consultum purgandi sui causa ad Marchionem mittit, cujus oratione, nec prorsus accepta, Marchio, nec plane rejecta, suam tamen operam, utcumque res esset, liberaliter pollicitus, per eumdem Jacobum Philippum a Duce petit, ut sibi arces omnes munitioraque oppida tuenda tradat, ut in ea temporum perturbatione tum exercitus Caesarianus, tum Mediolanensis Principatus tutior sit ab eorum injuria, qui in Carolum atque ejus exercitum conspirassent, quemadmodum adhuc idem Principatus Caroli Caesaris praesidiis adversus hostium violentiam fuisset asservatus; nec enim esse, quod Sfortia dubitaret, quin oppida et arces, ut nunc traderet, sic bello confecto, aut belli suspicionibus sublatis, esset a Carolo recepturus, cum illi suam in eum voluntatem atque fidem, quae in suspicionem, vanam scilicet, ut ipse confirmaret, fuisset adducta, probavisset. Haec postulata Sfortiae nimis dura et periculosa visa sunt; animadvertens tamen omnia Pontifici, atque belli sociis imparata esse, et se suis opibus non posse cuncta oppida contra vires Caesarianorum tueri, statuit, praeter Mediolanensem, Cremonensemque munitissimas arces, cuncta in Marchionis potestatem permittere; quibus traditis, Marchio munitissima quaeque praesidiis firmavit, et ad Sfortiam, qui jam pridem conscientia et timore ductus in

ar-

arcem Mediolanensem sese receperat, denuntiatum mittit, ut nisi haberi vellet hostis loco, illas quoque duas arces, ad bellum impendens propulsandum opportunissimas, sibi traderet, easdem cum ceteris omnibus, confecto bello, recepturus.

XV. Ad haec Sfortia respondit: mirari sese quid causae Marchionem huc injuriarum impulisset, ut se nihil tale meritum omni dignitate ac fortunis, praeter Caroli voluntatem, spoliare vellet, nam ea se scire injussu Caroli Caesaris administrari: cetera omnia se Marchioni tradidisse, ne voluntati ejus abnueret, affirmantis hoc ad Caroli Cesaris, atque ejus exercitus rationes pertinere, duas dumtaxat arces ad sui, suorumque munimentum et habitationem reliquisse; has quoque sibi eripere velle iniquum esse, et inhumanum; eas igitur, nisi Caroli voluntate perspecta se nemini esse traditurum; quod si a Carolo, cujus liberalitate Principatum accepisset, fuerit per chirographum his quoque arcibus excedere jussus, quamvis nullius criminis in eum admissi sibi conscius esset, nihil tamen in se nec morae futurum, nec cunctationis pollicetur. Hoc responso accepto, Marchio negotium Gaspari Frodespergo dat, ut cum Germanorum, quibus praeerat, tribus millibus Mediolanensem arcem obsideret. Cremonam vero mille Germani, et Hispani quingenti ad oppidum occupandum, et item arcem obsidendum missi.

XVI. Interea Rex Gallus, Pontificis et Venetorum nuntio, ac pollicitis excitatus, et ad spem fortunae secundioris erectus, pacem cum Carolo utcumque facere maturat, quae his potissimum conditionibus convenit: primum

mum omnium ad omnes bellorum causas tollendas, ut Rex jure cederet, quod jus se habere videri volebat, tum in Regnum Neapolitanum, tum in Ducatum Mediolanensem, quod se Galli armis persequi jactabant, quoties bello Italiam infestarent. Deinde, ut omnes, qui utrinque bellis superioribus capti fuissent, liberarentur, et quicumque partes secuti solum vertissent, non ad Patriae modo, sed etiam ad opes et Principatus, si quibus spoliati essent, restituerentur. Tum Rex, accepta in matrimonium Leonora, Caroli sorore natu majore, quae fuerat Emanueli Regi Portugalliae nupta, partem eam Galliae, quae nunc Burgundia dicitur, Carolo redderet, non tam nova lege, quam hereditario, antiquoque jure repetenti. Cujus antiqui juris rationem, non erit huic loco alienum paucis verbis explicare.

XVII. Carolus Quintus Rex Gallorum, qui *Prudens* fuit cognominatus, Philippo, fratruum natu minimo, Burgundiae Principatum jure perpetuo tradidit. Philippus Margaritam filiam unicam Ludovici Flandriae Comitis in matrimonium duxit, ex eaque Joannem filium procreavit. Hic Philippum genuit, Philippus Carolum, qui *Bellator* cognominabatur. Carolus, dum Lacejum oppidum obsideret, cui Renatus Lotharingiae Dux imperitabat, ab eodem Renato praelio lacessitus occubuit, qua occasione usus Ludovicus Rex Gallorum Burgundiae Principatum per vim, et injuriam occupavit, exclusa Maria Caroli filia, cujus erat jus hereditarium. Haec Maximiliano nupsit, Federici tertii Imperatoris filio, qui et ipse fuit Imperator, et ex eadem Maria Philippum genuit, patrem Caroli Caesaris, in cujus pote-

testate Franciscus Rex Gallorum erat praelio Papiensi captus. Jure igitur Carolus idem Burgundiam pacis conditione repetebat.

XVIII. Jus autem, quo Galli Reges Mediolanensem Principatum bello repetebant, et quo Franciscus Rex Carolo Caesari hoc in foedere decessit, erat hujusmodi. Ex familia Vicecomitum, qui diu Mediolanensem Principatum tenuere, Joannes Galleatius primus omnium Ducis titulo auctoritate Venceslai Imperatoris Mediolano imperitavit. Is duos filios Joannem, et Philippum, qui sine liberis decesserunt, et Valentinam filiam procreavit. Hanc Ludovicus Caroli Sexti Gallorum Regis frater in matrimonium duxit; ex quo matrimonio Carolus natus est, pater ejus Ludovici, qui hujus nominis Duodecimus Regnum Gallorum tenuit, et Joannem Francisci Regis avum, Henrici vero, qui nunc rerum Gallicarum potitur, proavum genuit. Ceterum Franciscus Sfortia Jacobi nothus filius, vir nobilissimae familiae, et bellicosus, Philippi Valentinae fratris notham filiam uxorem duxit, cujus matrimonii occasione Mediolanensem Principatum invasit, et moriens Ludovico filio tradidit Maximiliani, et saepe a nobis memorati Francisci patri, qui omnes Duces Mediolanenses fuerunt.

XIX. In ceteris igitur rebus, quae per datam fidem et jusjurandum verbis scilicet erant peragendae, facilem sese Gallus in accipiendis conditionibus praebuit, ut nihil praestare cogitabat; de Burgundia vero tradenda modis omnibus tergiversabatur, et, quod ipse fieri nolebat, in eo se consensu Gallorum impediri simula-

bat. Etenim Gallorum conventus, cujus publico consilio et auctoritate Regnum administrabatur, in eo perstabat, ut erat a Francisco Rege per occultos nuntios imperatum, nequa vel minima pars Regni, nisi a praesente Rege, qui libere arbitratuque suo posset de suis rebus statuere, distraheretur. Quibus difficultatibus objectis, diu cum fuisset res agitata, constitutum est tandem, ut Rex duos filios Franciscum stirpis maximum, et huic aetate proximum Henricum, fidei, jurisque jurandi obsides daret, se accepta libertate Burgundiam intra duos menses Carolo traditurum; aut si fuisset a Gallis, quominus fidem praestaret, impeditus, in Hispaniam, Carolique potestatem reversurum. Quae Gallorum recusatio rem in tempus, quo Rex fuisset liberatus, in Galliamque reversus, extrahentium plerisque eorum suspecta erat, quos Carolus in consilium publicasque Regni deliberationes adhibebat: ipse tamen, nonnullis reclamantibus, hanc conditionem vicies centum millibus nummorum aureorum, quos numerare Rex paratus erat, praetulit, ut non tam libertatem Regi, cui sororem matrimonio conjungeret, vendere, quam ab eodem, quod esset jure suum, per mutuum beneficium recipere videretur.

XX. Datis igitur obsidibus, Rex liberatur, in Galliamque revertitur; quod vix dum erat Romam nuntiatum, cum Pontifex foedus, et societatem cum legatis, de quibus supra diximus, retractat, confirmatque; et misso ad Regem legato, de recepta libertate gratulatus admonet, ut qui corporis Regno integro, et incolumi recepisset, idem animi libertatem, siquam amisisset, reciperet,

ret, quo liberius dignitati, commodisque suis, et Regni bono publico consuleret: quae quis hosti temporibus adductus in custodia per vim, aut metum promisisset, non esse in his praestandam fidem: qua in re, ne forte impeditus religione timidius ageret, se illum jurejurando, si quod forte Carolo ad suam fidem adstringendam dedisset, auctoritate Apostolica liberare; proinde, quasi re integra nullo jurejurando, nulla fide data, fortiter de suis rebus statueret. Multa praeterea in hanc, ut gentium, sic Divino juri adversam sententiam mandatis per epistolam addit, omnia persecutus, quibus ille ad negligendum jus gentium fallendamque fidem perduci posse videretur.

XXI. Talibus monitis Rex, cui cedere Burgundia instar mortis videbatur, confirmatus, se vero respondit pro tanta in se benevolentia, et humanitate ingentem gratiam Pontifici Maximo, ac Foederatis habere, et eorum consilia, justitiae ac prudentiae plena, de causa publicae libertatis suscipienda etiam atque etiam probare. Nec enim tolerandam esse superbiam, et arrogantiam, quam sibi Carolus ex superiore victoria, qua ipse fortunae iniquitate fuisset superatus, sumsisset, qui se invitum in tam iniqua pacta compulisset, ut nihil aliud, quam occasionem eumdem se totius Galliae imperio dejiciendi quaerere videretur; nec esse difficilem conjecturam, quid in ceteros Principes Christianos ac Respublicas moliretur; se hoc esse animo, semperque fore, ut in propulsandis violentorum injuriis nec sibi defuturus sit, nec amicis; quare, quae Albertus Pius, suus legatus, vir prudens, ac boni publici studiosus, suo, vel

matris nomine pactus esset, ratum habere, quaeque in posterum pacisceretur, habiturum. Ita foedus certis conditionibus factum, quarum summa fuit, ut bellum communibus armis atque sumtibus tamdiu administraretur, donec omni Italia, ejusque Regno Hispani, Caesarianique exigerentur; his autem depulsis, sive deletis, ne Gallo quidem Regi ullum esset in Italos imperium, sed annuis tributis esset contentus aureorum millium quinquaginta, quae ipsi a Duce Mediolanensi, septuaginta vero, quae a Rege Neapolitano, Italorum suffragio deligendo, penderentur.

XXII. Interea Fernandus Avalus Piscariae Marchio, morbo invalescente, postridie Kalendas Decembris interiit; in cujus locum, qui ei proximi erant apud milites auctoritate, Antonius Leiva, et Alfonsus Avalus Vasti Marchio successerunt. His non solum arcis Mediolanensis obsidio urgenda, sed etiam intra urbem cum oppidanis pugnandum erat; qui oppidani ante menses aliquot exactiones et injurias Caesarianorum non ferentes ad arma concurrerant, et domum, qua Vasti Marchio diversabatur, oppugnaverant, atque eo tempore, tot Principum ac gentium conspiratione animos addente, majore et impetu, et consensu Caesarianos adorti sunt; hinc tumultus initio ducto. Dum bello necessaria a Foederatis comparantur, copiaeque conveniunt, Antonius Leiva hominem quemdam idoneum, qui Mediolanensium animos solicitaret, ab hostibus fuisse missum, certior litteris amicorum factus est, et, quibus ille notis dignosceretur, edoctus; quare hoc animo sero diei domo egreditur, sexaginta circiter jaculatoribus stipatus,

tus, ut hominem, si forte nactus esset, comprehenderet, aut de medio tollendum curaret. Ad portam novam progressus, dum oculis cuncta lustraret, in magna popularium turba hominem conspicatus agnoscit, et ad se vocari jubet; ille timore et conscientia perterritus, dum se auxilio popularis multitudinis periculum effugere posse putat, venire renuit; cumque in eo perstaret, jussu Antonii a militibus interficitur.

XXIII. Eo facto conciti Mediolanenses, ut erant jam pessime animati, tollendos esse de medio Caesarianos inclamantes ad arma discurrunt. Hoc animadverso, Antonius, et, qui se illi conjunxerat, Vasti Marchio propere domum, ut necessaria ad defensionem compararent, revertuntur. Milites autem jaculatores, scloppetis scilicet armati, cum Ferrera praefecto sic procedebant, ut alii tela in objectam per vias turbam, alii in fenestras, ne superne laederentur, intenderent. Postquam eo ventum est, ubi Antonius, et Vasti Marchio diversabantur, quae domus erant ad portam Comanam, carris, cuppisque objectis reliquas vias, paucis ad singulas dispositis jaculatoribus, obsederunt; quae vero latissime omnium patebat, in hac tormenta duo collocarunt, juxtaque Antonius, et Marchio, et milites Hispani, qui ad urbem erant numero omnes circiter centum, constiterunt; oppidani ad campanae bombum, quo populus ad arma vocari consuevit, nullam fere noctis ejus partem intermissum, undique exciti frequentissimi, probeque armati convenerunt, et quarta vigilia per viam, de qua diximus, latissimam magno impetu adorientes Hispanos oppugnare aggrediuntur. Illi vero, igne

gne admoto, et tormentorum telis emissis, in oppidanos, paucorum caede et tormentorum fragore conturbatos, scloppetis et hastis irruentes facile repulerunt, et fugientes non nihil insectati ad tormenta sese receperunt; quibus tormentis rursus pulvere telisque instructis, parati ad obsistendum, si amplius lacesserentur, exspectabant.

XXIV. Eodem tempore Sfortia Dux, quemadmodum constitutum erat, per litteras, quae sagittis ad certa loca in arcem et ex arce, ut postea compertum est, emittebantur, custodes emittit, qui magno impetu obsidentes Germanos adoriuntur, oppidanis simul impugnantibus a Vercellina porta; sed hi quoque Germanorum virtute, qui numero erant ad tria millia, cum detrimento repulsi. Ubi dies illuxit, Mediolanenses, qui re frustra tentata, exercitum non longe per oppida dispertitum metuentes cedendum esse tempori judicabant, blanda oratione ducum animos placare constituerunt. Itaque principes civitatis ad duces coëuntes, multa purgandi et deprecandi gratia dixerunt; sed exitus orationis fuit, nihil factum fuisse publico consilio, sed adolescentium quorumdam furore, et caecitate tumultum excitatum; precari, ne paucorum temeritas apud eos sit omnibus fraudi, atque, civitati in Caroli Caesaris, ipsiusque praefectorum potestate futurae ignoscatur, postulare. Ad haec duces, licet, ea quo animo dicerentur, intelligerent; tamen, ut quacumque ratione tanta multitudo quiesceret, ac in officio contineretur, ignoscere sese responderunt; sed his conditionibus: primum, ut peregrinos omnes, quicumque ab hostibus subornati ci-

vi-

vitatem solicitandi gratia missi essent, urbe depellerent, ac prohiberent: deinde, ut dato jurejurando, imperata Caroli Caesaris ipsiusque ducum facere pollicerentur: tum, ut arma cuncti deponerent, et in unam, duasve domos conferrent. Quarum conditionum primam nihil morati, secundam graviter quidem, propter fidem Francisco Sfortiae datam, acceperunt tamen, de tertia cum pertinacius recusarent, ne cujusquam injuriae cum periculo et infamia opportuni redderentur, constitutum est, ut arma domi suae quisque deponerent, siquis autem armatus domo exivisset, impune occideretur. Ceterum Caesarianae copiae partim evocatae, partim ad nuntium tumultuantis civitatis excitae, sponte sua Mediolanum confluxerunt, irrumpentesque viam ab armis cognominatam, qua plurimae sunt armorum officinae, atque tabernae, et tunc erant refertissimae, diripuerunt, vixque ducum auctoritate atque etiam precibus cohibiti, ab universae urbis direptione temperarunt.

XXV. Jam septimum mensem Franciscus Sfortia in arce obsidebatur, adveneratque dies octavus Kal. Julii, qui fuit annus Christi nati millesimus quingentesimus vigesimus sextus (hic enim dies initio belli faciendi fuerat constitutus); cum Pontifex et Veneti, habito militum delectu, Galli Regis, quem obsidum ratio et spes commodioris conditionis tardabat, copiis non exspectatis, suas mittere constituunt, ut Ducem solverent obsidione, quem certis significationibus ad extremam cibariorum inopiam redactum esse intellexerant, reclamante Alberto Pio (dum sic Regis etiam commoditatibus consultum iri putat) non esse ad arma sine Gal-

ANN. M.D.XXVI.

Gallorum copiis progrediendum, ne Regi alieno periculo fruendi, et se in commune malum Italici belli spectatorem praebendi occasionem, facultatemque darent; rem frustra fore, si minoribus viribus, apparatuque susciperetur. Sed hujus monitis, cunctisque consiliis ratio subveniendi Francisco Sfortiae, atque arcis Mediolanensis obsidione solvendae potior visa, quippe arx Italiae munitissima, firmissimaque, si in manus hostium pervenisset, plurimum ipsorum inceptis atque conatibus obfutura videbatur. Franciscus igitur Maria Urbinatum Dux, qui copiis Venetorum praeerat, et Joannes Medices Pontificiae manus praefectus, exercitum inducere, et Francisco Sfortiae primo quoque tempore subsidium ferre jussi.

XXVI. Sed Clemens Pontifex, ne bellum non indixisse, aut sine justis causis suscepisse videretur, eodem tempore ad Carolum epistolam mittit, in qua sui consilii rationem exponit, multa sua in Carolum merita, officiaque amicitiae commemorat, injurias sibi ab eo, ipsiusque ducibus et militibus illatas, foedera violata proponit; praeterea totius Italiae Regnum affectatum, et publicam Christianorum pacem perturbatam; a quibus ipse injuriis, injustisque conatibus ut Carolum averteret, quoniam frustra precibus adnixus esset, nec adhortationibus et monitis quidquam profecisset, necessario se ad arma compelli; quae sola ratio intolerabiles injurias a se et Italia propulsandi superesset: quoniam igitur invitissimus ad arma procederet, iterum atque iterum rogare, ac per Deum immortalem obtestari, ut immoderatis, non tam suis, quam suorum cupiditatibus

bus aliquando modum imponeret, neve publicae Christianorum quieti consulere, ad aequasque pacis conditiones descendere gravaretur; id non modo boni publici, sed etiam Caroli humanitatis atque officii rationem postulare; id ejusdem tum commodis, tum etiam famae multo fore accommodatius.

XXVII. Has litteras Clemens Balthasari Castilioneo, qui titulo Apostolici *Nuntii* ipsius apud Carolum legatione fungebatur, reddendas mittit. Sed tertio post die, cum liberiore animo, quae scripserat, retractasset, et falsas criminationes et querimonias, quibus epistolam compleverat, poenitentia et pudore ductus temperandas esse statuisset; alteram epistolam mittit aequiorem et moderatiorem perpaucis verbis in eamdem sententiam, sed calumniis ex parte sublatis scriptam, et ad Balthasarem conscribit, ut priorem illam epistolam, si nondum esset reddita, supprimeret, mandataque addit ad querimonias pertinentia, quibus posteriorem subsequatur.

XXVIII. Sed jam ille priores litteras reddiderat Carolo, qui non ferens iniquas et callidas Pontificis querelas, et injustas criminationes, longa quadam epistola singulatim ad objecta respondit; sed cujus summa fuit, ut calumnias dilueret, calliditatem detegeret, atque refelleret; „Nullo se loco beneficiis a Clemente fuisse su-„peratum docet; quidquid ab illo in se profectum fue-„rit, hoc hujusmodi fuisse, ut non minus ad ipsius Cle-„mentis commoda, quam ad rem suam pertinere vide-„retur; se foedera cuncta sanctissime servasse, publicae „Christianorum paci, et tranquillitati semper studuisse, „bellum numquam, nisi provocatum, et ad injurias re-

„pellendas suscepisse demonstrat. De perturbatione publicae pacis Christianorum mirari sese Pontificem posse „eo tempore mentionem facere, quo ipse, rebus quietissimis, Principes Christianos atque nationes ad bellum „solicitasset, et Regem Gallum ad modo facta foedera „rumpenda violandamque fidem et jusjurandum ultro data venia fuisset cohortatus: quod consilium, atque factum a quo tandem minus exspectari oporteret, quam „ab eo, qui Christi Vicarium in terris agat, quique omnium maxime pacis auctor esse, et publicae quieti omnes rationes posthabere debeat? Quod se ad pacem „cohortetur, nihil sibi potius, nihil optatius esse publica concordia. Discedat ipse foederatique socii ab armis in suum malum suorumque perniciem sumtis, et „tunc se nullas conditiones pacis aequas modo recusaturum ad compositionem concordiamque vocent. Sed si, „verbis pacem ostentantes, bellum iidem gravissimum facere non desistant, se quoque rebus suis, quam commodissime poterit, consulturum. Ad haec, quoniam „nemo tunc esset, qui ipsorum controversias jure posset atque legibus minuere atque dijudicare, nisi Clemens acceptis suis justissimis excusationibus a bello „desisteret, se futurum sacrum generale Concilium appellare; quod, ut tam necessario religionis ac reipublicae Christianae tempore pro suo officio ac pietate „quam primum indicere ne gravetur, orare sese ac per „Deum immortalem obtestari; quod si ab eo non impetraverit, se hac obtestatione atque legum auctoritate, „cum res poscet, usurum, nec remedium publicorum malorum neglecturum". Harum epistolarum mentionem hoc

mi-

mihi magis faciendam esse putavi, quoniam omnes fuerunt excusae, et in vulgus editae, dum uterque suas rationes atque consilia cunctis hominibus probata cuperet.

XXIX. Interea Franciscus Maria, Dux Urbinas, Venetorum copias, quibus cum summa potestate praeerat, Padum traducit, Laudemque Pompejam, quod oppidum magnam facultatem ad bellum Mediolanense habere videbatur, Italico dumtaxat praesidio teneri animadvertens, conandum sibi statuit, siqua ratione posset oppido, corruptis custodibus, potiri. Submissis igitur, qui quorumdam animos tentarent, haud difficile fuit in tanta Italorum conspiratione quosdam adducere, quorum princeps fuit Ludovicus Vistarinus Laudensis domi nobilis, qui ordinem ducebat in praesidio Caesariano. Nec prius dolum sensit Fabricius Marramaldus, praesidii praefectus, quam urbs ab hostibus teneretur, trecentis primum per murum, qua parte Vistarinus cum suis manipularibus excubias habebat, noctis silentio receptis, deinde ab his refracta porta reliquis militibus, quibus Joannes Paulus Monfronus praeerat, immissis. Ita nec opinato custodibus, qui in fide manserant, oppressis, Fabricio ipsi vix data facultas, ut nudus, uti somno sese dederat, brachioque sclopperi telo confosso in arcem cum paucis sese reciperet.

XXX. Hoc Mediolanum eadem nocte nuntiato, Vasti Marchio postridie cum parte equitatus et expeditis subsidio venire properat, et viginti millium passuum itinere confecto, prima vespera pervenit. Hi per portam, quae est ad arcem, immissi in area proxima

certamine commisso hostes per duas latiores vias ad forum usque propulerunt, tum hostes tormentis, quae ad capita viarum disposita erant, rem gerentes, et sclop-petis omnique ratione propugnantes illorum impetum sustinuerunt; quibus rebus et hostium multitudine per-motus Marchio cedendum esse urbe existimavit, suis-que reductis, et qui subsequebantur, redire jussis, Me-diolanum revertitur, arcis etiam, quae nullis erat com-meatibus instructa, praesidio praeter paucos, qui vul-neribus acceptis ad eam confugerant, deducto. Horum fuere Philippus Ferrera et Franciscus Marrochinus, quos Marchio discedens, ut arcem, si fieri posset, tantis-per, dum ipse postridie cum omnibus copiis reverte-retur, custodirent, hortatus est. Sed cum hi frustra tres dies exspectassent, et jam Dux Urbinas cum reliquis co-piis et tormentis adesset, ipsique cibaria consumsissent; equos, qui forte aderant, conscendunt, et facta eruptio-ne per hostes, qui parum frequentes arcem obside-bant, evadentes Mediolanum incolumes cuncti perve-nerunt.

XXXI. Haec ubi nuntiata, copiae Pontificiae, quae ad Placentiam processerant, Padum ponte ligneo com-missum trajecerunt, et se Venetis conjunxerunt, tum utrique Mediolano, ut Caesarianos obsiderent, appro-pinquantes, ad Melignanum consederunt. Franciscus Sfortia, postquam longinqua obsidione arcis praesidium ad maximam cibariorum inopiam pervenerat, ducentos homines, ut multitudine imminuta commeatus inopia sublevaretur, utque ab his Foederati, quam in angusto res esset, edocerentur, jubet per Caesarianorum munitio-

nes,

nes, qua negligentius custodiri animadverterat, eruptionem facere. Hi de tertia vigilia emissi, et magna usi celeritate, perpaucis interceptis, ad castra Foederatorum incolumes pervenerunt: quo intelligi potest, quanta esset fossarum vallorumque brevitas, qua tam facile Sfortiani tabulis quibusdam, quas secum deportaverant, sublevati evadere potuerunt. Ab his duces, quo in statu res esset, edocti, Sfortiaeque expositis mandatis et precibus commoti nullam moram interponendam existimarunt, quin ad Caesarianorum oppugnandas munitiones properarent. Itaque instructo exercitu in coenobium, qui *Paradisus* dicitur, processerunt; quo nuntiato Caesariani ad arma concurrunt, et suburbanam portam Romanam dictam egressi hostes levibus praeliis lacessunt. Hoc temporis articulo Carolus Dux Borbonius ex Hispania a Carolo Caesare cum summa imperii ac belli gerendi potestate missus Mediolanum pervenit.

XXXII. Postridie tormentis productis hostes, primam aciem Joanne Medice ducente, portam Romanam, ut aditum sibi patefacerent, ariete concutere coeperunt. Caesariani vero indignitatem non ferentes portam ipsi per contemtum patefecerunt, ut, si hac hostes irrumpere auderent, liceret; quibus cunctantibus factoque deterritis, ipsi eruptione facta leve praelium commiserunt, parumque abfuit, quin collatis signis dimicarent. His rebus hostes conterriti sequenti nocte silentio motis castris Melignanum revertuntur, ibi jam domo profectorum Helvetiorum Gallique Regis auxilia exspectaturi. Hoc animadverso et rebus desperatis Dux Sfortia paucis diebus interjectis deditionem his conditio-

tionibus facit, ut sibi, et quicumque arce, quo bona pars nobilium confugerat, continebantur, liberum esset, arce tradita, cum rebus suis omnibus, quo cujusque animus ferret, discedere; sibi Comum urbem, quae Hispanorum praesidio tenebatur, ad habitandum cum annuo triginta millium ducatorum vectigali permitteretur, donec ipse criminibus dilutis suam causam Carolo Caesari probavisset.

XXXIII. Arce tradita, Sfortia cum suis omnibus digressus et ab Antonio Leiva extra urbem et munitiones deductus in castra Foederatorum contendit, a quibus est amicis quidem animis, sed cum omnium magno dolore, receptus. Hinc Sfortinum praefectum cum militum praesidio mittit, qui Comum a Caesarianis, ut convenerat, traditam reciperet; sed Hispani, qui Comum tenebant, Sfortiam ipsum recipere, et urbem ei tradere sese paratos esse, ut jussi fuerant, responderunt; non sic tamen, ut sine suorum praesidio incustoditam hostibus tam propinquis, a quibus occupari posset, relinquerent. Hoc ab Sfortino renuntiato, Dux Sfortia non putavit e re dignitateque sua fore, ut se suspectum suspectis committeret. Itaque jam palam cum Foederatis paciscitur, et in castris permanere constituit.

XXXIV. Inter haec Helvetiorum quatuordecim millia Melignanum pervenerunt, quorum accessione Foederatorum exercitus ad peditum supra triginta millia pervenit; ita, cum essent equitatu etiam longe superiores, facile Caesarianorum paucitatem contemnebant. Summa enim Caesarianarum copiarum, quae dispositis per opportuna quaedam loca praesidiis Mediolanum principis ur-

urbis tuendae gratia convenerant, Hispanorum quinque, Germanorum quatuor circiter millium, equitumque sexcentorum fuit. Itaque decem circiter millibus, qui non urbis muro, sed brevibus et fossis et vallis munita castra ad suburbanum vicum habebant, res erat ex altera parte cum omni civitate Mediolanensi et ante deditionem etiam cum arcis praesidio, ex altera cum eo, quem diximus, Foederatorum exercitu, cui Galliae, Britanniaeque et Italiae fere omnis, quae in Caesarianos conspiraverant, consensus animos et spiritus addebat. Post Helvetiorum adventum, Foederati ad Mediolanum obsidendum, sed alia, quam nuper, parte revertuntur, multosque dies citra oppugnationem nequidquam consumserunt, deterriti scilicet Caesarianorum virtute, qui non modo frequenter erumpentes levia praelia magno animo, et ea plerumque secunda faciebant, sed etiam saepe singulae cohortes commeatus petendi gratia in aedificia vicosque circunjectos excurrebant.

XXXV. Ceterum, ne tamdiu tantus exercitus nihil facere videretur, Malatestam Ballionem Perusinum cum hominum octo millibus Cremonam mitti placet, qui eam urbem, quam Germani mille, Hispani quingenti cum parvo equitatu custodiebant, recipiendam curaret, arx enim Sfortiano praesidio retinebatur. Is postridie Nonarum Augusti copias cum perduxisset, postero die dispositis tormentis ea parte, quae est inter portam *Musae* cognominatam, et Padum flumen, magno impetu, sed frustra, urbem oppugnat. Itaque sequente die copias mille ab urbe passibus reducit, castraque communit, sed paucis diebus interjectis per eam partem,

quae

quae arcem spectat, inducti quatere vallum, quo se Caesariani adversus arcis praesidium munierant, scindere ac transire magno impetu conati, totiesque cum detrimento et duobus signis militaribus amissis rejecti, rursus septimo Kal. Septembris tribus partibus oppugnationem repetunt, exorsique ante solis ortum usque ad horam diei decimam tormentorum telis murum concutere non destiterunt. Tunc vero bona parte solo aequata, milites dato signo quatuor partibus irrumpere conantur, quibus Caesariani tam strenue tantoque animo restiterunt, ut hostium plus mille, et in his fortissimo quoque, aut occisis, aut graviter vulneratis ceteros cum minima suorum jactura repellerent, et sex militaribus signis amissis sese recipere cogerent.

XXXVI. His rebus in castra nuntiatis, Dux ipse Urbinas negotium sibi suscipiendum ratus eodem copias omnes Venetorum rapit, qui cum variis ex partibus frustra et ipse oppugnationem tentasset, tamen ex magna hominum multitudine per arcis omnia loca opportuna tormentis et jaculatoribus dispositis atque ea maxime parte oppugnationem urgens magnum obsessis detrimentum inferebat. His difficultatibus adducti Caesariani, posteaquam pauci a magna multitudine multis ex partibus premebantur, deditionem facere constituunt, quae nono Kal. Octobris his conditionibus convenit: ut Caesariani, nisi intra sex dies auxilium eis submitteretur, urbem dederent, ipsisque cum rebus suis omnibus abire, quocumque vellent, extra loca, ubi tunc bellum gerebatur, liceret, dato jurejurando, neminem eorum ante solidum annum peractum in Gallia Cisalpina mi-

militaturum; eaque ratione Cremona in Foederatorum potestatem pervenit.

XXXVII. Dum haec in Insubribus geruntur, magno timore atque tumultu Romae trepidatum est, Pompejo Columna Cardinale et Hugone Moncada cum Hispanorum et Columnensis factionis Italicorum manu urbem invadentibus. Hugo enim Moncada inter belli hujus initia, dum consilia inter Foederatos ineuntur, missus fuerat ex Hispania a Carolo ad Pontificem de pace legatus, si posset ejus animum precibus atque pollicitis a belli consilio ad concordiam traducere. Hic ubi per Galliam Mediolanumque, recto scilicet terrestri itinere, Romam pervenit, Pontifici justa et aequa Caroli postulata mandataque exposuit; quorum unum fuit, se, quod Pontifex maxime omnium postulasset, non recusare, quominus Mediolanum in fiduciam, dum Francisci Sfortiae causa cognoscitur, committeretur, qui si judicum sententia esset absolutus, nullam in se moram fore, quin eumdem Franciscum ad suam dignitatem et imperium restitueret; sin autem jure privandus esse videretur, se tamen nolle Principatum nec sibi sumere, nec tradere Fernando fratri, sed Carolo Borbonio delaturum, qui unus esset ex iis, quos ipse Pontifex inter idoneos huic rei nominasset.

XXXVIII. Expositis mandatis Hugo ipse et item Ludovicus Corduba Suesanus Dux, quem Romae Caroli Caesaris legatum apud Clementem Pontificem agere demonstravimus, de compositione cum ipso diligenter agitarunt. Ceterum Pontifex tantos spiritus arrogantiamque ex tot tantarumque gentium conspiratione sumse-

rat, ut nihil ab eo posset, quod ad pacem pertineret, impetrari. Itaque desperata pacificatione Suesanus Dux cum mille circiter Hispanis Germanisque Romae conscriptis Neapolim proficiscitur; et paucis post diebus morbo correptus interiit. Hugo vero, qui et ipse Neapolim se receperat, vir magni animi et consilii, aequinoctio praeterito nihil tamen auxilii nostris nec ab Hispania, nec a Germania Belgioque pervenisse animadvertens, quiescere non poterat, seque dolens tantum itineris et laboris frustra suscepisse, agitare animo coepit, siqua ratione posset Pontificem nec opinantem opprimere et capere, aut alias injecto terrore ad aequas pacis conditiones compellere, consiliumque cum Pompejo Columna Cardinale communicat, qui dum sibi a Pontifice, cujus animum offenderat, metueret, Roma discedens in eam regionem, quae est circa Lyrim amnem (nam ejus bona pars est in Columnensium clientela) in exilium voluntarium secesserat.

XXXIX. Igitur Hispanorum peditum, ut placuerat, circiter septingentorum Neapoli confecta manu, et ex Castellanis finium Columnensium ad mille quingentis coactis, cum his Romam mense Septembri proficiscuntur, praemisso equitatu, qui portam *Sancti Joannis* cognominatam occuparet, tanta celeritate usi, ut famae velocitatem antecederent. Hoc nuntio Pontifex perterritus, dum adversarii ad Divi Joannis Lateranensis aedem sese ex itinere et labore reficiunt, militem ad obsistendum conducere jubet, desperato scilicet auxilio Romanorum, qui cum sint in duas factiones Columnensium et Ursinorum scissi, major pars civium Columnen-

mnensibus studet, qui partes Hispanorum in Italia sequuntur.

XL. Externorum igitur hominum tumultuaria et male armata manu confecta, hi Tiberis pontes levibus tormentis dispositis obsidere jubentur; sed dum ea trepide et a malefidis administrantur, Hugo per mediam urbem, nemine prohibente Romanisque quiescentibus et spectantibus, suos ad pontem Sixti deducit, quem adversarii metu deterriti sine certamine deseruerunt; itaque trajecto Tiberi vicum suburbanum, qui *Burgus* dicitur, invadit occupatque vixdum Pontifice in arcem ad Molem Hadriani digresso, quo magnus principum virorum sibi a Caesarianis metuentium numerus una confugit. Nam qui fuerant eo die ad propugnandum conducti, ii non solum non obstitere venientibus, sed magna pars ad illos praedandi gratia Hispaniam conclamando transierunt, me, qui cum mei ordinis et nationis amicis in Burgum spectandi gratia processeram, conspiciente ex fenestra scilicet et audiente. Tunc vero ad praedam conversi milites Pontificias aedes Vaticanas, et vici domos aliquot diripuerunt.

XLI. In hac rerum trepidatione Hugo Moncada ad Clementem Pontificem hujusmodi legationem mittit: se nec odio Pontificis nec officiendi voluntate ductum in ipsum arma sumsisse, sed dum cuperet eumdem Pontificem, quando precibus nihil profecisset, quacumque ratione daretur, adducere, ut facta cum Carolo Caesare pace publicae Christianorum quieti consuleret, quod maxime ad summi Sacerdotis Christi Vicarii officium pertineret, ipsiusque rationibus privatim etiam conveni-

 ret,

ret, qui bellum nec bono nec felici consilio, et vana prostrati Regis afflictarum opum spe deceptus suscepisset, et jam pridem magnis suis impendiis magnisque jacturis nequidquam aleret: precari ergo, ac omnibus precibus orare, ut sui officii ac publici Christianorum otii tranquillitatisque memor ab armis discedat, suasque copias ex agro Mediolanensi citra Padum primo quoque tempore revocatum mittat, nec velit jacentis Galliae Regis, et contra foedus datamque victori fidem et jusjurandum arma impia moventis societatem florentissimi ac potentissimi Principis Caroli Caesaris amicitiae nec pio nec utili consilio praeferre; haec si fecisset, quemadmodum ipsius et res et fama atque officium postularet, eumdem ipsum seque et rempublicam Christianam multis et magnis molestiis atque jacturis erepturum; nam de Caroli Caesaris in ipsum Pontificem animo, nisi gratiam ejus repudiaret, se persancte confirmare ac liberaliter polliceri: quae ab eo impetrare tanto cupidius se cupere atque contendere confirmat, ne si Pontifex aliter statuerit, se invitissimum operam dare cogat, ne leviter ac frustra sumtis armis eo processisse videatur.

XLII. Hac audita legatione Pontifex, qui ad arcem milite juxta et frumento commeatibusque imparatissimam confugerat, et simul, quae proponebantur, haud vana reputabat, vehementer est commotus. Itaque interposita factaque per obsides fide Hugonem ad se colloquendi gratia vocat, nec plurimis verbis ultro et citro habitis sic inter eos de compositione convenit: ut Clemens a Foederatorum societate discedens suas copias

pias citra Padum primo quoque tempore revocaret; Columnensibus superioris temporis in se injurias remitteret; militibus atque praefectis, qui Romam et Vaticanum vicum invaserant, crimen condonaret; quatuor mensium induciae fierent, ut interim de perpetua pace cum Carolo Caesare firmanda, et publica concordia transigeretur; Hugo vero nulla interposita mora manum, quam induxerat, ex urbe reduceret.

XLIII. His rebus constitutis, et ab utroque jurejurando firmatis, Hugo cum Pompejo Cardinale cohortibusque discedunt, et Neapolim revertuntur. Pontifex autem suas copias ex castris Foederatorum non solum citra Padum, sed Romam etiam revocare constituit per speciem sese urbemque tuendi contra Columnensium injurias, si rursus (quod metueret) majora confecta manu fidem fallentes ingruissent, sed re vera ut acceptam contumeliam ulcisceretur. Igitur, ubi Romam Italorum duo millia delecta manus, qui sub Joanne Medice Duce fortissimo militaverant, et Helvetiorum duo millia quingenti pervenerunt, aucto per novum delectum exercitu ad hominum armatorum octo millia, hos in fines Columnensium induci, et cuncta hostiliter vastare jubet. Illi haud segniter imperata faciunt, in proximosque vicos et castella Columnensis ditionis inducti agros populari, aedificia diripere et incendere, longeque et late a nullo maleficio aut scelere temperantes divagari, donec classis viginti septem vectoriarum navium, quae cum auxiliari manu ex Hispania mittebatur, opportuno tempore appulsa est, et milites ad Cajetam expositi et inde ad istorum conatus reprimendos inducti.

XLIV. Haec classis Hispanorum sex millia, Germa-

norum, qui Carolum fuerant in Hispaniam secuti, tria et quingentos cum praefecto Carolo Lanojo, quem saepe nominavimus, sustulerat, et ad tertium decimum Kal. Novembris ex portu novae Carthaginis profecta et ad Corsicam delata quinque dies ad eam insulam commorata est, dum ventus idoneus exspectatur, quo Genuam urbem, quae in fide Caroli Caesaris erat, et hostili classe obsidebatur, compelleretur, unde milites paucorum dierum itinere Mediolanum deducerentur. Sed ubi tempestatem nacti non incommodam eo processerant, unde Genua non plus duodecim passuum millibus aberat, subito malacia consecuta necessario naves constiterunt.

LXIV. Quo animadverso, Andreas Doria Petrusque Navarrus, hostilis classis Genuam obsidentis praefecti, sexdecim triremibus invehuntur, ac ex intervallo, quo ipsi aeneorum tormentorum telis impune nocere possent, ferreis scilicet tormentis, quibus onerariae naves utuntur, non tam longe jaculantibus, nostram classem oppugnare magno impetu coeperunt; qua oppugnatione ab hora diei circiter tertia ad noctem producta, paucis quassatis et ea maxime, quae Fernandum Alarconem vehebat, una dumtaxat depressa est; hac Hispani quadringenti vehebantur, quorum, ceteris desideratis, centum circiter cum praefecto Saavedra, qui ad hostiles naves enatarunt, excepti, multi enim cum triremes apprehendissent, concisis ab hoste manibus alto redditi perierunt. Sed circa solis occasum exorta graviore tempestate hostes in portum sese recipere coacti: Caesariani vero disjectis navibus feruntur, nec ante diem tertium convenire potuerunt, paucisque diebus ad

Di-

Divi Stephani portum in finibus Senensibus naves reficiendi gratia commorati, Cajetam processerunt, expositisque militibus hos Carolus Lanojus celeriter in eam regionem, quam milites Pontificii omni clade belli vastabant, ut demonstratum est, deduxit, illorumque populationes et maleficia cohibuit.

XLVI. Quamquam Hispanorum illa manus sive ducis culpa, sive quia tyrones erant nuper conscripti, sive, ut opinor, ex utraque causa, non eadem alacritate et studio in praeliis utebantur, qua ceteri Hispani uti consueverunt, praesertim in Italia, animos addente tot tantarumque victoriarum memoria, quas saepe de multo majoribus exercitibus reportarunt. Itaque Lanojus, etsi parum aut nihil ab hostibus militum numero superabatur, praelio tamen decernendum non putavit, sed in Frusinonem et munitiora castella militibus inductis, et praesidii loco dispositis Romam ipse progreditur a Clemente Pontifice Caesareque Ferramosca vocatus. Is enim paulo ante Romam pervenerat, a Carolo Caesare ad Pontificem eumdem cum mandatis et litteris benevolentiae ac officii plenis missus, quibus litteris de Hugonis et Pompeji Columnae Cardinalis consilio, et in Urbem irruptione memorans eam sibi molestissimam accidisse, ac suo injussu seque insciente factam fuisse confirmabat.

XLVII. Eae litterae hoc fuerunt Pontifici gratiores, quod ipse classis appulsu, et nuntio de Germanorum adventu conterritus (jam enim horum nova manus subsidio Caesarianis veniebat) cupidissime Caroli Caesaris amicitiam expetebat, cujus libera mandata Lanojum per-

fer-

ferre ipsius litteris ex portu Sancti Stephani missis intellexerat. Sed Lanojo propter injurias Columnensibus contra fidem datam illatas cunctante, violatasque inducias objiciente, multa Clemens disseruit in eam sententiam, ut se nec inducias violasse, nec injuriam Carolo Caesari fecisse doceret; nam quod armatam manum in Columnenses, quod esset caput querimoniarum, immisisset, in eo se jure gentium usum, quo suorum clientum in se injurias, perfidiam et impietatem persequeretur, ut hi poenas debitas darent, et ceteri fierent ad similia flagitia tardiores, nec pessimum et periculosum exemplum, et cunctis Principibus diligenter vindicandum, inultum relinqueretur. Quam excusationem Lanojus sibi repudiandam non putavit, non tam ejus aequitate ductus, quam quod semper Caroli Caesaris animum in Pontificis amicitiam pro singulari ejus in Christi Vicarium pietate proclivem perspexerat. Itaque induciae octo mensium pactae sunt, ut interim Carolo Caesare consulto, perpetua pax et amicitia aequis conditionibus confirmaretur.

XLVIII. Interea Franciscus Rex Gallorum, cum de Pontificiarum copiarum discessu cognovisset, maturandum sibi statuit, ut aliquid supplementi Foederatorum exercitui submitteret. Jam enim aestas erat exacta, necdum ipse quidquam auxilii Foederatis ad bellum Mediolanense miserat, quippe filiorum, quos obsides Carolo Caesari dederat, et aliarum rerum ad compositionem, quam agitabat, pertinentium ratio ipsum retardaverat, caventem, ne Caroli Caesaris animum a se prorsus alienaret; quem tamen Italico bello solicitum fa-

facilius ad aequiores pacis conditiones adduci posse existimans, ne abductis copiis Pontificiis bellum prorsus dissolveretur, Vasconum quatuor millia, et equites cataphractos quadringentos, totidemque levioris armaturae confecit, eamque manum Michaëli Antonio Salutiarum Marchioni in Galliam Cisalpinam deducendam tradidit: sera scilicet auxilia, quoniam Caesariani imminuto hostili exercitu excursionibus fere quotidianis, quidquid commeatus erat, ex propinquis aedificiis, et castellis in sua castra comportaverant, quod ad hyemis obsidionem tolerandam satis fore videbatur; et jam Germanorum duodecim millium auxiliaris manus appropinquabat, quam Carolus, missa non grandi pecunia, Georgio Frondespergo novo delectu conficiendam, et subsidio suis Mediolanum deducendam mandaverat. Qui ad lacum Benacum processisse, et agros ac oppida immunita vicosque Venetae ditionis populari cum nuntiarentur, Dux Urbinas et Joannes Medices, omissa Mediolani obsidione, cum equitatu expeditisque properant, ut eos, quoad fieri posset, ab injuria et maleficio prohiberent.

XLIX. Sed ubi in agrum Mantuanum Germani deflexerunt, Italicis copiis, ne vagari eos paterentur, insectantibus, Joannes Medices, qui omnium maxime agmen urgebat, commisso parvo praelio scloppeti telo crure vulnus accepit, quo paucis post diebus Mantuae (huc enim saucius pugna excedens sese receperat) absumtus est. Et Veneti ab insectandis Germanis, ne frustra id, et cum suo magno periculo facerent, necessario destiterunt. Jamque Caesariani castris conjunctis,

aut non longo intervallo distantibus, liberius passim vagabantur, sed pecunia ducibus ad alendum exercitum non suppetebat; a Carolo enim bellis superioribus exhausto peranguste stipendium submittebatur; itaque omnes necessario partim praeda ex adversariorum, Pontificisque finibus petita, partim etiam pecunia pacatis imperata, nec ab injuria, nec a maleficio temperantes alebantur, eaque ratione, quod reliquum hyemis fuit, transegerunt.

L. Interea Carolus annum agens vigesimum sextum ad urbem Hispalim uxorem duxit Isabellam Emanuelis Portugalliae Regis filiam cum magna caerimonia magnaque omnium ordinum gratulatione, non contemta, ut supra dixi, Maria Henrici Britannorum Regis filia, quam ex Belgio in Hispaniam rediens septem annorum puellam, ut superius demonstravimus, inconsiderate sibi desponderat, sed posthabita, ut posteritati consuleret, et Hispaniae principibus atque civitatibus morem gereret, qui hoc ipsum ab eo precibus omnibus saepe contenderant. Nam Britannicae puellae maturitatem exspectare cunctis longum esse videbatur, et commodae ac naturae convenientis procreationis desperationem quamdam afferebat; ut enim a senibus, sic ab adolescentioribus filios tum corpore, tum animo imbecilles gigni rerum usus docuit; itaque virum citra trigesimum sextum annum, feminam circa decimum octavum matrimonio jungi tempestivum esse philosophi naturaeque interpretes testantur. A quo praecepto siqua necessitas, siquave magna commoditas, ut saepe accidit, dehortetur, meminisse tamen oportet, quo longius ab illa

illa tempestivitate disceditur, hoc minus liberorum corporis et animi robori ac firmitudini consuli, addo etiam pulcritudini, quae multum hominum voluntates allicit ad benevolentiam, quaeque sine proceritate non consistit, cujus proceritatis ac pulcritudinis maxime Principibus habendam esse rationem Lacedaemoniorum Persarumque prudentissimarum nationum mos ac vetus institutum declarat, quo Reges, ut auctor est Plato, uxores statura brevi ducere vetabantur.

LI. Hispalim contendenti Carolo nuntiatum est, Antonium Acugnam Zamoranum Episcopum, de quo supra memoravimus, in arce Symanchica, ubi a tempore seditionum popularium custodiebatur, praefectum ejusdem arcis occidisse; quo cognito Carolus vehementer est commotus, novi sceleris nuntio veterum flagitiorum ab eodem Episcopo tumultuantibus popularibus patratorum memoriam refricante. Itaque Rodericum Ronquillum praetorem aulicum ad se vocat, et Symanchas properare, causaque cognita in Episcopum, si sceleris compertus fuisset, poena capitali animadvertere jubet. Ronquillus, ne se obstringeret sacrilegio, diu munere, sed nequidquam recusato, Symanchas cum venisset, causam cognoscit, et Episcopum caedis convictum et confessum morte condemnat; sed, ut res fieret occultius et cum minore animorum offensione, in custodia fuit jussu praetoris strangulatus; qui ad nuntium damnationis et instantis mortis, cum animae consulere juberetur, nihil conturbatus, sed laetus potius, taedio, ut opinor, calamitosae vitae, in hanc vocem prorupit:

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

LII. Caedis autem ab Episcopo factae modum, atque initam rationem hanc mihi exquirenti Ronquillus ipse, ut compererat, enarravit. Cum praefectus arcis ad Episcopum confabulandi et latrunculis ludendi causa quotidiana consuetudine ventitaret, invitatus occasione Episcopus et desperatione libertatis impulsus consilium cepit illius occidendi, ut quacumque ratione fuga vel morte libertatem, quam a Carolo nullam sperabat, assequeretur, seque ab ea miseria vendicaret. Nactus igitur perticam quamdam hastae crassitudinis, hanc ex utraque parte, quatenus satis esset, findit, et gladiolos duos, quos sibi per causam aptandi pennas comparaverat, in fissuras, ita ut cuspides exstarent, inseruit filoque constrinxit. Hoc praeparato telo cum praefectus ex more cubiculum securus intrasset, Episcopus occlusis foribus seniorem et imbecillum robustus ipse adoritur et valide perticam in caput incutit. Tum cultellis rem gerit attoniti jugulum petens dissectisque venis obtruncat. Patrata nece cubiculo se proripit, jamque portae arcis appropinquabat, cum a muliere quadam ex praefecti domesticis fugiens conspectus est. Hujus clamore exciti domestici et vicini concurrunt, a quibus comprehensus Episcopus retractusque est, et cognito facinore arctiori custodiae traditus.

LIII. Haec in Episcopum animadversio quamquam justa et legitima videri poterat, utpote ipsius sceleribus conveniens, tamen quia novo exemplo praeter morem majorum et leges Pontificias edita fuit, multum sermonem

nem hominibus dedit, quippe Sacerdotem praeterquam a Sacerdotibus rite condemnatum, et certis caerimoniis exauctoratum necare impium habetur et nefarium, estque gravissimis poenis et sacrorum interdicto sancitum. Itaque Carolus diu se, ne rebus divinis interesset, continuit, donec a Pontifice Maximo veniam poenaeque remissionem impetravit, quae praetori Ronquillo magistratu sese abdicare coacto diutius negata fuit, nec ante annum elapsum impetrata.



JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS GESTIS

CAROLI QUINTI

IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER SEPTIMUS.

I. MAGNOS labores et calamitates exercitus Caesarianus ad Mediolanum cum pertulisset, magnumque periculum adivisset, odio et ira in Clementem Pontificem ardebat; hunc enim malorum omnium auctorem fuisse nemo dubitabat, quae potissimum cogitatio Hispanos urgebat. Nam Germanos Lutheranae sectae, qua erant infecti, ratio nihilo secius excitabat, ut erant sponte sua Pontificibus et Sacerdotibus Romanis infensi. Itaque ineunte vere sequentis anni, qui fuit Christi
ANN.M.D.XXVII. nati millesimus quingentesimus vigesimus septimus, communi consilio non tam ducibus, quam militibus, Romam contendere, et de Pontifice Cleroque Romano poenas expetere, et inopiae quoquo modo consulere placuit. Sed Antonio cum parte copiarum ad Mediolanum remanente, ceteris in castellum, quod *Sancti Joannis* in agro Bononiensi cognominatur, progressis, obviam fit Caesar Ferramosca, qui litteras et mandata a Carolo Lanojo deferebat, ne ulterius Romam versus progrederentur, neve Pontifici, cum quo Caroli Caesaris nomine octo mensium pactae fuissent induciae, aut ipsius

psius clientibus nocerent, magnis poenis infamiaque constitutis, siquis vel miles, vel praefectus jussis edictoque Lanoji, qui Caroli Caesaris vicem in Italia gereret, non paruisset.

II. Recitatis litteris in ducum praefectorumque concilio, expositisque mandatis, omnes fere parendum esse Lanoji jussis, et induciis standum censuerunt. Sed hoc vulgo militum ubi denuntiatum est, et induciarum conditiones expositae, clamore et tumultu concitato tollendum esse de medio qui talia mandata pertulisset, vociferari coeperunt, nec induciarum conditiones esse ferendas, quas turpiter Lanojus accepisset; sibi ergo vel sine ducibus procedendum, et pacis conditiones male de se merito Pontifici, et qui in ipsorum perniciem magnam orbis partem concitasset, dandas esse, non ab eo accipiendas. Qua sententia ab omni militum multitudine probata, ex ducibus Georgius Ferrariam, Vasti Marchio Senas sese contulerunt; Borbonius, posteaquam nec a militibus, ut ab incepto itinere ac proposito desisterent, impetrare, nec eos, ut erat stipendio non suppetente precarius imperator, coërcere posset, non putavit nec ad suum officium et dignitatem, nec ad Caroli Caesaris rationes interesse, ut ipse quoque ab exercitu discederet, ne si tanta multitudo sine imperio ferretur, obvia quaeque devastans atque diripiens in omnem injuriam et maleficium intolerantius irrueret, et Pontificiae ditionis populis, contra inducias factas, et Caroli Caesaris voluntatem, longe gravius noceretur. Itaque militum voluntati morem gerere se velle palam profitetur, centurionesque et praefectos, quorum quidam,

dam, ne Caroli Caesaris animum offenderent, metuere se praedicabant, confirmat, et omnes pro suo jure ac potestate, quam acceperat a Carolo, se sequi ac suum officium obire jubet, castraque movet, et per viam Flaminiam non procul urbe Bononia, quae portis clausis firmo praesidio tenebatur, inducit. A qua civitate, Caesarianis, quod nec commeatibus, nec re alia sublevarentur, indignantibus, Germani longe et late per agrum diffusi aedificiis incensis magnum detrimentum Bononiensibus intulerunt.

III. Hinc magnis itineribus progressi, et Medula, cui castello Albertus Pius imperitabat, ex itinere, quod clausis portis agmen recipere recusasset, expugnata et incensa, iter Romam per Senensem agrum direxerunt vitata Florentia, cui saepe Hispanorum illa manus direptionem minata fuerat, quippe opulentae urbi ex earum numero, quae in ipsorum caput conspiraverant. Nam perficiendi facultatem Dux Urbini sustulerat, qui a Florentinis sibi metuentibus accersitus Foederatorum exercitum, in quo, uti demonstratum est, imperii summam obtinebat, eo praesidii gratia celeriter induxerat, quo nuntiato Romam recta contendendi consilium nostris confirmatur.

IV. Romani postquam de Borbonii adventu nuntiatum fuerat, sese ad obsistendum, et urbem tuendam comparare coeperunt, non jam sibi cum parva et tumultuaria manu, et Columnensis factionis civibus, aut castellanis rem fore intelligentes, ut aestate superiore, quibus Romam invadentibus sibi quiescere, et sese spectatores praebere licuisset, sed cum robustissimo et ve-

te-

terano Hispanorum Germanorumque exercitu. Itaque Clementi Pontifici civitatem in officio, ejusque potestate futuram non gravate receperunt. Tum Romana juventus sese ad pugnam instruere, et exercere coepit, regionatim convenire, omnisque generis armis instructa singulis fere diebus per Urbem sese ostentare, et Romam suo more subinde conclamans vagari, idque cum Hispanorum, qui Romae suum negotium agentes morabantur, non parvo periculo quorum, nonnullos magna verborum contumelia arrogantiores vexaverunt, quosdam etiam noctu per occasionen occiderunt.

V. Pontifex, exercitu jam appropinquante, habito intra Urbem militum delectu, Romanisque collaudatis, et eos ad officium patriae tam necessario tempore praestandum cohortatus Rentium Chierum Ursinum toti muneri Urbis custodiendae ac defendendae praefecit. Is arcem, quae est ad pontem Milvium, ne Tiberim Caesariani extra Urbem trajicerent, praesidio munivit; et quia dubium non erat fore, ut Caesariani in Burgum potissimum incumberent, qui vicus suburbanus ad Vaticanum montem brevi infirmoque et partim etiam interrupto muro cingebatur, eam partem, qua murus corruerat, fossa valloque muniendam curavit, ibique frequentia tormenta, et praesidii maximam et firmissimam partem collocavit.

VI. Borbonius autem, copiis tertio Nonas Majas in Urbis conspectum deductis, cupiens in tanto periculo et militum odio civitatis saluti consulere, simulque exercitus in omnium rerum inopia necessitati prospicere, caduceatorem praecurrere jubet, et suis verbis a

Pontifice postulare, ut suorum aliquem ad se mitteret virum gravem, cum quo de pacis, quam ipse magnopere optaret, conditionibus transigeretur. Sed caduceator nec auditus est, nec a praefecto in Urbem intrare permissus. Tanta erat Rentii fiducia Caesarianum exercitum repellendi, quem rerum omnium inopia laborare, nec tormenta ad murum diruendum convehere constabat, quippe quae in finibus Senensium, ne properantibus essent impedimento, reliquerant! Cui sententiae fiduciaeque ea quoque res suffragabatur, quod Dux Urbinas cum valido Foederatorum exercitu non longo intervallo subsequi nuntiabatur; quin etiam Pontifex, et Albertus Pius ceterique fere, quorum consilio res administrabatur, nec paucis diebus Urbem ab his expugnari, praesertim in tanto Romanorum consensu, nec diutius obsideri posse judicabant, sed necessario dissolvendum esse exercitum, qui esset rebus omnibus necessariis destitutus.

VII. Ceterum quae res Pontifici suis rationibus suffragari videbantur, hae fuerunt illi maxime omnium adversariae. Tot enim tantisque difficultatibus affecti Caesariani, omne periculum contemnentes, sibi aut occumbendum esse in oppugnatione statuebant, aut Urbem expugnandam, quae tam superbe pacis conditiones negligeret. Igitur eo die in parte Vaticani montis, quae est a tergo fani Divi Petri, consederunt, et ex loco superiore situm rationemque murorum considerarunt; postridie quarta vigilia, densissima nebula, quae vel proximorum conspectum adimebat, omnem illum locum quasi divinitus occupante, silentio, et jaculatoribus sclop-

pe-

petorum igniculos occultantibus, muro, qua brevissimus erat, succedunt, Borbonio ipso cum Hispanis antecedente; nec ante conspici potuerunt, quam acies prima murum attingeret. Tunc vero proximorum clamore ceteri defensores exciti tormentorum scloppetorumque telis ex muris et vallo et ipso Petri fano propugnare, et ubi hostes esse suspicabantur, tela intendere coeperunt. Hispani vero scloppetorum telis eam partem muri defensoribus cum nudavissent, scalis admotis conscendere nituntur.

VIII. Quibus rebus administrandis atque imperandis occupatus Borbonius, dum inter primos versatur, tormenti telo femore confossus occiditur. Hoc prostrato, qui proximi aderant, centuriones ac milites, hortante Joanne Urbina et extremum periculum, si gradum retulissent, denuntiante, acrius instare, et majore jam non solum studio, sed etiam indignatione oppugnationem urgere, gnaviter etiam custodibus propugnantibus, hanc enim muri partem Helvetii milites praetoriani ducenti ex vallo, de quo supra demonstratum est, traducti in primis defendebant. Sed Hispani, postquam hos partim peremtos, partim vulneratos jam orto sole repulerant, pauci se ex muro intra vicum demiserunt, quibus fortiter defensorum multitudinem sustinentibus alii certatim se de muro demittebant. Itaque brevi, aucto numero, custodes ab ea parte diffugere coeperunt, tum suffoso muro ceteris aditus patefactus. Nam qui vallum ad montem Sancti Spiritus custodiebant, non prius hostem irrupisse senserunt, quam interclusi a tergo caederentur. Ita, cum essent numero circiter quinque millia, perpauci fuga elapsi mortem effugerunt.

IX. Interea Pontifex, qui audito scloppetorum tormentorumque fragore, cubitu non segniter surrexerat, ne subita Caesarianorum irruptione, si forte irrupissent, in aedibus Vaticanis opprimeretur, coepit cum tredecim Cardinalibus, qui ad ipsum convenerant, in arcem per cavum murum ad eam pertinentem contendere; necdum tamen pervenerat, cum jam fugientes suos et insequentes Hispanos conspexit, quorum Hispanorum circiter quinquaginta cum tribus signis militaribus pontem, quo Tiberis ad arcem Sancti Angeli committitur, transgressi ad turrim *Nonae* vocatam processerunt, atque eadem via, cum ceteros substitisse animadverterent, reversi sunt, nemine scilicet obsistente. Nam neque cataracta dejici a conantibus superne potuit, diuque in ea rerum trepidatione, qui portam pontis occluderet, nemo fuit. In arce vero, quae nullo aut quam minimo praesidio tenebatur, cuncta erant imparatissima, ut si illam Hispanorum manum mediocris militum multitudo subsecuta fuisset, eo temporis vestigio Urbs ipsa in Caesarianorum potestatem pervenire potuerit.

X. Ad hunc modum expugnato Burgo, et cum aedibus Pontificiis ipso quoque Petri fano direpto, nihil enim sanctum, nihil inviolatum fuit, Urbs tamen ipsa defendi poterat, si propugnatores, aut potius propugnatorum ducem habuisset. Nam qua parte trans Tiberim oppugnari poterat, nec infirmo, nec brevi muro cingebatur, et pontes rescindere, aut certe fossa valloque munire licebat; atque ea ratione vel auxilium exspectare, vel spatium dare, ut pax, si non aequis, tolerandis tamen conditionibus componeretur. Sed tantus

tus terror cum ceteros Romanos, tum vel maxime Rentium Chierum invasit, ut is inter primos, omissa Urbis defensione, timore ac desperatione plenus in arcem confugeret. Itaque Romanis, qui ad muros erant defendendi gratia, evocantibus, et ipso Pontifice per Joannem Matthaeum Gibertum Episcopum Veronensem cohortante, vix longo spatio ab eo potuit impetrari, ut ad munus suum obeundum, et quae defensioni forent necessaria, imperandum exiret, me vidente et audiente, atque hominis sive stupor ille fuit, sive ignavia, demirante. Nam et ego ex aula Pontificia me in arcem receperam cum Alberto Pio, cujus eram non negotiorum administer, sed studiorum, quemadmodum ipse dicere solebat, socius, ut vir ille doctissimus nulla re aeque, ac doctrinarum studiis et hominum non indoctorum consuetudine delectabatur. Quamquam paulo post eodem die a Francisco Ursino Cardinale, qui jussu Pontificis praesidium deligebat et constituebat, arce excedere coactus sum ob eam modo causam, quod Hispanus essem.

XI. Jam multo die de nece Borbonii in arce cognitum est, simulque nuntiatum Guidonem Rangonium cum equitatu auxiliari praemissum adesse. Tum Pontifex, sive praesentis periculi timore ductus, sive ut subsidio venientibus copiis spatium perveniendi daretur, Martinum Portugalliae Regis Oratorem ad se vocat, ipsumque ad Caesarianos duces legatum de compositione mittit, si quibus paulo modo aequioribus conditionibus pax convenire posset, ut accepta pecunia ad stipendium militare exercitus inde abduceretur. Quibus

a

a Martino mandatis expositis, Caesariani duces, quorum primum locum Philibertus Uraniae Princeps et Joannes Urbina tenebant, responderunt: ita demum pacem ab exercitu impetrari posse, si Pontifex Romanique ducatorum trecenta millia pro stipendio militibus numerando contribuerent, et interea exercitus in eam partem Urbis, quae trans Tiberim est, reciperetur, donec pecunia persoluta fuisset. Qua de re ipsi quoque duces ad civitatis supremos Magistratus legatum miserunt. Sed dum Pontifice de pecuniae magnitudine recusante nec, quod ducibus probaretur, offerente tempus teritur, Ludovicus Gonzaga cum Italica, cui praeerat, manu, paucis quibusdam Hispanis adjunctis, Transtiberinam Urbis partem circumire coepit, jussus locum oppugnationi aptum considerare et, si rei bene gerendae detur occasio, hanc non praeterire.

XII. Is ea parte, quae post Divi Pancratii fanum est, murum a defensoribus vacuum esse animadvertens, scalis admotis milites conscendere jubet, a quibus occupato muro Romani ceteris ex partibus diffugere coeperunt. Hoc nuntiato reliquus exercitus accurrit, et perforato muro deinde refractis portis, paulo ante solis occasum immittitur, praeter Hispanorum duo millia, qui in statione ad Burgum, si forte hostes pervenissent, remanserunt. Igitur Tiberi per pontes, nemine remorante, trajecto, diripiendi gratia in omnes partes milites discurrunt. Nec tota nocte, et postero die, cunctis jam Urbem ingressis, a rerum direptione, hominum captione, domorum, si quae hominum multitudine fretae resisterent, oppugnatione destiterunt, nullo

na-

nationum habito delectu, non Hispanis parcere, non Germanis, nihil ab Italicis Cardinalibus, qui rebus Caesaris favebant, atque ea fiducia in arcem non confugerant, abstinere, humana cuncta et divina permiscere, fana omnia sacraque vasa et, quibus Divorum reliquiae asservabantur, diripere; quidam etiam religiosi homines, cum ea verbis precibusque defendere conarentur, ad aras concisi, Lutheranorum impietate in res potissimum sacras saeviente. Neque vero patentibus inventisque auro, argento, vasisque, et cetera supellectile contenti erant, sed captos etiam cives pecunia sese redimere cogebant. Quidam etiam pessimi homines, sed pauci eosdem, ut occultatas opes indicarent, tormentis adhibitis compellebant. Cardinales civesque primarii, in quorum domos magna hominum multitudo confugerat, pactione facta pretioque constituto milites, praesertim Hispanos, admittebant, seque domosque cum rebus omnibus custodiendos eis committebant; sed quamquam accepta pecunia milites officium suum bona fide praestabant, tamen post dies aliquot eaedem domus vi expugnatae a Germanis diripiebantur, indignantibus, quod praedae maxima pars ad Hispanos ob ipsorum majorem diligentiam atque solertiam pervenisset.

XIII. Itaque divinitus factum esse videtur, ob peccata et scelera hominibus irascente Deo, ut Roma inusitata quadam ratione caperetur, diripereturque, et omni clade belli calamitatumque genere vexaretur. Tam acerbam enim direptionem mox fames, deinde etiam pestis gravissima consecuta est, et longa militum mora do-

domus etiam multae dirutae, quippe quarum materia milites, lignis non suppetentibus, ad ignem necessarium uti cogebantur.

XIV. Paucis ab Urbe capta diebus interjectis, Dux Urbinas cum exercitu peditum viginti quinque millium et firmo equitatu ad insulam, qui locus abest ab Urbe passuum sex millia, pervenit, castraque posuit. Quo nuntiato Caesariani, ne arci, qua Pontifex obsidebatur, subsidium ferri posset, a Tiberi ad extremos hortos Pontificios montemque Vaticanum per vineas, quae sunt ad prata Neroniana, vallum sed perhumile duxerunt, ibique dispositis militibus excubias per vices agebant, simulque arcem, brevi intervallo relicto, apertis cuniculis cinxerunt, quo Princeps Uraniae Philibertus, quae necessaria viderentur, imperandi gratia incautius cum processisset, scloppeti telo ex arce emisso facie vulnus accepit, quo multis diebus periculose laboravit.

XV. Pontifex, auxilio frustra multis diebus exspectato, magno timore afficiebatur. Nam Dux Urbinas, qui Caesarianos, quos aequo etiam loco metuisset, vallo munitos haud praelio lacessendos putaverat, reque infecta ac ne tentata quidem abierat, et jam commeatus parcissime suppetebant, cuniculique processerant. Tot igitur difficultatibus affectus, sed eo maxime timore ductus, ne arx per cuniculos igne supposito, ut Caesariani minabantur, dejiceretur, deditionem facere constituit, quae his conditionibus septimo Idus Junii facta est: ut ceteris omnibus, qui arce continebantur, cum rebus suis omnibus, quo cujusque ferret animus, discedere liceret: Pontifex dumtaxat, cum Cardinalibus

tam-

tamdiu custodiretur, donec ducatorum quadringenta millia ad stipendium militare ab eo persolverentur: interim Roma, Ostia, Civitasvetus, Parma et Placentia fidei causa in potestatem Caroli Caesaris permitterentur. Igitur praesidio, quod erat quadringentorum hominum fere omnium jaculatorum, digresso pars arcis inferior Philippo Cervellonio Hispano, et alteri centurioni Germano cum suis manipularibus custodienda traditur: Pontificis autem et Cardinalium, qui parte superiore continebantur, custodia Fernando Alarconi cum parvo Hispanorum praesidio committitur. Nam diebus superioribus et hic et Carolus Lanojus cum ea Hispanorum Germanorumque manu, quam ex Hispania traduxerant, praeterea Vasti Marchio, Hugo Moncada et Pompejus Columna Cardinalis Romam convenerant.

XVI. Ceterum pridie deditionis Carolus Lanojus, cumque eo Vasti Marchio Urbe profugerat, ut Hispanorum furorem vitarent, quem seditiosorum quorumdam calumniae in ipsos concitaverant. Itemque paulo post Philibertus Uraniae Princeps, metuens Germanorum impetum, profugit, quorum in se invidiam iramque temeraria pactione, quam praestare nequibat, conflaverat, dum imperii summam comitiis militaribus ambiret. Nam inter Germanos, et Hispanos convenerat, ut ex quadringentis ducatorum millibus, quae Pontifex erat numeraturus, Germanis primum emeritum usque ad captam Romam stipendium, deinde Hispanis persolveretur. Philibertus autem, qui temere sibi cuncta de Hispanorum facilitate pollicebatur, in occulto Germanorum colloquio promisit, si suffragio ipsorum in demor-

tui Borbonii locum sufficeretur, se Hispanis adductis perfecturum, ut tota pecuniarum summa ad ipsos perveniret; eaque pollicitatione ducti Germani sese imperata ipsius facturos esse jurejurando promiserunt. Hoc per indices cognito, Hispani cum Germanis per praefectos colloquentes ipsorum cupiditatem Philibertique injustitiam incusant, seque profitentur eam injuriam et indignitatem non esse laturos; quorum justa expostulatione ac oratione probata, Germani tantopere sunt Philiberti vanam pollicitationem indignati, ut eorum quidam ipsum ad poenam quaerentes, domum, quae *Sancti Marci* cognominatur, qua ille diversabatur, ingressi diriperent; nam ipse, jam certior ab amicis factus, aufugerat.

XVII. Postridie colloquii, sicut fuerat constitutum, in circum Flaminium, qui *campus Agonis* hoc tempore nominatur, utrique de re communi conveniunt; gravissima enim tum pestis, tum etiam fames, quae in dies invalescebant, Urbem invaserant, constituuntque, ut Hispani viginti totidemque Germani suorum suffragio deligerentur, ad quos summa potestas de rebus omnibus communiter statuendi, et imperandi deferretur. Quo facto, quadraginta viris in fanum quoddam coactis placuit, ut quidquid nummorum ad id tempus fuisset a Pontifice tributum, et tum exigi posset, Germanis, ad quos multo minus praedae, quam ad Hispanos pervenerat, distribueretur; utque eo triduo exercitus Roma in oppida circumjecta discederet. Relictis igitur ad Urbis praesidium mille Hispanis praeter arcis custodes ejusdem nationis (nam Germani remanere nolue-

luerunt) sexto Idus Julii exercitu Roma digresso equites cataphracti Tibur, levioris armaturae Arrietum circumque ea loca discesserunt; peditatus in Umbriam processit, partitisque oppidis Narnia Germanis obtigit; sed cum ea civitas sit factionis Ursinae, oppidani Germanorum injurias metuentes, et loci munitione hominumque multitudine freti (multi enim mortales ex proximis vicis eo confugerant) sumtis armis portisque clausis Germanos recipere noluerunt; quorum temeritatem et arrogantiam milites non ferentes simulque, ne horum exemplum et impunitas alios ad obsistendum invitaret, oppidum oppugnare aggrediuntur, oppidanisque gnaviter propugnantibus Hispani, vitato proximo ponte, quo praeterfluens amnis committitur (hunc enim hostes firmo praesidio munierant) per alterum superiorem juxta Interamniam trajecerunt, et in locum, unde oppidani nihil hostile metuebant, pervenerunt, irrumpentesque magnam stragem in omnem sexum et aetatem saevientes ediderunt, majorem edituri, nisi magnus numerus per aversam partem prope arcem in proximum montem fugientes evasissent. Ad hunc modum expugnata direptaque Narnia, ejusque clade et exemplo vicinis perterritis nemo omnium fuit ejus regionis, qui portas accedentibus occluderet. Itaque per oppida et vicos dispersi milites sese oppidanorum castellanorumque opibus alebant.

XVIII. Tertio post mense Germani, posteaquam sedata peste annonam ad mediocritatem redactam esse cognoverant, Romam, ut superioris temporis stipendium exigerent, septimo Kalendas Octobris revertuntur;

sextoque post die Hispani ab Alarcone, cujus tunc erat maxima in exercitu auctoritas, evocati adsunt, ut Germanis, si stipendio dilato Urbem, quod saepe minati fuerant, incendere conarentur, obsisterent. Ceterum Germanis stipendium efflagitantibus, et Pontifice, dum praesentem inopiam excusat, differente, obsides ab eo promissae pecuniae postulantur, traduntarque primum Alarconi, mox ab ipso in campo Florae Germanis. Hi autem fuerunt Sipontinus, qui postea fuit Pontifex Maximus Julius Tertius dictus, et Pisanus Archiepiscopi, Pistoriensis et Veronensis Episcopi, Jacobus Salviatus, Laurentius Rodulphus amici et necessarii Pontificis. His novem dierum spatium ad certam pecuniae partem numerandam a Germanis datum, quibus elapsis, nec soluta pecunia, obsides in campum Florae (huc enim Germani armati velut acie instructa suo more convenerant et patibulum erexerant) producuntur. Quibus conspectis, *occide*, *occide* clamat Germanorum multitudo; sed obsidibus sub patibulum adductis et constitutis, inter se collocuti quinque dierum spatium addunt, et catenis ad brachia injectis, binos convinciunt, in aedisque *Cancelleriae* vocatae munitiorem propinquioremque locum traducunt; sed ne tunc quidem soluta pecunia, iterum et tertio ad patibulum obsides simili ratione atque minis cum maximo ipsorum metu et angore producuntur, spatiisque dilatis reducuntur.

XIX. In tanta rerum iniquitate et angore animi obsides hanc salutis rationem inierunt, limis, quas domestici (nam his aditus ad eos patebat) suggesserant, catenas ipsi secant, contiguum camino parietem familiares

res iidem ex proximo conclavi a custodibus Germanis averso perforant, et rebus omnibus ad fugam comparatis circa mediam noctem, custodibus eisdem somno et mero, quod ipsi large cibo etiam repletis praebuerant, gravatis et nihil sentientibus, manu a familiaribus sublevati per foramen egrediuntur, et per conclavia, et cubicula, cuncta tenebris obtinentibus, supra hortos educti per aptatas ex funibus scalas in hortos descendunt; deinde domum contiguam transgressi vestibus mutatis equisque conscensis in partem muri a familiaribus perforatam feruntur, consilium adjuvante fortuna. Accidit enim peropportune, ut ea nocte, quae fuit pridie Kalendarum Decembris, tenebras et viarum solitudinem continuatus imber augeret. Postridie cum de obsidum fuga Alarcon propere cognovisset, veritus, ne ira perciti Germani in aliquam injuriam impellerentur, Hispanos jubet in armis esse et, quid Germani moliantur, observare. Germani insequente die, ira et odio in dies augescentibus, in campum Florae superiorum dierum consuetudine de obsidibus constituendi gratia convenerunt. Ceterum obsidibus produci jussis, simul ac de ipsorum fuga cognovere, sine tumultu nec magnam indignationem praeferentes praeter omnium opinionem discesserunt.

XX. Post hanc obsidum fugam Caesariani duces, qui multis nuntiis litterisque Caroli Caesaris moniti jussique, ut Pontificem et Cardinales, quacumque ratione daretur, primo quoque tempore liberarent, in eam maxime curam insistebant; sed eorum studio militum, praesertim Germanorum, pertinax cupiditas obsistebat, qui

qui in eo perstabant, ut prius pecunia persolveretur. Sed, quod diu precibus frustra petiverant, id hac demum ratione impetraverunt, ut de pecunia novis obsidibus, qui ab Hispanis custodirentur, et Ostiae ac Civitatisveteris arcibus datis caveretur. Nam Carolus ipse diuturnis bellis exhaustus superioris temporis stipendium persolvere non poterat. Itaque datis obsidibus, et arcibus traditis, postridie Nonarum Decembris Pontifex recepta libertate paulo post mediam consecutam noctem cum Italico praesidio, cui praeerat Ludovicus Gonzaga, Urbietum oppidum natura munitissimum proficiscitur.

XXI. Interea Rex Franciscus, qui neglecta fide et jurejurando, Foederatorum societate armisque confisus, pactis cum Carolo Caesare stare nolebat, posteaquam de Pontificis Venetorumque foedere constitit, legatum ad Carolum misit, ut cum eo de filiorum liberatione novis conditionibus transigeret, qui Venetorum legato sibi, ut constitutum erat, adjuncto a Carolo postulavit, ut, quando Rex Franciscus quod de Burgundia pollicitus fuerat, omni Gallia repugnante praestare non poterat, accepta grandi pecunia pueris Regiis libertatem daret. Ad haec Carolus ita respondit: quam quisque fidem et jusjurandum vel temporibus adductus dederit, hanc ab eo praestari fas esse, et jure gentium constitutum, eoque magis, siquis casus Principem, aut Regem, cujus etiam sine solemnitate et jurejurando pollicita soleant et debeant esse firma, huc necessitatis impulerit: si Rex Franciscus Burgundiam, quam injuste retineret, reddere nequiret, faceret, quod posset,

pa-

pactusque fuisset, ut rediret in ipsius potestatem: aliter numquam nec fidem datam, nec filios liberaturum.

XXII. Hoc responso publice legatis dato, Gallum privatim sic est affatus: *Haec*, inquit, *dicito Regi tuo: quod fidem fallat, quam mihi, tum publice palamque, tum privatim et secreto, cum Madritii soli essemus, dedit, ipsum nec recte facere, nec ut decet virum generosum et Principem: hoc si negaverit, profiteor me armis cum ipso de veritate disceptaturum, singularique certamine controversiam diremturum.* Sperabat videlicet Carolus viro forti justam causam tuenti divinam opem non esse defuturam. Haec autem Granatae gesta sunt inter initia belli Mediolanensis, quo bello confecto, Romaque direpta et Pontifice capto, Henricus Britannorum Rex, dum contentionis causas propter odium, quod ex filiae repulsa in Carolum gerebat, quaerit, facta cum Rege Gallorum amicitia, a Carolo missa legatione petit, ut, quando Rex Gallorum, quod de Burgundia pollicitus fuerat, praestare omni Gallia resistente non poterat, ipse pro sua aequitate contentus sit eo, ut pueri Regii pecunia redimantur, ne hoc pertinaciter negato causam daret publicae Christianorum dissensionis. Ad haec Carolus liberaliter respondit, seque dixit, ut Henrici voluntati morem gereret, ea conditione contentum fore, quam Rex Franciscus tulisset, ut pro Burgundia vicies centena ducatorum millia numeraret, ceteris conditionibus, de quibus foedere Madritiensi convenisset, permanentibus.

XXIII. Multis diebus interjectis, utriusque Regis legati, qui Caroli Regiam assectabantur, velut accepto Regum responso, quorum docendorum causa longum spa-

spatium sibi sumserant, ad ipsum redierunt, utque pax iterum, quibus modo diximus, conditionibus firmaretur, postularunt. Hoc impetrato, dictisque conditionibus, exspectandum esse dixerunt, dum Rex Franciscus suo legato de confirmanda eis conditionibus pace per litteras privatim nominatimque mandaret; atque his rebus et artibus Carolum eludere, quo securius ageret, ut jussi erant, molientes tempus extraxere, donec rebus ad bellum Neapolitanum comparatis duo Regum caduceatores Burgos, ubi tunc Carolus morabatur, pervenerunt, ut ei bellum, quod jam pridem gerebatur, cum legatis visum esset, indicerent. Ut autem Henricus Rex non sine causa bellum indicere videretur, iidem legati rursus ad Carolum convenientes ab eo postularunt, ut quam primum Regi Henrico creditam pecuniam persolveret, quae summa erat trecentorum millium ducatorum, et item quinquies centena eorumdem nummorum millia, quae poena constituta fuerat in eum, per quem staret quominus Caroli cum Henrici filia constitutum matrimonium conficeretur; praeterea magnam vim pecuniarum, quam Rex Gallorum Henrico pendere intermisisset, ex quo inita societate inter Carolum et Henricum ea conditione bellum ab eis est in Regem Gallorum susceptum, ut Carolus centena quinquagena millia ducatorum, quae Rex Gallus Henrico in annos pendebat, tamdiu tribueret, donec Henricus, quod tanti esset, in Gallia communibus armis illatis recepisset.

XXIV. Ad ea Carolus respondit: si data pignora et syngrapha sibi reddantur, nullam in se moram fore, quin statim creditam pecuniam, de qua non dubitetur, per-

persolvat; de ceteris, quae summo jure et fortasse injuste peterentur, causa per arbitros cognita, quod fuerit judicatum, ab eo se non discessurum. Cujus responsi aequitate et justitia factum esse videbatur, ut nulla justa causa inferendi belli Britanno Regi relinqueretur, non magis quam Gallo, qui contra jus et fas praeterque omnem speciem honestatis arma in Carolum sumebat. Legati tamen non solum Francisci et Henrici Regum, sed etiam Venetorum et Florentinorum (nam hi cum maxime Regi studerent, se nihilominus in pacificationem interposuerant) velut desperata compositione ad Carolum redeuntes ab ipso, uti sibi ejus voluntate discedere domumque redire liceret, petiverunt. Hoc impetrato legatisque digressis caduceatores, de quibus diximus, ad Carolum introducti, qui hujus rei causa in conclavi magnaque principum virorum praesulumque adstantium corona sedebat, legationem, quam deferebant, exposuerunt, priorque Gallus, cujus legationis haec fuit summa: magnam esse Caroli et intolerabilem injustitiam, qui aequissimis pacis conditionibus repudiatis nec Pontificem Maximum, quem captivum teneret, liberare, nec accepto justo redemtionis pretio filios sibi restituere, nec debitam pecuniam Henrico Britannorum Regi persolvere animum induceret; quoniam igitur tum reipublicae Christianae, tum sibi privatim amicisque gravem injuriam faceret, bellum se illi, et quicumque sub ejus imperio essent, palam indicere.

XXV. Ad haec Carolus respondit, servos pugnare, aut bellum gerere cum dominis suis jure gentium prohiberi; injuste igitur facere Regem Franciscum, qui cum

sit ipsius captivus justo bello captus, bellum sibi indicat, praesertim causis nec justis, nec veris illatis; nam Pontificem Maximum, qui se invito et captus fuerit et custoditus, jam esse suo jussu dimissum et liberatum, ut pridie suorum litteris, nuntioque factus fuisset certior; de ipsius vero Regis filiorumque redemtione multum se de suo jure remittentem ad longe etiam leviores, quam aequitas postularet, conditiones descendisse; de pecunia Henrico Regi debita se nihil recusare, quin ei, quidquid fuerit judicatum, persolvat; ceterum mirari, qui Regi Francisco in mentem venerit bellum nunc indicere, quod jam pridem gerat gesseritque cum ipso paene continenter septem annos superiores nunquam indictum.

XXVI. Atque haec quidem Gallo respondit. Britannico vero caduceatori, cujus idem paene fuit orationis exitus, quique Henricum non sua solum, sed etiam Regis amici et Pontificis Maximi injuria et contumelia permoveri dixit, eadem paene respondit; illud tamen adjecit, precari sese Deum immortalem, ne sibi Henricus justiorem bellum ei faciendi causam praeberet, quam ipse illi praebuisset. Jam enim Carolus intellexerat, Henrico esse in animo, ut in suam contumeliam Catherinam uxorem suam et ipsius Caroli materteram (id quod paulo post perfecit) repudiaret, ex qua ante annum plusquam vigesimum ducta liberos procreaverat. Deinde ad Gallum caduceatorem conversus Carolus: *Haec quoque*, inquit, *meis verbis dicito Regi tuo, quae nuper ego Granatae Burdigaliae praesidi ejus legato ipsi renuntianda mandaveram: ea si nondum cognovit, det operam, ut primo quoque*

que tempore cognoscat, nec enim parvi refert ad ipsius famam; jam intelliget, quanto melius ego ei, quam ipse mihi, promissa faciam. Haec caduceator eidem legato, qui nondum ex Hispania excesserat, cum nuntiasset, ille sive oblitus, sive oblivionem simulans a Carolo per litteras petit precaturque, ut oblito sibi verba illa, de quibus caduceatori memorasset, per epistolam suggerere ne gravaretur. Cui Carolus in hunc maxime modum respondit.

XXVII. „Scribis ad me petisque, ut, quae tibi diebus superioribus Granatae dixeram, ac, ut Regi tuo „renuntiares, mandaveram, eidem tibi tamquam imme„mori suggeram, scriptoque referam. Scio, quarum re„rum est ingrata memoria, has homines diligenter o„blivioni tradere consuevisse. Faciam tamen quod po„scis; nec me pigebit, quae tunc dixi, nunc totidem „verbis scripto referre. Sic igitur tibi, cum essemus Gra„natae, mandavi: *Haec dicito Regi tuo, quod fidem fallat, „quam mihi Madritii tum publice palamque multis, tum pri„vatim, cum soli essemus, dedit, ipsum nec recte facere, nec „ut virum generosum decet; hoc si negaverit, profiteor me „armis cum ipso de veritate disceptaturum, et controversiam „singulari certamine diremturum.* Atque haec quidem ego „tibi Granatae dixeram; quae si Regi Francisco, uti „mandavi, renuntiaveris, jam intelliget me meliore fi„de pollicita praestare, quam ipsum, qui fore confir„mavi, cum soli essemus Madritii, nisi promissa face„ret, ut ipsum nec bonum virum esse, nec animi in„genui praedicarem, atque contenderem.“

XXVIII. His rebus ad se perlatis, Rex Franciscus,

N.M.D.XXVIII. cum jam annus ageretur Christi millesimus quingentesimus vigesimus octavus, ne per timorem aut ignaviam certamen effugere videretur, epistolam ad Carolum mittit, nec graviter, nec pro Regia dignitate scriptam, sed more militari: in hanc maxime sententiam.

FRANCISCUS REX GALLORUM,
CAROLO ROMAN. IMPERATORI DESIGNATO, HISPANIARUMQUE REGI
SALUTEM.

„ Renuntiatum mihi est a legatis, quos ad te de „ pace misi, te conditiones aequissimas aspernantem „ excusationem attulise, quod ego istinc violata fide „ profugerim; quamobrem, ut meae famae consulam, „ quae falsis a te obtrectationibus et calumniis gravi- „ ter impetitur, hanc ad te provocandi causa epistolam „ mittere constitui. Nam licet nemo, cui sint custodes „ impositi, data fide teneatur, qua ratione id meum „ factum vel sola purgari posset; tamen meae famae „ consultum esse cupiens, cujus magnam semper habui, „ habeboque, dum vita suppetet, rationem, ut hominum „ de me opinioni satisfaciam, sic tecum agere decrevi: „ si me fidem datam violasse jactasti, vel jactas, aut „ contemta fama quidquam fecisse, quod virum nobi- „ lem bonae famae studiosum non deceat, te turpiter „ mentiri dico, et quoties dixeris, mentiturum. Quo- „ niam igitur falso meam famam laedere conatus es, „ nihil amplius mihi scribas, sed locum certamini ido- „ neum tutumque deligito, ego arma utrique deferam. „ Ac nequid posthac temere in meam contumeliam „ voce, vel scripto jactes, Deum hominesque testor,

„ jam

„ jam per me non stare, quominus inter nos controver-
„ sia singulari certamine dirimatur. Vale. Lutetia quin-
„ to Kal. Aprilis. “

XXIX. Hanc epistolam Rex Franciscus ad Carolum perferendam ejus, qui ad ipsum erat, legato dare volebat, in Hispaniam proficiscenti; sed hoc accipere recusante, eumdem jubet Carolum Caesarem certiorem facere, ut ipsius voluntate fideque publica caduceatori suo epistolam in Hispaniam ad Carolum deferenti adventus reditusque tutus concedatur. Cujus legati litteris certior factus Carolus, tres eodem die nuntios cum litteris ad Regnorum confinia obviam caduceatori dimisit, ut is, quacumque veniret, accepta publica fide et liberaliter habitus, nulla interposita mora, ad ipsum, qui tunc ad Montisonem oppidum aderat, perduceretur. Quo caduceator cum pervenisset; ad Carolum cum majestate sedentem (sic enim ipsi Carolo rem geri placuit) introductus, multis proceribus adstantibus: *Rex*, inquit, *Gallorum dominus meus a te, Maxime Imperator, suam famam sinistris sermonibus laedi iniquo animo ferens, sui purgandi et falsas criminationes armis convincendi causa hanc ad te scriptam epistolam mihi perferendam dedit, quam cum legeris, plane cognosces, quam ille semper fuerit honesti, justitiaeque cultor, atque laudis studiosus*. Haec effatus, epistolam Carolo reddidit. Qua Carolus accepta: *Respondebo*, inquit, *Regi, caduceatoremque remittam. Tu Regi tuo renuntiato, ut ipse quoque caduceatorem meum ire atque redire sine periculo posse litteris fidem faciat*.

XXX. Sic Gallo caduceatore dimisso, et palam epistola in eodem principum virorum coetu recitata, Caro-

rolus Regis Gallorum injurias in se, suaque in ipsum officia commemorat; quae indignitas et ingrati Regis perfidia cum non ferenda, sed armis vindicanda videretur, ipsum tamen, ut ceterorum sanguini parcatur, per se cum Rege Francisco viritim dimicando controversiam dirimere statuisse. His auditis viri principes cum animi magnitudinem simul, ac humanitatem Caroli collaudassent, omnes ei suam operam et studium, vel cum vitae fortunarumque discrimine, vel ad propulsandas vel ad persequendas injurias liberaliter pollicentur. Carolus vero ad Regis epistolam in hunc modum respondit.

CAROLUS ROMANORUM IMPERATOR DESIGNATUS, GERMANIAE HISPANIARUMQUE REX FRANCISCO GALLORUM REGI, S. D.

„Epistolam tuam, cui dies erat adscriptus ad quin- „tum Kal. Aprilis, mihi reddidit Gienna caduceator tuus „sexto Idus Junii, longo scilicet intervallo, ad quam „eadem fere, quae eidem caduceatori dixeram, rescri- „bam. Quod legatis et caduceatoribus, quos ad me „de pace misisses, quaedam ad tuam contumeliam per- „tinentia me tibi purgandi causa jactasse scribis, ego „nec caduceatorem tuum quemquam vidi praeter eum, „qui Burgos ad me venit, ut tuis verbis bellum no- „bis indiceret, nec erat, cur me tibi, quem nunquam „per injuriam offenderam, purgarem; te autem, si ni- „hil aliud, tua certe ipsius culpa accusat et conde- „mnat. Quod autem fidem, quam mihi dederas, me re- „quirere dicis, est, ut ais; requiro enim illam, quam

„mi-

„mihi Madritii foedere dedisti, te in meam potesta-
„tem, ut meum captivum justo bello captum, reditu-
„rum, nisi liberatus pacta conditionesque foedere ac-
„ceptas perfecisses, ut scriptura publica tuaque manus
„testimonio est. Me vero jactasse, te contra fidem da-
„tam ex custodia profugisse, commentitium est; non
„ego in hoc tuam perfidiam esse dico, sed in eo, quod
„foedus non servas, et jusjurandum fallis, in quo nul-
„la est necessitatis excusatio: quam enim quisque fi-
„dem hosti dederit temporibus adductus, hanc ut prae-
„stet, jus gentium esse constat, et proborum hominum
„consuetudinem, qua sublata tollitur ratio bella semel
„conflata sine summa hominum pernicie dissolvendi.
„Quod vero ais, si te dico, aut dixero fidem datam
„violasse, aut contemta fama quidquam fecisse, quod
„virum nobilem et bonae famae studiosum non deceat,
„me turpiter mentiri, et quoties dixero, mentiturum:
„ego, quam sis ceteris in rebus, quae ad me non
„pertinent, boni nominis studiosus et officii cultor,
„non laboro; illud citra mendacium affirmo, te, quod
„fidem, quam mihi Madritii tum publice palamque,
„tum privatim separatimque dedisti, fallas, quod pa-
„cta foederaque et jusjurandum violes, te nec boni
„viri, nec generosi munere fungi; hoc si tu verum
„esse negabis, scriptura publica, tuaque manu redar-
„guente non ego, tuam illiberalem, vixque gregario
„milite dignam orationem imitatus, te turpiter men-
„tiri dicam; quamquam hoc, me tacente, res ipsa lo-
„quitur, tuumque tibi factum plurimum ab oratione
„discrepans aperte dicit: profiteor tamen, me, ut ce-
„terorum Christianorum sanguini parcatur, tecum de

„ve-

„ veritate armis viritim disceptaturum, et controversias „ diremturum, ad quod dumtaxat te, qui, cum meus „ captivus sis, pugnare cum altero praeter meam vo- „ luntatem communibus legibus prohiberis, idoneum „ reddo. Quod me amplius ad te scribere vetas, sed „ aequum tutumque pugnae locum praebere, teque di- „ cis arma utrique deportaturum; patiaris, oportet, haec „ ad te scribi, tuaque malefacta, dum res postulat, me- „ morari. De loco certaminis conditionem accipio, da- „ boque operam, quantum erit in me, ut loco injuria, „ omnesque absint insidiae. Erit autem idoneus locus, „ ut jam nunc nobis condicatur, in confinio Regnorum „ nostrorum ad parvum sinum, qui est inter Fontera- „ biam et Andajam, qua parte et qua ratione inter „ nos convenerit, et ad parem conditionem, tutamque „ ab insidiis rationem pertinere visum fuerit; quem lo- „ cum, nihil est, quod recuses, cum ibidem et tu di- „ missus fueris, et filios foederis obsides tradideris; quo „ ex utraque parte viros nobiles et rei militaris peri- „ tos mittere licebit, quorum judicio omnia, quae ad „ parem pugnandi conditionem pertinebunt, et, utrius „ sit jus arma utrique deligendi, quod ego potius „ meum esse dico, quam tuum, et dies pugnae, et ce- „ tera, quae ad negotium conficiendum faciunt, consti- „ tuantur. Tuum igitur erit ad haec primo quoque tem- „ pore respondere, quod si ultra diem quadragesimum, „ quam tibi haec epistola reddita fuerit, distuleris, jam „ omnes intelligent per te stare, quominus singulari „ praelio decernatur. Vale. Ex Montisone pridie Nona- „ rum Julii ann. Christi nati M.D.XXVIII.“

XXXI. Hanc epistolam Carolus caduceatori suo de- dit,

dit, utque ipsi Regi Francisco palam recitaret vel audire recusanti epistolam redderet, et responsum postularet referretque, mandavit. Is ubi Fonterabiam pervenit, nec fidei publicae diploma, ut existimaverat, offendit; Bajonae praefectum per nuntium de suo adventu certiorem facit, et, num diploma receperit, inquirit. Ille quarto post die recepisse respondit, sed cum mandatis, ut non aliter id caduceatori traderet, quam si nihil is aliud afferret, quam quod ad tutum certaminis locum pertineret. Ad haec caduceator, nihil se praeterea, nisi quae ad responsum epistolae Regis et certamen pertinerent, afferre respondit. Tandem accepto diplomate, Lutetiam Parisiorum pervenit, unde paulo ante Rex per causam venationis discesserat, nec caduceatorem ad se venire, donec ipse post aliquot dies Lutetiam reverteretur, permisit. Tunc vero multis viris principibus, non modo Gallis, sed etiam aliarum nationum, qui forte ad Lutetiam aderant, convocatis, multa de Caroli Caesaris injuriis in se, deque ejus iniquitate et superbia falso commemoravit, seque, ut controversias singulari certamine dirimeret, ullum amplius verbum Caroli Caesaris auditurum, vel referri passurum negavit, praeterquam quod ad tutum certaminis locum pertineret.

XXXII. Tunc caduceatorem introduci jubet, protinusque dicere conantem furentibus verbis interpellans: *Memineris*, inquit, *quae scripseris ex Fonterabia, et qua conditione fides publica tibi data sit, et cave, ne quod tibi praescriptum est, excedas*. Nullo ad haec responso dato, caduceator suppliciter a Rege postulat, ut sibi ejus

voluntate officio suo fungi liceat; et Rex: *Non*, inquit, *tibi verbum facere permittam, nisi primum omnium, quae pertinent ad faciendam fidem de idoneo tutoque loco certaminis, exposueris*. Et caduceator: *Recitabo*, inquit, *tibi epistolam Caroli Caesaris, si audire non gravaris; sin aliter, epistolam reddam, sic enim mihi mandatum est*. Tunc vero Rex, cui videlicet certum erat in tam turpi sua causa certamen detrectare, quasi indigna relatu, nec ferenda audiret, caduceatorem increpans surrexit, ipsumque nec audita, nec accepta epistola, male dimisit.



JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS GESTIS

CAROLI QUINTI

IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER OCTAVUS.

I. DUM haec in Hispania Galliaque geruntur, et novus exercitus Francisci Henricique Regum exspectatur; Veneti Franciscusque Sfortia copiis coactis Antonium Leivam, qui cum praesidio Mediolanum obtinebat, oppugnare constituunt. Antonius, quamquam numero militum erat inferior, tamen contemta collectitia manu venientibus Melignanum usque obviam progressus, injecto timore, hostes consistere cogit, Mediolanumque revertitur. Premebantur id tempus, ut plerumque, Caesariani pecuniarum inopia, nec erat, unde Germanis efflagitantibus stipendium conferretur. Genuam igitur, quae in fide Caroli Caesaris erat, Antonius mittit, siqua ratio iniri posset pecuniam exigendi, vel mutuandi, eaque spe Germanos aliquamdiu continuit; sed elapso, qui dictus fuerat, die, necdum reverso nuntio, Germani, facta secessione, tumultuari coeperunt, tanto furore ut domum qua diversabatur Antonius diriperent.

II. Jamque Veneti Sfortianique copiis auctis ad Melignanum consederant, et Joannes Jacobus Medices

cum Rhaetiorum quatuor millibus Cassanum, qui vicus a Mediolano quatuordecim passuum millibus abest, processerat, ut inde Caesarianos commeatibus intercluderet. Hanc manum Antonius cum per se deleri nec factu difficile, et commodissimum esse judicaret, Hispanos et Italos armari, et super arma subuculas linteas indui jubet dignoscendi gratia; ipse eodem habitu equa, ut solebat, invectus in Germanorum concionem, quo armati suo more deliberandi gratia convenerant, procedit, et nuntium Genua re infecta rediisse pronuntiat, se tamen curaturum, ut eis stipendium propediem persolvatur, cujus rei gratia in expeditionem proficisceretur, quo si sequi ipsi velint, sperare rem fore in expedito; sin aliter, se tamen vel cum Hispanis et Italis, quae cogitasset, esse conaturum. His dictis, die jam in vesperum praecipite, nec exspectato responso discedit, et ad portam Romanam, quo Hispani et Itali, ut erat imperatum, conveniebant, contendit. Hoc animadverso Germani, pudore subeunte, ipsi quoque celeriter subuculas induunt, seque expeditioni comparant; itaque brevi omnes ad portam Romanam coierunt.

III. Tunc Antonius simulans praedicansque velle se Melignanum contendere, et noctu hostes imparatos et inopinantes adoriri, via, quae Melignanum ducit, proficiscitur; paulumque progressus, cum jam hostium exploratores renuntiatum discessisse putaret, Theodorum Epirensem, qui paucis equitibus suae nationis praeerat, ad se vocat, agmenque praecurrere, et cum hostili equitatu, si forte occurrat, praelium, dum ipse adest, com-

committere jubet. Theodoro cum viginti equitibus digresso, ipse in Cassanum iter sine duce convertit, nullamque noctis partem itinere intermisso, quia tamen a recta via errabundus deflexerat, in conspectum Cassani non ante solis exortum pervenit. Hostes, procul agmine conspecto, carris et materia sese munierunt, et custodibus per vias dispositis bona pars extra vicum in acie constiterunt. Antonius partitis copiis, Hispanos Italosque diversos jubet per tres vici partes signa in hostes inferre; ipse, duobus Germanorum millibus in acie extra vicum consistere, immotisque manere jussis, cum mille reliquis et Hispanorum parte hostes invadit.

IV. Multis igitur ex partibus magno impetu Caesariani in vicum irrumpunt, custodesque propellunt. Sed his ad suorum aciem sese recipientibus, ipsi in praedam vertuntur. Hoc hostes animadverso in dispersos et praeda impeditos impetum faciunt, et nonnullis concisis ceteros vicissim extra vicum ejiciunt, ad Germanorumque aciem sese recipere compellunt. Antonius accepto vulnere, et vix quorumdam suorum virtute e manibus hostium ereptus, cum se ad Germanos recepisset, eorum cupidinem ac temeritatem castigat, qui nondum parta victoria praedae studuissent; tum eorumdem confirmatis animis, qui non virtute hostium, sed sua temeritate fuissent repulsi, quingentos praeterea ex acie Germanorum deductos, illis alteris adjungit, et sic aucta manu in hostes refertur. Milites, ut fugae turpitudinem virtute delerent, tanto animo certamen redintegrarunt, ut hostes ipsorum impetum ferre nequeuntes sese fugae mandarent, quos insectati Caesariani majore

re

re parte concisa reliquos fere vivos cum quatuordecim signis militaribus ceperunt, perpaucis, quorum fuit Joannes ipse Jacobus, periculo per fugam ereptis.

V. Hoc praelio facto, nulla interposita mora, Mediolanum, quod sine praesidio reliquerant, itinere non intermisso revertuntur, ubi Antonius, superioris temporis consuetudine, civium facultatibus exercitum alere per inopiam cogebatur, cum interim Veneti Sfortianique ad Melignanum totam noctem stratagemate delusi, in armis Antonii adventum exspectantes, constitissent. Nam Theodorus, de quo supra demonstratum est, cum hostili equitatu nimium impari numero congressus facile a multitudine circumventus captusque fuerat, et cum sex equitibus in castra deductus; is ducibus de Antonii adventu percontantibus, mox ipsum cum omni praesidio, ut persuasum habebat, affuturum confirmavit, qua oratione cum exploratoribus congruente, nemo fuit omnium ducum, qui de Caesarianorum adventu dubitaret; itaque primum eorum impetum, deinde insidias metuentes loco se omnes continuerunt, et noctem in armis insomnem transegerunt. Ceterum dolo Antoniique victoria cognita, conatum, si obsidionem urgerent, frustra fore existimantes, Gallicas copias exspectare constituunt. Jam enim Lautrecus Alpes cum magno exercitu superasse, et adventare, et Alexandriam per custodum Germanorum deditionem recepisse nuntiatus erat. Horum enim bona parte ad Boschum Alexandrini agri castellum, quo irati ob non solutum stipendium secesserant, oppressa, facile ceteros ob paucitatem, ut urbem dederent, Lautrecus coëgit, Astamque progressus mul-

multum et spei et animorum Foederatis addiderat.

VI. Eodem fere tempore Genua, quae in Adornorum potestate et Caroli Caesaris clientela erat, a Gallis per Caesarem Fregosum post longiorem obsidionem recepta est, et in Fregosorum potestatem per alterius partis civium temeritatem redacta. Hic enim Caesar inductis pedestribus copiis urgebat a terra, Andreas Doria classis praefectus portum obsidebat, perparce intus re frumentaria suppetente; ceterum invito Doria et prohibere nequeunte naves quaedam frumento onustae in portum secundo vento compulsae magnam civitatis inopiam sublevarunt; quo successu Adorni elati, temere cum Hispanorum trecentorum circiter praesidio erumpentes, cum Caesare Fregoso praelium commiserunt. Interea Fregosi adversariorum absentiam suam occasionem rati, sumtis armis, intra urbem tumultuari coeperunt. Quo nuntiato, qui eruptionem fecerant, ut occurrerent intestino malo, praelium omittere urbemque repetere coguntur. Ita his redeuntibus et sine ordine properantibus, hostes immixti urbem irrumpunt, Fregosisque juvantibus, in suam potestatem redigunt, et paulo post Petro Navarro cum praesidio misso arx quoque recepta est, et tota paene Liguria in Gallorum potestatem redacta.

VII. Lautrecus Mediolano copias cum admovisset, urbem, ut existimabatur, oppugnaturus; Ludovicus Barbianus, qui cum praesidio Italico ab Antonio missus Papiam obtinebat, partem militum Mediolanum remisit. Quo cognito Lautrecus sive hac invitatus occasione, quod imminuto praesidio facile Papiam expugna-

gnari posse judicabat, sive quia sic ante constituerat, ut capti Regis et amissi ad id oppidum exercitus, jacturam et contumeliam ulcisceretur, castra movet, omnemque belli molem in Papiam convertit, et Venetis Sfortianisque copiis sibi adjunctis urbem obsidione cingit, quatuorque diebus magno militum numero magnaque tormentorum vi tam acriter oppugnat, ut bonam muri partem demolitus aditum suis late patefaceret, qua irrumpentes Galli (nec enim parvum praesidium multorum impetum amplius sustinere potuit) urbem invadunt diripiuntque, a nullo maleficio et scelere temperantes, non coenobiis Monachorum abstinere, non sacris aedibus parcere, captos cives, cum semel se redemissent, ab aliis captos iterum, et quosdam saepius sese redimere per supplicia cogere, domus etiam quaedam a Vasconibus potissimum incensae. Ceterum crudelitate et avaritia militum in dies augescente, Lautrecus post diem octavum eorum furori modum imposuit.

VIII. Paucos praeterea dies Papiae commoratus Lautrecus Venetos et Franciscum Sfortiam, ut Caesarianos Antoniumque attenuatos ac paene fractos bello gnaviter persequerentur, hortatus castra movet. Nam se a Galliae Britanniaeque Regibus Pontifici Maximo laboranti opem primo quoque tempore ferre jussum necessario proficisci praedicabat. Foedus etiam per id tempus cum Mantuano et Ferrariensi Principibus percussit, hoc facile adductis, quod Italia fere omnis maximo ut odio Caesarianos propter urbis Romae direptionem et captum Pontificem, sic studio et favore Gal-

Gallos prosequebatur. Amicos igitur omnes cohortatus, per viam Flaminiam Picenumque, non in agrum Romanum, sed in Regnum Neapolitanum, quo Reges, praecipue Gallus, animum intenderant, exercitum inducit.

IX. Cum de Gallorum adventu Romam fuisset nuntiatum, Philibertus Chialonus Princeps Uraniae, quae civitas est in Belgio, Caesariani exercitus ductor (huic enim Carolus Caesar imperii summam per litteras et diploma detulerat) Urbem decimo mense, quam capta direptaque fuerat, relinquit, et copias in Apuliam, quo iter habere Galli nuntiabantur, inducit, et Valmontone aliisque quibusdam Ursinarum partium castellis, quae sumtis armis portas accedentibus occluserant, expugnatis et direptis Trojam, quod oppidum est in Apulia, pervenit. Hic enim tormenta et partem suarum copiarum, quae ex intervallo subsequebatur, exspectare et hostibus sese opponere constituerat. Huc Gallis appropinquantibus et castra quatuor circiter millium intervallo metatis Philibertus praefectorum concilio advocato de ratione belli gerendi sententias exquirit. Vasti Marchio, qui primus sententiam dixit, praelium committere censebat occupato loco superiore, qua venturi Galli videbantur ac iter sibi muniebant. In hanc sententiam, quae multum animi et roboris habere videbatur, ceteri fere pedibus iere, partim ne timidius censere viderentur, partim etiam Gallorum, quos saepe devicissent, multitudinem contemnentes; praeter Fernandum Alarconem, virum magnae virtutis et consilii atque usus rei militaris, quique singulari gravitate et ma-

gnitudine animi rumores populares contemnebat. Hic enim ultimo loco sententiam rogatus, ut ceteris auditis, quod optimum factu esset, pro sua singulari prudentia constitueret ac declararet, in hunc maxime modum verba fecit.

X. „Non possum, viri fortes, non vehementer ob-
„lectari, cum egregiam vestram virtutem et magnitu-
„dinem animi ex verbis sententiaque vestra contem-
„plor, quos nec hostium multitudine deterreri, et
„sic animo paratos esse video, ut nullum periculum
„pro salute publica recusetis. Ceterum in publicis bel-
„li deliberationibus non quid milites praefectique au-
„deant, sed quid poscat Reipublicae bellique gerendi
„ratio, intuendum puto. Si praelii hujus discrimine pa-
„ria nobis et hostibus momenta verterentur, et par
„utrisque et victoribus praemium propositum esset, et
„victis facienda jactura; equidem vestra militumque
„nostrorum virtute confisus, quamvis multitudine supe-
„remur, non magnopere recusarem, quin res in pu-
„gnae discrimen adduceretur. Sed longe aliter sese res
„habet. Nobis victoriae praemium nullum est aliud
„propositum, quam, ut quae nunc in nostra potestate
„sunt, retineamus. Victos non solum Regni Neapoli-
„tani, sed etiam Principatus Mediolanensis, et quid-
„quid in Italia Carolo Caesari Regi nostro paret, amis-
„sio, et defectio sequatur necesse est. Hostibus haec
„omnia totaque Italia praemium unius victoriae pro-
„posita sunt, qui, si victi fuissent, quam aliam jactu-
„ram Rex Gallus Britannusque facerent, nisi ut exer-
„ci-

„ citum amitterent militum magna ex parte mercena-
„ riorum, cui similis alter possit eodem stipendio, si
„ bellum renovare libeat, reparari? Praeterea, si quis no-
„ verit adjumenta sua, et dum bellum gerit, superiore
„ conditione, cum possit, non utatur, hunc ego non for-
„ tem, sed temerarium et stultum putabo. Nos arces et
„ urbes, omnia denique loca munita obtinemus, quorum
„ quae maxime facultatem ad bellum gerendum habere vi-
„ debuntur, haec praesidio firmare ac defendere, bellum-
„ que ducere licebit; qua potissimum ratione Gallos de-
„ bellari posse non solum legimus in veterum monu-
„ mentis, sed nos ipsi saepe experti sumus. Nam in
„ praeliis, quae pari pugnandi conditione committun-
„ tur, Gallos parum aut nihil militum nostrorum virtu-
„ ti cedere, quis ignorat? qui primo impetu plusquam
„ viri esse memorantur et cernuntur, sed diuturniore
„ bello nec ferre calamitates, nec militares diurnos ac
„ nocturnos labores, aestus, ac pervigilia pati possunt.
„ Ad quae omnia incommoda perferenda milites nostros
„ et natura et consuetudo duravit. Occasiones rerum
„ gerendarum nostri perspicacius vident, ingeniosius in-
„ veniunt, inventis solertius ac diligentius utuntur, ho-
„ stium consilia eludere, conatus frustrari melius no-
„ runt. In his igitur initiis, et hac hostium alacrita-
„ te praelio supersedere censeo, et nostris bonis et ad-
„ jumentis, hostiumque malis et impedimentis uti, ut
„ bellum geratur non impetu temerario in hostes ir-
„ ruendo, qui nobis hoc in genere, ut dixi, pares sunt,
„ et numero apparatuque superiores, sed prout rerum
„ temporumque et locorum ratio postulabit. A quo

 „ con-

„ consilio ne licet quidem nobis discedere, si velimus,
„ ut velle debemus, jussis Caroli Caesaris obtemperare,
„ qui cognita hostilis exercitus magnitudine, proxime,
„ ut nostis, ad nos scripsit, ut quam commodissime
„ possimus, bellum, dum ipse copiis nostris imminutis
„ supplementum mittit, ducamus, praesertim cum co-
„ piae nostrae nondum omnes convenerint, adhuc enim
„ Italica sex circiter millium peditum manus, quam du-
„ cit Fabricius Maramaldus, exspectatur. "

XI. Hanc sententiam Philibertus ut maxime probaret, et ceteris omnibus anteferret, fecit non solum auctoris gravitas et opinio virtutis ac usus rei militaris, sed illa quoque ratio, quod Carolus Caesar, cum Philiberto summam imperii ac belli gerendi traderet, illud simul per litteras mandaverat, ut in bello administrando, et consiliis capiendis Fernandum Alarconem, cujus perspecta esset virtus et prudentia, et longus rei militaris usus, adhiberet. Itaque castris munitis bellum ducere et per quaesitas aut oblatas occasiones rem gerere constituit. Galli vero e regione castrorum progressi aperto et aequo loco constiterunt, ut, si praelium Caesariani committere vellent, liceret; sed nostris quiescentibus, intra bombardae teli jactum castra castris contulerunt. Postridie levi equestri praelio commisso, Caesariani equites cum totius equitatus praefecto Fernando Gonzaga male pugnaverunt; nam vexillo amisso, quique vexillum ferebat, Bartholomaeo Campegio Bononiensi viro forti desiderato fusi parum honeste sese in castra receperunt; sed iidem altero praelio, quod secundum paucis diebus interjectis fecere, illius fugae tur-

turpitudinem deleverunt.

XII. Cum dies circiter quindecim in ea castrorum propinquitate consedissent, Philibertus ex concilii sententia quarta vigilia copias educit, tanto silentio et ordine, ut non ante de ipsorum discessu cognoscerent hostes, quam nostri tam longe processerant, ut illi nec impedire iter eorum possent, nec remorari. Itaque confectis eo die passuum triginta millibus, superato Apennino, Arianum pervenerunt, deinde Beneventum, ubi obvius fuit eis Hugo Moncada, qui rem Neapolitanam post interitum Lanoji procurabat. Hic auctor erat Philiberto, ut collatis signis, antequam hostis in Campaniam perveniret, dimicaret, ne regiones illae, unde Caesarianus exercitus alendus erat, vastarentur. Sed hoc consilio, cum bellum ducere placuisset, improbato, circa Idus Martias Neapolim perventum est, et muris refectis montem *Divi Martini* ab aede imposita cognominatum, qui urbi arcique imminet, munierunt, et duorum millium Hispanorum praesidio firmarunt, nondum scilicet arce, qua postea Carolus magnis operibus inaedificandam mandavit, erecta, et hic hostes exspectare constituerunt.

XIII. Hoc Caesarianorum ex Troja discessu, et simili fugae profectione Galli sublati non statim insequendos sibi hostes, sed oppida et urbes recipiendas statuerunt. Quod eo magis fuit in expedito, quod fama celerrime per totum Regnum dissipata fuerat, in magna castrorum propinquitate per Caesarianos stetisse, quominus pari pugnandi conditione praelio decerneretur, eosdemque nocturno silentio castris egressos, fugientibus similes, magnis itineribus sese Neapolim rece-

cepisse; quo factum est, ut a compluribus civitatibus legati ad Lautrecum mitterentur, qui ejus Regisque Galliae imperio obtemperare pollicerentur. Itaque brevi ex omni Apulia nullum oppidum in Caroli Caesaris fide permansit praeter Manfredoniam, quam veteres *Sipunta* nominabant, ad montem Garganum, quae Hispano praesidio tenebatur, et Melphos, ad quod oppidum tuendum Princeps ejus cum praesidio duorum millium Italicorum ex castris Trojaque a Philiberto missus fuerat: quod ille magno studio fortique animo, sed irrita opera conatus est; nam dies aliquot obsidione ac oppugnatione fortiter sustentata, ad extremum expugnato oppido ipse quoque captus est.

XIV. Is bello superiore Neapolitano inter Fernandum Hispaniae et Ludovicum Galliae Reges gesto Gallorum partes secutus fuerat, et his debellatis ipse quoque Melphorum Principatu dejectus; sed facta inter Reges pace, conditione ejus, ut ceteri viri Principes, qui in partibus fuerant, sic ipse ad suum Principatum restitutus in fide Regis Hispaniae permanserat, et pro ipso contra Gallos ad Ravennam depugnaverat, ab ipsisque captus sese redemerat; quin etiam hoc quoque bello, uti docuimus, captus diu mansit in Hispanorum fide; sed ad extremum cum totum paene Regnum, praeter munitissima et praesidio firmata loca, magno consensu partes Gallorum sequeretur, propinquorum et amicorum monitis cessit, qui Hispanorum inclinatam in Italia ac paene jacentem Gallorum stanti et quotidie sese magis attollenti fortunae praeferre, stultum praedicabant. Itaque propinquorum auctoritate permotus ad vete-

terem Gallorum amicitiam societatemque recepto Principatu redivit, proque ipsis adversus Hispanos arma sumsit; quae causa fuit, ut devictis hoc quoque bello Gallis Principatum amitteret, et rebus desperatis se in Galliam primum, deinde ad Turcarum Principem conferret. Itaque abunde poenas dedit levitatis et inconstantiae, quae semper infamiam, saepe etiam amicorum inopiam et fortunarum jacturam parit.

XV. Reliquo fere Regno in ditionem redacto, Lautrecus exercitum magna cum auctoritate magnisque ex ipso Regno copiis adjunctis Neapolim inducit, proque urbe castra ponit in colle, qui est ad praetorium, quod vulgo *Pogium Regale* dicitur. In Gallorum accessu Fernandus Gonzaga cum equitibus levioris armaturae octingentos cataphractos Gallos contemtim incedentes adortus, ceteris fusis aut interfectis, ducentos cepit, captivosque intra urbem induxit, colliculum quoque portae *Sancti Genarii* cognominatae imminentem, qui *caput montis* Neapolitanorum consuetudine nominatur, post longam deliberationem a Caesarianis omissum occupavere Galli, perductisque a majoribus castris munitionibus hic minora fecerunt, et quatuor millium armatorum praesidio ac viginti majoribus tormentis firmarunt.

XVI. Dum ad hunc modum Caesariani obsiderentur, crebris tamen eruptionibus levia praelia vario eventu faciebant. Obsidebantur autem non solum terra, sed etiam mari. Quoniam Philippinus Doria Andraeae praefecti ex fratre nepos, cum octo triremibus, ne quod paulo majus navigium Neapolim appelli posset, prohibe-

bebat. Nam cymbae et scaphae quotidie fere, his invitis, ex Cajeta profectae portum intrabant. Ad quam urbem ego tunc temporis aderam cum Thoma Vio Cardinale viro singulari religione et Theologica doctrina claro. Nam post urbis Romae direptionem is Cajetam urbem patriam, cujus etiam Ecclesiae Antistes erat, ego Neapolim me receperam, unde ab ipso studiorum gratia inter initia belli hujus sum evocatus, ut ex sacra Novi Testamenti scriptura, quam scripto tunc enarrabat, obscura et ancipitia loca ad normam Graecam me adhibito (nec enim ipse Graece noverat) dirigeret ac explanaret.

XVII. Ex Cajeta igitur quotidiana fere consuetudine scaphae vesperi discedebant; et quamquam eorum discessus semper nocturnis ignibus ex locis citra et trans Lyrim amnem editis significabantur, tamen in Aenariam insulam appellebantur; hinc malis velisque depositis remigio fere duodenorum hominum incitatae silentio noctis in portum Neapolitanum perveniebant. Aut enim sua exiguitate, et nocturnis tenebris, triremes extra teli jactum ab arcibus in littore remotas fallebant, aut, si forte illae praesensissent, illatas celeritate praecurrebant, vino magna ex parte, et oleribus salitisque carnibus onustae; quod licet saepe nulla fere earum intercepta facerent, tamen in tanta hominum multitudine commeatuum inopiam parum sublevabant; quod animadvertens Hugo Moncada, ac obsidionem intelligens levissimam fore, si mare pateret Caesarianis, liberaque ex Sicilia ceterisque Hispaniae ditionis insulis Neapolim navigatio redderetur, conandum sibi statuit, si qua ratio ini-

iniri posset octo illas triremes, quae mare reddebant infestum, debellandi. Consilioque cum Philiberto communicato non solum sex triremes, quae erant ad portum Neapolitanum, remigibus et omni genere armorum instruxit; sed etiam magnarum navium scaphas quasdam et id genus naviculas tormentis armavit, ut ea ratione, quod triremium numero deerat, suppleretur; et delectis militibus Hispanis ad sexcentis impositis, cum his ex portu proficiscitur, et in Capreas insulam, multis viris nobilibus, et in his Ascanio Columna et Vasti Marchione officii amicitiaeque gratia comitantibus, ut hostem ad pugnam eliceret, contendit.

XVIII. Philippinus autem sive cognito per exploratores Hugonis consilio, sive ex digressu triremium praeter morem a portu id, quod erat, suspicatus, ipse quoque ad pugnam se comparat, et delectos milites, dum Hugo ad Capreas demoratur, imponit; et jam sero diei infesta classe venientem conspicatus sic suas naves instruxit: sex simul ad Caesarianarum totidem numero impetum excipiendum, praeliumque committendum collocavit: duas, quae extra ordinem vagantes, quo res posceret, inveherentur et subsidio suis laborantibus irent, seposuit. Accidit autem magno nostrorum incommodo, ut quo tempore praelium inibatur, mare, quod ad id tempus fuerat tranquillum, vespertinis auris intumesceret, quae res piscatoria navigia scaphasque ad pugnam inutiles reddidit, et quosdam Caesarianos milites, navigandi praeliorumque navalium insuetos, conturbavit. Igitur commisso praelio, primo impetu Caesarianae triremes facile Gallicas, cum quibus congressae fuerant, cominus pu-

pugnando virtute militum superabant. Ceterum duabus illis, quae seorsum ferebantur, tormentorum telis eminus rem gerentibus et praetoriam potissimum impetentibus, Hugo ipse, qui circa malum suos cohortandi gratia versabatur, accepto vulnere concidit; qui casus, ut hostium auxit, sic minuit Caesarianorum animos; quorum duae triremes sive ducum ignavia et stupore, sive alterius etiam perfidia praelio prorsus abstinuerunt. Harum alteri praeerat Garcias Manricus, alteri Franciscus Doria unus ex principibus Regni Neapolitani, qui hoc magis venit in perfidiae suspicionem, quod facto praelio cum eadem sua triremi ad hostes transfugit. Itaque quatuor triremes, amisso duce, non incruenta victoria ab hostibus devictae et captae sunt. Eo praelio cum Hugone ex nobilitate Caesar Ferramosca, Bernardus Villamarinus Almiranti, Petrus Cardona Comitis Golisani filii desiderati; item ex centurionibus Machinus Haja, Barredus et Spinosa, viri fortissimi. Capti vero Ascanius Columna, et Vasti Morataeque Marchiones.

XIX. Haec accepta calamitas Caesarianis moestitiam multo majorem, quam jacturam peperit, quoniam sublato Hugone magnae et periculosae dissensiones et contentiones ex exercitu Caesariano sublatae sunt. Hugo enim vir gloriae et imperandi cupidus, qui diu cum imperio fuerat et longum usum rei militaris habebat, contemta Philiberti Principis Uraniae adolescentia, facile libenterque ab ejus sententia in conciliis dissentiebat. Cujus auctoritatem nonnullis eorum, qui adhibebantur, studiose sequentibus factum erat, ut concilium in duas velut factiones scissum esset cum magno totius exerci-

tus

tus discrimine. Ut enim civitatibus, sic exercitibus nihil est nec salutarius concordia et amicitia, nec discordia perniciosius, praesertim in iis quorum consilio et arbitrio summa rerum administratur.

XX. Premebantur Caesariani pabulatione, omni pabulo, quod erat intra urbem et in propinquis locis, consumto. Cujus rei causa Philibertus jussis calonibus cunctis in certum locum paulo remotiorem procedere, Fernando Gonzagae cum quadringentis equitibus levioris armaturae et ducentis cataphractis peditum Germanorum quatuor millia milleque Hispanos attribuit, cumque his proficisci et pabulatoribus esse praesidio jubet. Is in locum, qui *vallis pecorum* nominatur, ab urbe Neapoli octo circiter millia passuum, quo iter nisi angustissimum perque montis fauces non patet, eam manum, ut erat imperatum, induxit. Sed vix equitatu Germanisque cum calonibus montem traductis, magnus hostilis tum equitatus, tum etiam peditatus, et cui Caesarianum praesidium par esse nequeat, adesse ab exploratoribus et antecursoribus equitibus nuntiatur; quo nuntio conturbatus Gonzaga inopsque consilii optimum factu esse constituit, ut copiis citra montem reductis angustias occuparet, ubi pauci vel plurimis resistere possent.

XXI. Hoc per agmen pronuntiato, et Germanis, qui angustiis erant proximi, nullo servato ordine retrocedentibus magnus eodem calonum concursus factus est. Itaque commisti inter se utrique alteris magno erant impedimento; et cum res tumultuose et trepidanter administraretur, quo magis properabatur, hoc lon-

gior mora, ut fere trepidantibus accidere solet, ducebatur. Equites autem eodem regressi a suis multitudine et confusione laborantibus transitu prohibebantur. Itacum hostibus urgentibus per montem ipsum evadere nequirent, in hostem conversi impetum ejus aliquantisper sustinuerunt, adhortante ad pugnam Zuazo viro fortissimo, equitum cataphractorum pro Garcia Manrico praefecto.

XXII. Interea Hispani, qui, ut jussi erant, citra montem substiterant, suorum fugam animadvertentes causa nondum intellecta conturbantur. Sed terga dare se indignum reputantes ad proxima aedificia, unde commodius pugnare possent, primum sese receperunt; deinde pars scloppetis armati, auctore et duce Dominico Arriarano centurione, montem juxta fauces conscendunt, in hostiumque conspectum progressi Hispaniam magna voce conclamantes scloppetis eminus rem gerere coeperunt, et repentino clamore, scloppetorumque strepitu et telis hostes usque adeo conterruerunt, ut sistere gradum ac partim etiam referre cogerent. Itaque horum potissimum virtute cohibitis hostibus, spatium per angustias remeandi reliquis datum, et in urbem sine ordine tamen et imperio paucis amissis redeundi. Nam ipse Fernandus initio inter suorum fugam et trepidationem, rebus desperatis, per impeditas angustias transire non valens ex equo desiluit, et per montem, qua equis iter non patebat, evasit ad salutemque contendit. In hac trepidatione et fuga trecenti circiter homines partim occisi, partim capti, et in his Zuazus ipse, strenue cum paucis adversus hostium multitudinem

de-

depugnans, in manus hostium vivus pervenit. Equi vero et jumenta amplius mille ducenti capti; eaque non grandi jactura Caesariani maximum periculum per paucorum Hispanorum virtutem redemerunt.

XXIII. Jam tertius mensis obsidionis processerat, transieratque solstitium, cum caloribus invalescentibus magnus morbus tum urbem, tum castra Gallorum invasit, utrobique partim peste glandulisque, partim febre tertiana mortifera grassante; sed extra magis hostes propter vicinas paludes et gravem odorem, quam nostros intra urbem, et gravius oppidanos, quam milites uterque morbus infestabat. Quo tempore, posteaquam commeatus omnis praeter frumentum et aquam Caesarianos defecerat, et auxilia, quae Carolus Caesar ex Germania mittenda curaverat, ex itinere domum rediisse nuntiata erant; Antonius Ixartinus vir magni tum animi, tum etiam consilii, auctor in concilio Philiberto fit, ut quando jam exercitus cibariorum inopia premeretur, nec auxiliorum, quae a Carolo Caesare cum Henrico Prunsvicensi Comite ex Germania mittebantur, spes ulla superesset, daret operam conareturque praemiis et pollicitationibus Andream Doriam per Philippinum in partes amicitiamque Caroli Caesaris traducere, subjectis causis, cur id factu difficile non fore videretur. Quod si contigisset, cuncta obsidionis incommoda longe fore leviora, et facile viam aperire posse ad hostes superandos confirmabat.

XXIV. Hoc consilio tandem post longiorem disceptationem probato, Philibertus eumdem Antonium consilii auctorem legatum ad Philippinum, qui ad vicum Sur-

Surrenti aderat, cum hujusmodi mandatis mittit: scire se, quam multis et praeclaris officiis, ac strenue et fortiter factis Andreas Doria Franciscum Galliae Regem demeruerit, nec ignorare, pro his non solum nullis praemiis a Rege, ut par erat, ei gratiam esse relatam, sed ne stipendia quidem militaria, quae parce et avare suppeditentur, persoluta. Itaque nec mirum esse, nec praeter magnorum virorum morem, id quod a quibusdam accepisset, eumdem tantae virtutis et auctoritatis virum iniquo animo ferre se suaque magna officia contemtui ludibrioque Regi et Gallis esse, qui saepe soleant pro gratia et praemiis injurias et contumelias externis hominibus referre, quorum egregia opera usi sublevatique fuerint, ut Philippinum ipsum classicosque praefectos testes optimos esse crederet; quam indignitatem quis miretur magnis fortibusque viris non ferendam videri? se igitur, qui egregiae virtuti libenter faveat, nomine Caroli Caesaris, cujus ipse vicem gerat in Italia, conditionem afferre, quam si acceperit Andreas, multum sit tum dignitati, tum commodis suis consulturus, ut quando finis jam appeteret ejus temporis, in quod se suis triremibus stipendia Gallica meriturum cum Rege constituisset, ut libere posset de se suisque navibus statuere, amicitiae et clientelae Caroli Caesaris sese traderet, cujus constantiam et gravitatem memoremque officiorum animum nosset, ejusque fidem sequeretur accepturus ab eo non solum majora et certiora stipendia, sed magnum etiam amicitiae praemium, quod jam ipse definiret, Principatum scilicet in Regno Neapolitano, qui redderet in annos minimum octo millia

lia ducatorum; nam Gallis nunc quoque, ut saepe ante, quemadmodum confideret, devictis, magnam praemiorum occasionem fore, dejectis multis Principibus Neapolitanis, qui leviter ad castra Gallorum transfugissent.

XXV. Haec mandata cum exposuisset Antonius, et liberali oratione, et ad Philippini, et classicorum praefectorum animos pollicitis conciliandos pertinente subsecutus fuisset, Philippinus liberaliter respondit: si sibi par animo et voluntati potestas esset, qui Gallorum importunos mores et contumeliosam amicitiam expertus esset, nihil in se fore cunctationis, quin statim ex Philiberti voluntate responderet; ceterum consilii summa ad Andream rejecta, quae suae partes sint, libenter praestiturum, ut illi primo quoque tempore per litteras et nuntios Philiberti legationem referat, auctorque magnopere fiat, ut conditionem accipiat, et vir tantus tantaeque auctoritatis Caroli Caesaris optimi et gratissimi Principis clientelam ingratae et contumeliosae gentis amicitiae ne dubitet anteferre, ut simul suae dignitati consulat, simul ipsius Philippini et reliquorum praefectorum, qui hoc jam pridem cunctis votis expeterent, sed et classicorum militum voluntati morem gerat.

XXVI. Itaque postridie Christophinum Doriam, et Salvagum, singulis triremibus attributis, Genuam ad Andream cum litteris et mandatis mittit, ut et Philiberti legationem referant, et ad conditionem accipiendam cohortentur. Andreas, audita legatione lectisque litteris et conditione delectatus, consilium cum Ascanio Columna, et Vasti Marchione communicat, quos praelio navali captos,

ptos Genuam ad ipsum Philippinus miserat; et his cohortantibus suamque operam ad negotium cum Carolo Caesare per litteras et nuntios conficiendum pollicentibus, hoc incunctantius conditionem accipiendam esse statuit, quod ad veteres contumelias accedebat nova injuria, qua se a Rege affici existimabat, ut viros principes atque praefectos, pugna navali a Philippino captos ad se transmitteret, postulante. Nam praelio capta ab iis, qui ipsius stipendiis et auspiciis militarent, ad se de jure pertinere, contra quae Andreas Regem victoria, quae ad maximarum rerum imperiique Italiae summam plurimum conferret, contentum esse debere contendebat, eumdem praedam, vel captivos, quos ipse per suos praefectos, militesque et triremes cepisset, ut sibi tradantur, postulare, nec esse Regiae liberalitatis, et a justitia multum abhorrere.

XXVII. In hac igitur controversia et dissensione non fuit difficile Ascanio et Vasti Marchioni, post Philiberti legationem, dubium Doriae et labantem animum impellere. Itaque his cohortantibus ad Philiberti legationem liberaliter respondit, simulque ad Carolum Caesarem legatum cum mandatis, suisque et Ascanii ac Marchionis litteris in Hispaniam mittit. Carolus autem in ea rerum iniquitate conditionem sibi non aspernandam ratus facile ipse quoque adducitur, ut Doriam cum classe in suam fidem clientelamque aequissimis illi conditionibus reciperet.

XXVIII. Inter haec ad Neapolim frequenter erumpentibus Caesarianis levibus praeliis, ut toto fere obsidionis tempore varia fortuna dimicabatur. Erat inter ur-

urbem castraque Gallorum praetorium, quod occupatum ad bellum gerendum nonnihil facultatis praebiturum videbatur. Hoc utrique, ut occuparent, initio ambitiose parvis praeliis contendebant, nunc his, nunc illis occupantibus vicissimque cedentibus. Sed haec praelia initio nostri secundiora faciebant; tunc enim Horatius Ballonius, qui in Foederatorum exercitu Italicorum octo millibus delectae manui praeerat, quae sub Joanne Medice militasse gloriabatur, cum suorum multis occubuit. Postremo tamen Galli majore numero inducti praetorium occuparunt, munitumque et ducentorum militum praesidio firmatum retinebant. Huc ex Caesarianis duo centuriones noctu loci naturam considerandi gratia progressi, sua opinione decepti, facile hoc adiri et expugnari posse Philiberto renuntiaverunt et confirmarunt. His habita fide, Hispano peditatui negotium committitur, qui subuculis linteis, ut nocturno tempore consueverunt, superindutis silentio noctis erumpunt, et pars inter praetorium et castra Gallorum subsidium, si forte mitteretur, repellendi gratia collocatur. Ceteri praetorium oppugnare aggrediuntur; sed custodes, gnaviter alioquin scloppetis propugnantes, locus ipse circumjecta fossa aqua plena defendebat. Itaque suorum quadraginta, et in his Olmedo centurione viro fortissimo desideratis, ducentis amplius vulneratis, re infecta discesserunt. Hic casus magnum moerorem cum reliquo exercitui, tum ducibus Caesarianis attulit, omnes suos conatus, jam pridem reflante fortuna, ad irritum inque suam jacturam recidere reputantibus.

XXIX. Paucis diebus interjectis ad Philibertum de-

latum est Germanorum quosdam, qui nec sine stipendio militare vellent, et calamitates et commeatus inopiam ferre non possent (nam pane dumtaxat, et aqua jam exercitus Caesarianus alebatur) per clandestinos nuntios et legationes cum Gallis de transitu in illorum castra pacisci. Cujus rei occasionem quaerentes, et alios suo scelere contaminare cupientes ceteros Germanos ad injurias inducebant. His enim auctoribus Germani per speciem vini et reliqui commeatus inquirendi in quascumque domos, et Hispanorum ac Italorum hospitia libuisset irrumpere, cuncta deripere, et a nullo maleficio temperare coeperunt. Quod Hispani (nam Italici milites ad magnam paucitatem devenerant, quippe ex sex millibus quotidie dilabentes ad vix trecentos redacti erant) communis salutis causa patienter ferebant, ne ipsorum mutua caedes et discordia fieret Gallorum occasio; donec eadem temeritate impulsi Germani in domum, qua Fernandus Alarcon diversabatur, irrumpentes decem et septem hominibus partim ex domesticis, partim ex militibus, qui sese intrantibus objecerant, concisis totam domum diripuerunt, vix Alarcone ipso, qui ex vulnerato crure laborabat, ferro atque ipsorum manibus erepto, cui turris, qua aedes muniebantur, praesidio salutique fuit; huc enim sublatus a suis in eo discrimine sese recepit.

XXX. Tunc vero Hispanis, consilio per praefectos communicato, tam insignem contumeliam et indignitatem Germanorumque arrogantiam minime amplius ferendam ratis, omnes paratos esse placet, ut siquid praeterea tale Germani conarentur, suam dignitatem cunctis

ra-

rationibus anteferrent, et contumeliosos illatis signis ulciscerentur. Sed Philibertus in hac rerum iniquitate atque discrimine communem Germanorum ducem ceterosque primorum ordinum praefectos ad se vocat, et apud eos verba facit in hunc maxime modum.

XXXI. „Magnus dolor, viri Germani, magnusque „moeror meum animum occupavit, quo me discrimi„nis et calamitatis fortuna compulerit, reputantem, et „rebus Caroli Caesaris propter discordiam metuere in„cipientem; quae res ad hoc tempus vestrae gentis, „quam ego semper colui et propter singularem virtu„tem amavi, simulque Hispanorum fide et virtute, i„temque concordia et amicitia steterunt ac floruerunt; „in quo mea hoc deterior est, quam ducum cetero„rum conditio et praecipua calamitas, quod ceteros „in periculis atque rerum iniquitate, suorum fide con„cordiaque animum confirmante, ea dumtaxat cura so„licitat, ne ab hostibus vel per insidias capiantur, vel „rebus improvisis aut inexploratis sua temeritate supe„rentur: me multa solicitant in hoc difficillimo bello, „in cujus discrimine maxima, si unquam alias, rerum „momenta versantur, agiturque totius Italiae quidquid „Caroli Caesaris ditionis est imperium; mihi enim non „solum hostium Gallorum multitudini, et harum regio„num magno in nostram perniciem consensui obsisten„dum est in tanta rerum omnium inopia, sed etiam „cum meorum militum perniciosa temeritate depugnan„dum, qui injurias et contumelias in commilitones, at„que etiam in praefectos inferre non desistunt; et quod „omnium est gravissimum, domesticas insidias perfi-

 „diam-

„ diamque extimescendum atque cavendum. De contu-
„ meliis et maleficio nihil est quod memorem; vos ipsi
„ vidistis, qua temeritate et Germanis inusitata impuden-
„ tia quidam vestrorum militum domos quasdam, quas
„ Hispani Italique milites habitabant, superioribus die-
„ bus diripuerint, et proxime eam, qua vir illustris et
„ dux praeclarus Fernandus Alarcon diversabatur, qui
„ multis suorum amissis ad munitiora domus turrimque
„ confugiens, vix ipse Germanorum manus evasit; quo
„ temeritatis et flagitii quis eos processuros fuisse cre-
„ dat, nisi verum esset, quod ad me modo delatum est,
„ quosdam ipsorum rebus novis studere, et per occulta
„ colloquia cum Gallis pacisci, et transitum in ipsorum
„ castra moliri? qui ad hoc commodius perficiendum, et
„ majorem gratiam cum nostra pernicie a Gallis ineun-
„ dam hoc scilicet agunt, ut suos ad similes injurias in-
„ ducentes multos habeant sceleris societate contaminatos,
„ quorum auxilio facilius possint conata perficere in mu-
„ tua Germanorum et Hispanorum discordia, aut totius
„ exercitus dissidio, bonis omnibus mecum ad cohiben-
„ dam, et legibus et armis vindicandam ipsorum impro-
„ bitatem et perfidiam conspirantibus. Quas injurias et
„ contumelias initio cum leviores esse, et a falsa pau-
„ corum occultati commeatus opinione profectae, cito
„ cessaturae viderentur; Hispani patienter ferebant, gens
„ provida et moderata, ne mutuis contentionibus res
„ communis proderetur; nunc posteaquam easdem vi-
„ dent in dies augescere et ad summos viros progressas
„ nullo fine cohiberi, sic animo parati sunt viri fortissi-
„ mi, ut nulla amplius ratione tantam indignitatem sibi
„per-

„ perferendam putent, quin sumtis armis violentos re-„ pellant et ulciscantur, quod facient me auctore et du-„ ce, qui et meos milites mutuis injuriis et contumeliis „ prohibere, et perfidorum, si qui sunt, ut esse confir-„ mantur, sceleri et insidiis cunctis rationibus occurrere „ constitui. Erit igitur prudentiae vestrae atque justitiae, „ dare operam pro vestro officio, et in Germanos, qui-„ bus praefecti estis, auctoritate, primum eos injuriis et „ contumeliis prohibere, deinde quaestionem de perfidia „ et insidiis constituere, inque sontes vestris moribus at-„ que legibus vindicare, ne per quorumdam Germano-„ rum culpam et scelus exercitus mutuis caedibus con-„ fectus, aut domesticis insidiis appetitus in tanta ho-„ stium propinquitate in extremum discrimen adduca-„ tur, cum insigni vestrae gentis infamia, quae adhuc „ ore omnium fuit virtutis justitiae atque fidei summis „ justisque laudibus celebrata. “

XXXII. Haec cum Philibertus dixisset, Germanorum praefecti pro ea voluntate et opinione, quam in suam nationem deque ipsorum virtutibus haberet, ei gratias agunt, seque operam daturos esse dicunt, ne in posterum superioris temporis opinione fallatur. De injuriis, quae se invitis fuissent illatae, et quas non a malitia, sed a quorumdam intemperantia profectas fuisse putassent, sibi curae fore, ne amplius inferantur. De studio rerum novarum et insidiis, quarum vel suspicio sibi esset molestissima, illud confirmare, ab ejus flagitii vel cogitatione praefectos omnes abhorrere, se tamen cunctis rationibus enixuros, ut scelus, siquid ejusmodi inter gregarios milites lateret, patefiat, et in auctores, prout

prout rei gravitas et turpitudo poscit, vindicetur. *Hoc,* inquiunt, *quo fiat commodius, nos coacto concilio more nostro quaestionem exercebimus. Tu interim Hispanos in armis esse jube, ut, si scelus cognitum fuerit ad multos pertinere, improborum flagitium cum minore bonorum periculo vindicetur.*

XXXIII. His dictis Germani discedunt, et quaestione habita de paucorum septem aut octo numero male cogitantium scelere compertum, deque his ab ipsis Germanis militibus, qui hastis in eos irruerunt, supplicium sumtum. Tunc omnes omnium nationum milites ad jusjurandum libentibus animis adacti nunquam se ab exercitu, dum panis et aqua suppeteret, discessuros, sed omnes calamitates aequo animo perpessuros, et frumento consumto non recusaturos, quin hostes praelio lacessant, et omnibus officiis fungantur, quae ratio reipublicae et Caroli Caesaris dignitas postulaverit.

XXXIV. Per idem tempus Fabritius quoque Marramaldus, patria Neapolitanus, Italicae manus praefectus, et cujus fidei atque custodiae porta urbis una credita et commissa erat, in perfidiae proditionisque suspicionem, fraude scilicet inimicorum, venit, qui, confictis nomine Lautrechi ad Fabritium litteris, cum his Italum quemdam flagitiosum et astutum hominem, subornatum et instructum mittunt. Is ex industria in locum, unde ab Hispanis, qui in statione erant, conspici posset cum processisset, occultare se ac refugere coepit, ut sui adventus suspicionem nostrorum animis injiceret; quo animadverso Hispani advolant, et hominem cum litteris metuenti ac trepidanti similem comprehendunt, et ad Phi-

Philibertum deducunt, litteris perlectis, in quibus de superiore altera epistola, et prodenda porta praemioque scriptum erat. Philibertus hominem de negotio percunctatur. Ille, ut erat instructus, nihil praeterea se scire respondit, nisi quod diebus superioribus alteras litteras, a Lautrecho ad Fabritium datas pertulisset, et his redditis acceptam ab eodem Fabritio epistolam retulisset; quid tamen rei inter ipsos gereretur, prorsus ignorare. Tunc vocatus Fabritius Philiberto recitatae epistolae et consilii rationem reposcenti magno et intrepido animo respondet: *Insidiae, crede mihi Philiberte, et fraudes commentaque sunt inimicorum meorum*. Et ad eum qui litteras attulerat, conversus: ¿*Tune*, inquit, *litteras mihi unquam ante hac attulisti vel reddidisti*? *Ego vero*, respondit ille, *et attuli et reddidi; et ad te responsum per litteras retuli*. ¡*Proh facinus*! inquit Fabritius, *et ad Philibertum*: *Jube*, inquit, *oro, Philiberte, scelus hoc, meque custodiri, quem ego facile mendacii scelerisque convincam*. Uterque igitur custodiae datus, deinde utrique, postulante Fabritio, adhibita tormenta. Sed homo ille scelestissimus non minus conscientiae, quam tormentorum vi et impulsu dolum protinus confitetur, insidiasque indicat inimicorum Fabritii; et sic Fabritius est absolutus, et ad suam dignitatem et portae custodiam restitutus.

XXXV. Paucis diebus interjectis Gallica classis, qua pecunia in stipendium portabatur, et multi ex Gallica nobilitate vehebantur, appulsa est, summissique ex castris equites mille ducenti, et peditum sex millia, qui ad Joannis aedem mille quingentos circiter ab urbe passus expositis praesidio essent. Ad hos infestandos cum Joan-

Joanne Urbina jaculatores quingenti, cum Fernando Gonzaga equites trecenti mittuntur. Facto levi praelio, ubi jam dies processerat, Fernandus Gonzaga Joanni Urbinae nuntiatum mittit, ut eam, quam ducebat, manum reduceret; jam enim hostes, ut sibi a suis nuntiatum esset, sese recipere. Urbina vero, et qui cum eo erat, Antonius Ixartinus exspectandum esse dixerunt, dum hostes in castra rediissent, ut posteriores ipsi honestius se reciperent, eoque dato responso incitatis equis feruntur, ut interposita villa quadam tutiores a tormentis et scloppetis, quid ab hostibus fieret, prospicerent. Hoc animadvertentes jaculatores, eosque in hostes invehi existimantes, magno clamore inter sese adhortantes in hostes procurrunt, inopinatam rem praefectis nostris demirantibus. Nam ut milites nostri sine causa in hostes incitati, sic Galli temere in fugam conjecti; a qua non ante destiterunt, quam ad proxima castris aedificia pervenissent, quorum praesidio confisi, jaculatores consistunt, nostrorumque impetum paulisper sustinuerunt; tum nostris in urbem sese recipientibus illi in castra perrexerunt. In ea fuga ex Gallis mille circiter ducenti concisi, capti plures etiam numero. Caesarianorum perpauci desiderati; sed in his Fabius Carachulus ab Hispano jaculatore per errorem pro hoste trajectus.

XXXVI. Ex hoc die mutata fortuna, cuncta fere Caesarianis ad votum fluere, Gallis retro, et in irritum labi coeperunt. Itaque Bertecillus nobilis latro, qui cum perditorum hominum manu circiter quingentorum, omnem circa regionem in hac perturbatione temporum infestabat, incipiens Gallorum, quibus ante favebat, rebus

bus diffidere, legationem ad Philibertum mittit, si sibi ab eo superioris temporis injuriae utcumque illatae parta victoria condonentur, et milites aliquot submittantur, daturum se operam, ut errata superiora majoribus suis officiis compensentur. Ad hanc legationem Philibertus majora etiam officiorum praemia proponens liberaliter respondit, et equites nonnullos Italici generis submisit, quibus sibi adjunctis Bertecillus praedas audacius agere, et commeatus, qui ad castra Gallorum importabantur, avertere, magnoque usui Caesarianis esse. Tunc nostrorum quidam hac occasione et fiducia noctu erumpentes, quoquo versus excurrere, et interceptos commeatus in urbem, quibusdam etiam oppidis direptis, deferre coeperunt. Quod hoc etiam expeditius et cum minore periculo faciebant, quoniam morbo in Gallorum castris invalescente multi equites aegrotare incipientes, curandi causa ex castris in salubriora loca oppidaque propinqua cum suis equis excesserant et equitatus, qui excursiones impediret, ad magnam paucitatem devenerat. Nec fere Gallis alio commeatu jam uti dabatur, quam quem ad Marellanum Adversamque congesserant ex Capua potissimum et Nola suppeditatum, qui et ipse aegre, nec sine magno praesidio in castra, nostris vias omnes excursionibus infestantibus, perferebatur.

XXXVII. Ut igitur hostes omni ex parte commeatibus prohiberentur, ad delendam manum, quam, ut praesidio esset commeatui, Marellanum profectam esse exploratores nuntiabant, equites trecenti cum Fernando Gonzaga, centum cataphracti cum Antonio Ixartino, et Hispani scloppetarii sexcenti a Philiberto missi. Hi pri-

ma vigilia profecti, itinere nullam partem noctis intermisso, in locum opportunum insidiis pervenerunt, ibique quarta vigilia constiterunt; his ut praesidio esset, si forte submisso a Gallis auxilio multitudine premente sese reciperent, Joannes Urbina Hispanorum reliquam manum educere et ad paludes Neapolitanas subsistere jussus; sed orto sole, ubi hostile praesidium sese ostendit, Fernandus cum suis invectus equitatum in fugam vertit; peditatus vero, qui mille quingentorum Helvetiorum erat, jaculatores Hispanos et equites cataphractos in se irruentes conspicatus ad proxima aedificia sese recipit, ibique acriter diu repugnavit; ad extremum tamen superatus est, omnesque vel occisi vel capti. Eodem fere tempore cum Simone Romano, qui Calabriam pro Gallis obtinebat, quinque hominum millia a mille Hispanis, et equitatu ex praesidiis deducto fusa fugataque fuisse Neapolim nuntiatur ductore Comite Burelli, quem Philibertus ad patrem Montis Leonis Ducem, qui pro Rege Siciliam procurabat, miserat, ut communi consilio eam manum opprimendam curarent. Sed in tantis jacturis nihil gravius aut molestius Gallis accidit, quam quod in ea rerum iniquitate ductor ipse Lautrechus morbo absumtus est, qui moriens imperii summam Salutiarum Marchioni et Petro Navarro tradidit.

XXXVIII. Caesariani vero ex malis hostium in dies animis augescentibus audacius liberiusque vagari, agros populari, aedificia circumjectaque oppida excursionibus vastare. Itaque Sarnum Sarni Comes cum centum equitibus et quingentis scloppetariis missus deleto praesidio

dio recepit. Hispani milites injussu Philiberti praedandi causa digressi Somam vastato agro diripuerunt; sed iidem paulo post tentata Nola a Valerio Ursino, qui hanc urbem arcemque cum praesidio sexcentorum hominum obtinebat, rejecti. Quo successu magnis spiritibus sumtis Valerius ducibus Gallorum scribit, ut sibi primo quoque tempore jaculatores mille, equites ducenti submittantur; fore, ut auctus ea manu Gallorum Regem exercitumque cum insigni Caesarianorum calamitate magnis officiis prosequatur. Hanc epistolam perferendam scelestissimo ac perfido homini dedit, qui communis erat Gallorum et Caesarianorum explorator, genus hominum sine fide, sine religione, sine humanitate, diversarum partium intestinus hostis ac pestis, Deo et hominibus invisum. Hic acceptam a Valerio epistolam ad Gallorum duces scriptam detulit ad Joannem Urbinam. Is, lecta epistola et consilio cum Philiberto communicato, eamdem exploratori reddit, et praemiis ac pollicitis oneratum pergere porro jubet, et litteras ducibus Gallorum reddere, et sibi, quid ab eis consilii initum fuerit, renuntiare. A quo cum renuntiatum esset septingentos scloppetarios et equites levioris armaturae centum, cataphractos quinquaginta Valerio submitti, ad eos oppugnandos Fernandus Gonzaga cum trecentis equitibus et scloppetariis quingentis missus, qui eos circa Nolam consecutus commisso praelio, magna parte occisa captaque, fudit.

XXXIX. His rebus gestis, cum jam frumentum etiam esset consumtum, nam quod extrinsecus per incursiones supportabatur, tantae multitudini non sufficiebat;

coacto Philibertus praefectorum concilio, quid fieri placeat in ea rerum iniquitate, sententias exquirit. Quidam castra Gallorum oppugnare censebant; alii, hac sententia propter Gallicarum munitionum firmitudinem et hostium multitudinem improbata, relinquendam esse urbem existimabant, castraque inter Marellanum et hostilia castra munienda loco frumentationibus et pabulationibus itemque ad hostes re utraque prohibendos peropportuno; nec enim de urbe cibariorum funditus inani magnopere laborandum esse, si forte fuisset ab hostibus occupata. Atque haec quidem vicerat sententia, et discessus parabatur.

XL. Sed interim Dominicus Arriaranus, de quo supra demonstratum est, vir magno animo et consilio, suorum manipularium quadraginta jaculatoribus ascitis, inscio Philiberto, urbe silentio noctis egreditur et prope hostiles munitiones minoraque castra progressus quatuor locis idoneis suos disponit et, quid fieri velit, ostendit. Ipse caprinas pelles albicantes, quas consutas, adjuncta etiam canina cauda, in hunc usum comparaverat, sibi induit, et incurvatus manibus pedibusque gradiens canem simulat, et munitionibus succedens sine excubitorum suspicione, nam multi canes cadaverum causa loca illa frequentabant, procedit; dumque loci naturam et castrorum munitiones diligenter exploraret, animadvertit magnum quemdam terrae hiatum, a vallo, quantum lapis manu jaci potest, distantem inter bina castra, qua proxima via erat, quaque ultro et citro commeabatur, intercedere, quo intervallo a Caesarianis occupato commodius et minora castra oppugnari, et sub-

subsidium, si a majoribus brevissima via submitteretur, ad hiatum ex superiore loco repelli posse judicabat.

XLI. Nec his contentus tres aut quatuor milites extra castra ad portam Decumanam, quae in clivo erat, conspicatus, proximeque progressus sese erigit, et telum scloppeto jaculatus, simulque suos ad arma magno clamore vocitans proximum excubitorem invadit, arcteque complexus, ut ex eo de rebus hostium cognosceret, secum per clivum trahit convolvitque; eodem tempore manipularibus, quos scloppeti strepitus exciverat, undique cum simili clamore et strepitu accurrentibus, et Hispaniam magna voce ingeminantibus; hostes autem repentino clamore et sonitu conterriti vim majorem aut etiam insidias metuentes castris sese continent, et ad arma concurrunt. Ita Dominico et manipularibus spatium tuto sese recipiendi datum. Ex captivo, quam in angusto res Gallorum essent, quod diu fuerat ignoratum, cognoscit, non solum equitatum defecisse, sed exercitum etiam nuper maximum cum levibus praeliis, tum maxime morbo ex paludum vicinitate melopeponumque usu contracto ad magnam paucitatem esse redactum; itemque minoribus castris quotidiana cibaria, quae parce suppeterent, ex majoribus in dies singulos submitti, ut uno die commeatuum inopiam ad deditionem compelli possint.

XLII. His rebus gestis et cognitis, Arriaranus Joannem Urbinam certiorem facit; aegrotantibus enim Philiberto et Alarcone, hujus potissimum et item Antonii Ixartini et Urriae, qui militum erant magistri, consilio cuncta fere gerebantur. Urbina nihil cunctandum ratus,

ex-

extrema ejusdem noctis quarta vigilia cum Hispanorum tribus millibus erumpens in castra minora contendit, et intervallum ab Arriarano notatum occupat, loci opportunitatem agnoscit, et ubi cetera, quae nuntiaverat Arriaranus, ex captivis comperit, relictis ibi militibus in urbem ipse revertit; Philibertum de rebus omnibus certiorem facit, communicatoque consilio copias omnes educere et Gallorum minora castra oppugnare placet. Iis etiam deductis qui montem Divi Martini custodiebant, paucis praesidio cum uno signo militari relictis, minoribus castris appropinquantes, occupatis opportunis et aequioribus locis, acies instruunt sic animo parati, ut, si coepta oppugnatione hostes suis subsidio ex majoribus castris venirent, collatis signis dimicarent.

XLIII. His rebus cognitis Gallorum duces octo circiter hominum millia cum magno tormentorum numero subsidio laborantibus suis mittunt, qui per eam viam, qua hiatus terrae, de quo supra docuimus, interjectus erat, progressi, posteaquam loca superiora a Caesarianis, quibus pares esse non possent, teneri animadvertunt, tormentorum telis eminus emissis re infecta in sua castra ab hostibus rejecti reverterunt. Hoc cognito, qui minoribus castris continebantur, salutem dumtaxat paciscentes facta deditione sese in Caesarianorum potestatem permiserunt. Quam fortunam caeteri metuentes, nec satis majorum castrorum munitionibus fidentes proxima nocte extrema secunda vigilia silentio castris egressi Adversam proximum oppidum, quo tutiores murorum praesidio forent, contendunt. Hoc ab exploratoribus renuntiato, equitatus Caesarianus in fugientes immis-

missus consectatusque bonam eorum partem delevit, adjuncta rusticorum turba, qui, ut in militum, quas diligenter observant, calamitatibus solent, sumtis armis praedandi gratia frequentissimi convenerant, multoque magis, quam hostes, in fugientes saeviebant; reliqui, quorum bona pars erant Italici, cum ducibus Adversam pervenerunt. Huc paulo post Philibertus et Alarcon, viribus spiritibusque in adversa valetudine ex victoriae laetitia resumtis, cum ceteras copias induxissent; tormenta disponere et cetera, quae oppugnationi usui sunt, comparare coeperunt.

XLIV. Hoc animadverso rebusque desperatis tum Gallorum duces, tum oppidani, legatis ad Philibertum de pace missis, sese in ejus fidem et potestatem permiserunt. Ceterum Hispani milites, qui cum scalis se ad oppugnationem comparaverant, teneri non potuerunt, quin irrumpentes oppidum diriperent, quamquam bona pars praedae ad Italicos milites, qui castra Gallorum sequebantur, pervenit. Hi enim mutatis suo more insignibus, et sibi pro albis rubras cruces in hunc usum comparatas assuentes, in oppido diripiendo pro Caesarianis sese gesserunt. Ingressus Adversam Philibertus, militibus armis exutis dat veniam et abeundi libertatem. Sed hi fere domum redeuntes a rusticis invadentibus tunicis et subuculis spoliati, multique peremti; itaque perpauci Romam, qua iter erat, pervenerunt. Salutiarum vero Marchio et Petrus Navarrus, Guido Ragonius et Florentinorum legatus, qui commissarius dicebatur, item Navarrae Princeps vocatus, capti, et Neapolim, ut ibi in arce custodirentur, missi. Sed hi omnes

mnes praeter Guidonem paulo post morbo impliciti naturae concesserunt. Sic Gallorum exercitu ad quartum kalendas Septembris deleto nulla pars Regni Neapolitani in fide Gallorum seu Foederatorum mansit, praeter Apuliae pauca oppida loco et opere munita, quae Veneto praesidio ad oram Sinus Adriatici tenebantur, quae et ipsa non multo post in Hispanorum potestatem redierunt.



JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS GESTIS

CAROLI QUINTI

IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER NONUS.

I. DUM haec ad Neapolim geruntur, Carolus Caesar, ab initio belli hujus in Germaniam pecunia in stipendium militare missa, Henrico Duci Prunsvicensi per litteras nuntiosque negotium dederat, ut, confecta militari manu, hanc in Italiam et Neapolim deduceret, et Philiberto, qui a Lautrecho et magnis Gallorum Foederatorumque copiis obsidebatur, subsidio veniret. Sed in fines Mediolanenses magnis copiis progressum Henricum monet Antonius Leiva rogatque, ut tantisper in his regionibus moraretur, dum oppida quaedam Mediolanensis ditionis, quod facile et in expedito Hispanis Germanisque conjunctis foret, reciperentur.

II. Quibus postulatis ac precibus cum adquievisset Henricus, communicato consilio Laudem Pompejam primum oppugnare placet, quod oppidum Joannes Paulus Sfortia cum firmo praesidio multisque tormentis obtinebat. Coepta oppugnatione et parte muri tormentorum telis solo aequata, Hispani facta testudine succedunt, magnoque impetu irrumpere conantur; sed propugnatorum virtute et tormentorum multitudine altitudineque

fossarum cum detrimento rejecti. Ceterum quoniam obsessos inopia frumenti, quod peranguste fuerat provisum, laborare constabat, obsidione premere constituunt sic brevi ad deditionem posse compelli rati, nec id quidem temere, jam enim frumentum paene solis militibus tribuebatur, oppidanis fame pereuntibus; sed tam vehemens morbus, qui tota Italia grassabatur, pestisque Caesarianorum castra praecipue Germanos invasit, ut ex his multis absumtis ceterorum bona pars aut jam aegrotantes aut vim morbi metuentes castris paulatim excederent domumque redirent ipso Duce connivente, qui inter moras obsidionis consumto stipendio, quod parce alioquin fuerat suppeditatum, ipse quoque de domum reditione cogitabat.

III. Ad hunc modum castris paene nudatis, obsidione omissa, Henricus in Germaniam revertit eo potissimum tempore, quo Franciscus Borbonius Comes Divi Pauli cum mediocri equitatu et peditum octo millibus in eas regiones a Gallorum Rege missus pervenit, ut, si Henricus Prunsvicensis cum exercitu Neapolim processisset, ipse quoque Lautrecho subsidio venire pergeret; sin aliter, in finibus Mediolanensibus subsisteret et Venetis Sfortianisque conjunctis Caesarianos oppugnaret. Itaque post Henrici discessum aliquot oppida et castella trans Padum recepit, dum Veneti et Sfortiani, qui sub adventum Germanorum in praesidia discesserant, convenirent. Nam Caesariani ad magnam paucitatem redierant, exiguus erat equitatus, pauci Germani relicti, Hispani vix trium millium numerum explebant, cum quibus copiis et Italicis nonnullis Antonius reli-

cta

cta Laudensi obsidione ad Melignanum consederat. Hostes autem posteaquam praesidiis deductis convenerant, seque Galli cum Italis conjunxerant, in Papiam conversi, hanc oppugnare instituunt, quae ducentorum Germanorum, et Italicorum ad octingentorum praesidio ab Antonio misso tenebatur. A quibus etsi magnis animis strenueque defendebatur, tamen dejecta muri bona parte a magna hominum multitudine acriter urgente ad extremum expugnatur. Antonius enim coepta oppugnatione ex Melignano Mediolanum, ut ibi rei eventum exspectaret et principem urbem tueretur, reversus est.

IV. Diebus aliquot interjectis, cum a Gallis auctore Andrea Doria ad Hispanos Genua defecisset, Hispanorum duo millia, quos Carolus Caesar huic urbi praesidio mittebat, in Liguriam appulisse nuntiantur. Ad hos locorum et rerum Italicarum ignaros excipiendos atque ducendos Antonius Ludovicum Barbianum mittit. Ii paucis diebus sine stipendio et commeatibus in agro Genuensi consumtis, posteaquam intra urbem non recipiebantur, ad Antonium eodem Barbiano duce venire constituunt, et longiore circuitu, ne in hostes inciderent, qui Dertonensem et Alexandrinum agros, qua hi venturi putabantur, obsederant, per Placentinos et Ecclesiasticos fines magnis itineribus non longe a Belgioso oppido ad Padi ripam pervenerunt; quo Antonius cum omnibus copiis progressus amnem navibus trajectos illos ad se recepit Mediolanumque deduxit, ubi se propter hostilis exercitus magnitudinem et propinquitatem continebat. Jam enim tum Veneti, tum etiam Galli et

Sfortiani conjunctis castris ad Melignanum convenerant.

V. Sed Caesarianorum copiis manu illa Hispanorum auctis, Mediolani oppugnatio frustra fore videbatur; itaque Gallus Venetos et Sfortianos hortatus, ut opportunis locis ad Cassianum, Papiam et Viglevenum considentes commeatibus hostes prohibere conarentur, ipse deductis copiis Genuam tentandi gratia, ut a Rege fuerat imperatum, proficiscitur. Sed Laudianum vicum duodecim a Mediolano millibus cum processisset; Antonius, qui nullam occasionem rei bene gerendae aequo animo praeteribat, Mediolano prima vigilia copias educit, quarta non longe ab hostibus progresso Borbonius, primo agmine antecedere jusso, ipse cum reliquis copiis tormentisque subsequi a praemissis speculatoribus nuntiatur. Tunc vero trecentos Hispanos jaculatores cum parvo equitatu properare ac novissimos lacessere, hostemque morari jubet. Hi cum in conspectum hostium venissent, Germanorum hostium aciem, quae ad tormenta substiterat, scloppetis eminus oppugnare incipiunt. Germani despecta paucitate in eos impetum faciunt, et fugientes, donec in Antonii conspectum ventum est, insectantur. Antonius primam aciem, quae Hispanorum erat, in Germanos immittit. Horum impetum Germani ferre nequeuntes, multis scloppetorum telis occisis, ceteri fugam capessunt, nostris ad locum usque tormentorum, ubi Gallorum Italicorumque acies constiterant, insectantibus. Hic vero praelio redintegrato summa vi ab utrisque contenditur. Sed nec tunc quidem hostes diu Caesarianorum impetum ferre potuerunt. Itaque omnibus fusis fugatisque, magna facta caede, Franciscus ipse Bor-

Borbonius in fuga comprehenditur; Hieronymus quoque Castilionensis et Claudius Rangonius Italicorum duces capti. Caesariani magna praeda multisque bellicis tormentis potiti; quorum manus qui fugientes evaserunt, hi fere omnes Papiam continenti fuga delati a sociis militibus, qui cum Picenardo huic urbi praesidio erant, spoliati sunt, armisque et equis exuti.

VI. Duobus Gallorum sociorumque exercitibus, altero ad Neapolim, altero ad Mediolanum deletis et Italico bello jam magna ex parte confecto, Carolus Caesar, quamquam in se illatas injurias armis persequi et fractos adversarios ad quamlibet iniquas pacis conditiones compellere facile posse videbatur, maluit tamen otio et publicae Christianorum quieti, pro sua singulari pietate ac moderatione consulere, foedusque cum Clemente Pontifice Maximo aequissimis conditionibus percussit; quarum ea fuit, ut Carolus in Florentiam urbem patriam Medicum familiam, ab adversariis post Romae direptionem casumque Clementis dejectam, reduceret.

VII. His rebus constitutis, Carolus coacta classe in Italiam navigavit, et post Idus Augusti ejus anni, qui fuit Christi nati millesimus quingentesimus vigesimus nonus, Genuam appulit. ANN. M.D.XXIX. Huc paulo post tres Cardinales pervenerunt, Alexander Farnesius, qui postea Clementi demortuo in Pontificatum Maximum successit, Franciscus Quignonius Hispanus, quem ipsi assectabamur, et Hipolytus Medices, legati de more a Clemente Pontifice missi. Paucis diebus ad Genuam commoratus Carolus Placentiam progreditur. Appropinquanti Antonius Leiva obviam venit, exceptusque ab eo est honorificentis-

tissime et cum magna benevolentiae significatione. Sed non diu Placentiae commoratus Antonius in exercitum, quem ad Ardiragum reliquerat, revertitur, et Papia in deditionem compulsa Sanctum Angelum, quod castellum operibus et praesidio permunitum erat, expugnavit, belloque Mediolanensi confecto exercitum Petro Velezio Guevarae ad oppugnandam Florentiam deducendum, ut jussus erat a Carolo, tradidit, ipseque Bononiam contendit. Huc enim Carolus ad Nonas Novembris pervenerat, nam eodem ante aliquot dies Clemens Pontifex Maximus cum collegio Cardinalium venerat, ut ibi Carolo, quemadmodum erat constitutum, Imperatoriam coronam imponeret. Affuit etiam Dux Mediolanensis Franciscus Sfortia, qui fide publica a Carolo facile impetrata ipsum salutandi suique purgandi gratia venerat. De cujus et Venetorum causa (nam et ipsi legatos de pace miserant) Carolus, qui erat sponte sua ad pacem et publicam quietem propensus, deliberare coepit, Clemente quoque Pontifice, qui se in pacificationem interposuerat, cunctis rationibus adhortante, gravibus prudentibusque viris adhibitis, sed quorum erant nonnulli a re militari, vita et institutis abhorrentes. Ergo ceteris fere in pacem et pacis conditiones longe iis diversas, quas victores victis et male meritis dare solent, inclinantibus, Antonius frustra dies aliquot levioribus verbis horum sententia improbata (nec enim semel his de rebus convenerant) ad extremum ira, cujus erat impatiens, incensus hujusmodi orationem habuit.

VIII. „Nunquam putaram, Carole Caesar, in eas „nos angustias conjectum iri, ut de pace his, quae „fe-

,, feruntur, conditionibus cum Francisco Sfortia, vel
,, cum Venetis facienda consultare animum iuducere-
,, mus, non modo post tot in Italia et Insubribus vi-
,, ctorias, ceteris hostibus pervictis et inito foedere cum
,, Pontifice Maximo, sed ne tunc quidem, cum exerci-
,, tus tuus Mediolani intra extraque obsidebatur, et
,, Italiae, Galliaeque et Britanniae viribus et conspira-
,, tione oppugnabatur, aut cum Neapoli dura itidem
,, obsidione nostri ab iisdem premebantur. Quis enim
,, victor in eas pacis conditiones descendere unquam
,, cogitavit, quas victus turpe duceret accipere? At nunc
,, video prosperis laetisque rebus non solum de hujus-
,, modi pace, coacto a te concilio, consultari, sed et-
,, iam, quod maxime doleo, animum tuum in eam
,, ferri praecipitem quorumdam setentiis impulsum, qui
,, si laborum et discriminum fuissent participes et oc-
,, casiones belli longa militia didicissent, sat scio ipsos
,, longe aliter fuisse censuros. Nunc cum hostem arma-
,, tum nullum viderint, neque unquam in castris per-
,, noctaverint, sed nec talia munera obire iis cordi sit;
,, nihil mirum est, homines Togatos et rei militaris
,, insolentes parum strenue aliorum periculo de rebus
,, bellicis statuere. Capto a tuis Rege Francisco, ejus-
,, que exercitu deleto Franciscum Sfortiam Mediolanensi-
,, bus Ducem ipse per summam liberalitatem praefecisti,
,, putans illum tanti beneficii memorem fore, et tuas
,, partes omni studio atque opibus adjuturum; nemo
,, tamen fuit Italorum paulo modo cordatior, quin sus-
,, pectam haberet tuam liberalitatem, et ipse in primis
,, Sfortia, in quem tantum beneficium conferebatur,
,,qua-

„ quasi velles ea ratione Mediolanensium animos, nequid „ in te moverent tamdiu continere, donec ceteros tuos „ hostes debellasses, et esset de cunctis victoria confir- „ mata. Neque enim adduci poterant homines rerum „ Italicarum periti, eo te vecordiae (sic enim ajebant) „ procesisse, ut Ducatum Mediolanensem tam magno „ emtum, et quo Italicum imperium maxime contine- „ tur, alteri permittere animum induceres nec jure con- „ sanguinitatis tibi conjuncto, nec aliquid magnum de „ te merito, ad summum cujus fidem nullis periculis „ haberes perspectam. Ex qua suspicione orta est illa „ periculosa et difficillima in te tot Populorum ac Prin- „ cipum, quorum in primis fuit Franciscus Sfortia, con- „ spiratio, dum tuas opes in Italia, nimium Ducatu Me- „ diolanensi augescentes, partim suspectas haberent, par- „ tim invidiosas, a quibus periculosissimum nobis bel- „ lum primum ad Insubres, deinde in Regno Neapoli- „ tano communibus armis illatum est. Obsecro te, Cae- „ sar, si, ut victor utrobique ex summis tuorum pericu- „ lis fuisti, sic victus fuisses, poterasne iniquioribus con- „ ditionibus, aut minus ex tua dignitate pacem cum „ Francisco Sfortia, aut Venetis facere, quam ut tu his, „ quidquid tuum per vim aut dolum occuparunt; illi „ Ducatum Mediolanensem retinere permitteres; ipsi, bel- „ lum a te ne renovaretur, vix unius anni vectigalibus „ redimerent? At bonis viris pace semper est bello prae- „ ferenda: quis negat? Addo etiam justo bello nihil „ aliud, quam pacem peti; sed quam pacem? An eam, „ quae futura sit causa belli multo difficilioris? Fac pa- „ cem istis legibus trans Padum; jam tibi erit in Cam-

„pa-

„ pania pro avito Regno minoribus viribus dimicandum.
„ Quamquam quid tandem per optatam inter Christia-
„ nos pacem moratur? Aut quanti demum negotii est
„ Franciscum Sfortiam totis finibus Mediolanensibus, ut
„ meritus fuit, submovere? Quo facto, et Gallorum vi-
„ ribus et animis jam saepe repetito vulnere perfra-
„ ctis et novo foedere conciliatis, Pontifice in tuam
„ amicitiam traducto, Venetis bellum deprecantibus, ni-
„ hil obstare potest, quominus, si velis, simul pacem
„ tutiorem universae Italiae reddas, simul Imperium Ita-
„ licum cum maxima tua dignitate retineas. Nam si
„ difficile fore reputas urbes munitissimas a Venetis re-
„ cipere, quamquam nihil tale fortibus viris est diffi-
„ cile, si tamen eos bello lacessere tibi non est cordi,
„ consultetur sane de pace cum Venetis facienda, Du-
„ catum vero Mediolanensem in potestatem tuam jam
„ totum paene redactum, et qui parvo negotio, siquid
„ deest, omnino redigi potest, ei, qui in te tuorumque
„ excidium sceleratissime conspiravit, cum tanta imperii
„ ac dignitatis jactura permittere, cujus tandem pru-
„ dentiae fuerit? Trigesimum jam circiter annum bellum
„ in Italia, et Gallia citeriore cum Gallis et Gallica-
„ rum partium studiosis gerimus, semper propemodum
„ victores; sed vix una parta victoria, quidquid coe-
„ pimus, retinentes, ecce rursus bello renovato lacessi-
„ mur. Quid fore sperandum est, si ea Provincia cesse-
„ rimus, quae per se opulentissima, nobis ad bellum
„ propulsandum opportuna, tamquam vallum est Regni
„ Neapolitani? Hoc erat, Caesar, quod tot optimi, et
„ fortissimi viri tum Hispani nominis, tum Germani

„pugnantes et in castris occumberent, quod copiae „tuae universae maxima saepe discrimina adirent, et „omnium rerum inopia laborarent, ut tu, quem prae- „sentem putabamus universam Italiam subacturum, quod „tui tot laboribus tantoque diffuso cruore paraverunt, „id hostibus traderes ficta eorum oratione victus, qui „te frustra pertinacibus armis oppugnaverant, dum te „per speciem Religionis ad Christianorum pacem, quam „ipsi perturbant, et ad bellum in Turcas, quos in te „solent concitare, adhortantur. Quod si Turcae adhuc „bello Christianos urgerent, et te pietas in patriam „et religionem, ut nuper, properare cogeret; quibus- „cumque conditionibus pacem cum Christianis fecisses, „laudem pii ac religiosi Principis apud omnes bonos „merereris. Nunc hostis ille Germanorum, fratrisque „tui virtute repulsus in suum se Regnum recepit, et „licet tibi commodius rebus tuis Italicis consulere. Quod „cum ita sit, si Mediolanensi Principatu, de quo nu- „per contendentes affectum jam bellum gerebamus, tam „praeter tuam dignitatem et commoda cesseris; quid „omnes homines loquentur, praesertim qui tuae glo- „riae atque imperio invident, nisi quod jam, post- „quam hic rumor increbuit, loquuntur, tibi neque a- „nimum suppetere, neque vires ad Mediolanum reti- „nendum? Qua opinione quid indignius ad tuam ex- „istimationem, aut periculosius ad Italicum tuum Im- „perium dici potest? Sed ut finem dicendi faciam: uti- „nam Carole Caesar sim falsus vates, sic tamen existi- „mo, si nunc volens Ducatum Mediolanensem e ma- „nibus emiseris, fore, ut non multo post in summum

„Re-

„Regni Neapolitani discrimen invitus adducaris. "

IX. Hanc orationem Carolus, etsi nec vanam esse, nec contemnendam intelligebat, tamen quia statuerat publicam Christianorum quietem cunctis rationibus anteferre, tandem aequissimis conditionibus et pacem cum Venetis fecit, et Franciscum Sfortiam ad suam dignitatem Principatumque restituit ea lege, ut nummorum aureorum *coronatorum* nongenta millia intra decennium tribueret; sed ita ut unam dimidiam partem primo anno, alteram novem annis aequis pensionibus solveret, retentis Caroli praesidio Mediolanensi Novocomensique arcibus, donec summae dimidium primo anno ex lege persolveretur. In quam conditionem Carolus hoc minus gravate descendit, quod jam cum Rege Gallorum pax convenerat, Aloisia Francisci Regis matre, et Margarita amita Caroli Caesaris auctoribus et agentibus, quae cum se in pacificationem interposuissent, Cameracum Belgicum oppidum ejus rei gratia convenerunt, et multis proceribus prudentibusque viris adhibitis de concilianda pace diu cum fuisset disceptatum, foedus ex ipsarum sententia, Carolo et Francisco consentientibus, his potissimum conditionibus factum est: ut Rex Franciscus Flandriae civitates liberaret, quae erant eo jure, ut ab eis causae ad Galliae Regium tribunal ex provocatione rejicerentur: ut ad bellum, quo Carolus jussisset, tredecim triremes rebus omnibus instructas in annum submitteret, suisque sumtibus aleret: ut idem Rex Gallus rursus, quod saepe fecerat, jure cederet, quod ad Regnum Navarrense et Neapolitanum, Mediolanensemque Principatum, quod sese habere praedicabat,

et simul annuam centum millium ducatorum ex Regni ejusdem Neapolitani vectigalibus pensionem et multorum annorum non solutam pecuniam, quae summa ducatorum quindecies centena millia colligebat, Carolo remitteret; hanc enim pensionem Carolus inter initia Regni sui Francisco constituerat, auctore Guiliermo Ceverio, qui hac ratione Gallum a bello Neapolitano, quod Caroli aetatem contemnens inferre moliebatur, avocandum esse censuerat: praeterea, ut idem Rex *coronatorum* duodecies centena millia Carolo numeraret, subductis trecentis millibus, quae Henrico Britanniae Regi solverentur, quam summam ab eo Carolum accepisse mutuam supra demonstravimus. Est autem *coronatus* nummus aureus, qui *scutatus* quoque, et utroque modo ab impressis insignibus nominatur, quinta decima circiter parte minoris valoris quam *ducatus*, qui *ducatus* ex auro puriore, et, ut alio in loco demonstravimus, drachmae circiter ponderis erat, et in Castella undenis argenteis nummis, *regalibus* dictis, et binis aereis *blancis* permutabatur; *regalis* autem sexagenis octonis *blancis*; nam nummus *morapetinus*, qui valorem per tempora mutavit, et cujus nomen his quoque temporibus frequentissime usurpatur, jam re prorsus abolevit, et pro singulis *morapetinis* binae *blancae* numerantur.

X. Has igitur conditiones foedere Cameracensi Rex Franciscus, ne Ducatum Burgundiae, quemadmodum fuerat Madritiensi foedere pactus pollicitusque, justo Principi redderet, utque filios redimeret, libenter accepit, nuptiis quoque Eleonorae Caroli sororis denuo pactis. Carolus autem Bononiae coronatus est a Clemente

Pon-

Pontifice ipso die natali suo, qui festus agitur Divi Matthiae, id est ad sextum Kalendas Martias insequentis anni, qui fuit Christi millesimus quingentesimus trigesimus, ad fanum Divi Petronii in magna Principum Legatorumque frequentia magnaque caerimonia.

XI. Rebus Italicis constitutis Carolus, et publica Christianorum pace firmata, a Clemente Pontifice Bononiaque post Idus Martias discedens in Germaniam contendit, ut ejus tractus suae fidei commissorum mortalium rebus consuleret, et Religioni Christianae prospiceret, quae Martini Lutheri Haeresiarchae impietate et fraudibus per eas regiones exagitabatur. Quo ex itinere cum Mantuam pervenisset, Federicum Gonzagam, qui titulo Marchionis huic civitati imperitabat, quique accedentem omnibus officiis diligentissime ac studiosissime coluit, pro Marchione Ducem deinde jussit apellari. Erat antiquitus Mantua ex earum civitatum numero, quae liberae et Imperatoriae nominantur. Ceterum civilibus contentionibus exagitati Mantuani, Posseñino, qui tyrannidem affectabat, per Ludovicum Gonzagam ejecto, suae civitatis Principatum ad eumdem Ludovicum, cujus probitatem et justitiam perspexerant, volentes detulerunt anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo septimo, ab eoque tempore Gonzagarum familia imperitat huic civitati. Ex qua familia Joannem Franciscum Gonzagam Ludovici abnepotem Sigismundus Imperator Mantuae Marchionem constituit, anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, ut modo Carolus Federicum Ducem effecit. Atque haec quidem apud Carolum ipsum gerebantur.

XII.

XII. In Hispania vero Petrus Fetnandus Velascus Comestabilis Caroli jussa de Regis Galli filiis liberandis exsequebatur. Hos namque initio, cum a patre obsides fidei jurisque jurandi dati essent, Carolus Enecho Velasco Comestabili per Carolum Lanojum ad Victoriam urbem Cantabriae custodiendos dederat, unde Burgos deducti ab eodem Velasco, quoad vixit, custodia indulgentiaque Regia custoditi fuerunt; sed non multo post Enecho vita defuncto, iidem Petro Velasco ejus maximo natu filio et in Principatum titulumque successori, simulque fratri Joanni Tovario Berlangae Marchioni traduntur, ut, si quando Comestabilis ipse a custodia ex causis necessariis evocaretur, Marchio fratris vice functus ipsorum custodiae praeesset. Primum igitur Berlangam, deinde Pedrazam oppidum Comestabilis ditionis munitissimum ad Montem Orospedam non procul urbe Sagovia traducti, ibique custodiebantur: facto autem foedere Cameracensi ipsos liberandi Carolus et Franciscus negotium binis Legatis dederunt; ille Comestabili eidem, et Ludovico Phandio Belgae, quem ante ad Regem eumdem Legatum miserat; hic Annae Memoransiaco, qui postea fuit Galliae Comestabilis, et Tornensi Cardinali. Quibus cum placuisset, ut ad Regnorum confinia et oram Oceani convenirent, Velascus Comestabilis ex Pedraza cum obsidibus Fonterabiam contendit, multis viris principibus propinquis amicisque comitantibus, quorum fuere Joannes Roxas Pozae Marchio, Jacobus Velascus Nievae, Athanasius Ajala Salvaterrae, Alfonsus Mendoza Cluniae Comites; item Bernardinus Velascus Bernardini Comestabilis filius, Petrus Lu-

Luna, qui Fontidognis, Gutierrus Quixada, qui Villagarciae, Franciscus Osorius, qui Valdonquillo, Alvarus Luna, qui Cornago castellis imperitabant.

XIII. Eodem tempore Eleonora Regina, ut cum Regulis in Galliam contenderet, Madritio profecta ad Comestabilem pervenit. Is, ceteris cum Marchione fratre et nobilium virorum comitatu relictis, se subsequi et ad *Pueblam Arganzonis* suae ditionis oppidum, donec rebus confectis atque paratis evocarentur, consistere praecipit; ipse majoribus itineribus ad locum destinatum, quo ceteri Legati convenerant, cum paucis ire perrexit, substititque ad Fonterabiam; nam Regis Legati ad Bajonam, et extrema Regni constiterant. Sed primum utrinque, qui salutem nuntiarent renuntiarentque, missi, deinde Galli ipsi Fonterabiam ad Comestabilem salutandi colloquendique gratia, dum pecunia convehitur, progressi. Tertio demum mense coacta pecunia rebusque constitutis, ut fraus omnis abesset, ad numerandam explorandamque pecuniam cum metallorum peritis ex Hispania Belgioque evocatis Bajonam, ut a Carolo fuerat imperatum, Alvarus Lugus missus est, vir domi nobilis et strenuus, nec solum ad ceteras res gerendas, sed etiam ad civitates moderandas, ut claris documentis ostendit, aptissimus.

XIV. Omnibus rebus comparatis, Reguli evocantur, quos tradendi, simulque pecunias et scripturas recipiendi haec ratio inita fuit Legatorum consensu. Est prope Fonterabiam inter hanc et Bajonam aestuarium fluminis instar, hinc Hispaniam, illinc Galliam attingens. In hujus fere medio navicula constituitur superne ta-

tabulis tecta, aequataque; deinde transversis asseribus, quasi pariete paulo statura humana humiliore, in duas aequas partes distinguitur, ut Regulorum, pecuniaeque custodibus, cum essent cymbis advecti, quasi duorum ponticulorum vicem in permutatione praeberent. Tum paribus equitum, peditumque praesidiis in utraque terra relictis, Kalendis Julii hinc in unam cymbam ex *gavarris* consuetudine Cantabrica nominatis, ferro pari nummis pondere saburratam, cum Regulis et Delphini (quo nomine Galli stirpis Regiae maximum appellant) nutritio Imperatorii Legati, et nobilium nostrae gentis virorum custodia conscendunt; illinc in alteram ejusdem generis cymbam nummorum arcae obsignatae, a quibus Alvarus Lugus numquam discedebat, imponuntur clavisque affiguntur, et cum Legatis Gallis nobilium ejusdem nationis virorum par Hispanicae custodia conscendunt, totidemque remiges, ut Hispanorum Gallorumque vectorum par esset in utraque cymba et pariter, hoc est, gladiis dumtaxat armatorum remigumque numerus, et par ceterarum rerum omnium conditio, nisi quod Velascus Comestabilis, qui nondum vires ex morbo receperat, in quem gravissimum, nec sine suspicione dati veneni superioribus diebus inciderat, extra ordinem pugione tantum armatus, ut erat constitutum, conscendit. Erant praeterea speculatores utrinque mari terraque, nequid insidiarum lateret, dispositi et praemissi, qui cuncta, ut essent pari conditione, considerarent.

XV. Eodem igitur tempore profectae cymbae ubi ad constitutam naviculam sunt appulsae, Comestabilis in

in alteram ejus partem, Anna Gallus in alteram transcendit, et suos uterque cepit quaternas evocare, binos vectores, remigesque binos, ut eodem tempore Galli, qua erat Anna, ad Regulorum cymbam transirent Hispani, qua Velascus, ad eam, qua pecunia importabatur; quod quo fieret commodius, nec transcedentes inter se incurrerent, utriusque cymbae dimidia pars erat hominum inanis relicta, qua citra impedimentum venientes exciperentur. Ad hunc modum permutatione commodissime facta, Reguli in Galliam simulque Regina Eleonora, quae et ipsa comitatum mutavit, trajiciunt, et cum ingenti omnium gratulatione excipiuntur. Comestabilis autem Ludovicusque Phandius cum pecunia Fonterabiam revertuntur.

XVI. Interea Philibertus Uraniae Princeps, ut ei Carolus per litteras imperaverat, copias ex Apulia Florentiam oppugnandi gratia in Thusciam inducit, Perusiamque progressus, hanc urbem Ecclesiasticae ditionis, quam Malatesta Ballonius cum praesidio militum contra Clementem Pontificem occupaverat, oppugnare parat; sed Perusini suis rebus metuentes, Malatestae civi suo denuntiarunt monueruntque, ut Patriae parceret sibique consuleret, nam se suae salutis ac publicae commoditatis rationem habituros; quorum voluntate perspecta, Malatesta discessum ex urbe cum Philiberto ea conditione paciscitur, ut sibi liberum sit, quocumque velit cum suis cohortibus proficisci. Profectus autem, Cortonam primum, deinde hac praesidio firmata Florentiam pervenit, a Florentinis, ut toti officio ipsorum urbis tuendae cum summa potestate praeesset, evocatus.

XVII. Dum haec ad Perusiam geruntur, copiaeque conveniunt (huc enim Vasti Marchio Hispanas cohortes, Fernandus Gonzaga equitatum et Italicorum peditum octo millia, quae Pontifex mittebat, induxit) Philibertus Joanni Urbinae negotium dat, ut Spelum Perusini agri castellum, quod contra Pontificem arma sumserat, pacaret. Is spreta castelli exiguitate, paucis militibus inductis, contemtim accedit, praemisso, qui periculum, nisi imperata facerent, denuntiaret. Castellani, vicissim militum paucitate contemta, tormentorum telis ex muro rem gerere hostemque submovere coeperunt. Itaque, re infecta, et crure letaliter scloppeto vulneratus Joannes Urbina discessit, obiitque paucis post diebus, vir magno consilio, summaque virtute, multis et illustribus documentis declarata, Carolo ipsi acceptus, totique exercitui carus, et importunis militibus inimicus et formidandus; qui cum esset militum Tribunus, hoc est, exercitus Magister, (sic enim Magistratus dicitur, qui militum controversias minuit inque sontes animadvertit) quosdam tamen, de quorum flagitiis compertum habebat, ad tempus tolerabat, ut his merita nece tempore illata, etiam melioribus, ne ab officio discederent, terrorem utilissimum incuteret quam ipse solertiam Romae post direptionem, nondum Caesariano exercitu digresso, amico viro nobili, qui mihi retulit, indicavit; cui demiranti atque roganti, cur obvium militem levi, ut videbatur, ex causa, dum milites parum dicto audientes ad signa cogeret, se vidente confodisset: *Jam pridem*, respondit, *hoc scelus saepe graviora meritum huic occasioni resesvabam, ut unius pessimi ho-*

hominis morte, tali tempore atque modo illata, ceteri perterriti in officio contineantur.

XVIII. Perusia Perusinique agri castellis et oppidis, quae a Pontifice defecerant, receptis Philibertus copias Cortonam induxit, coeptaque oppugnatione oppidanos ad deditionem compulit, militibus, qui praesidio erant, cum singulis vestimentis et gladiis, quo vellent abire, permissis. Florentiam progressus copias generatim distribuit disponitque, et urbem obsidione cingit, quam obsidionem diu et acriter urgente Philiberto, multa parva praelia, oppidanis praesidiariisque militibus erumpentibus, varia fortuna facta. Cum jam Florentini rerum necessariarum inopia tentarentur, Ferruchius Pisanus Joannesque Paulus Chierus cum armatorum tribus millibus magnoque commeatu adventare, et Florentinis subsidio venire nuntiantur. Hoc cognito Philibertus, ceteris in obsidione relictis, cum Germanis mille et totidem Italicis ac parte equitatus obviam ipse venientibus hostibus profectus Pistorium venit; et Italicis cohortibus, cum quibus Fabritius Marramaldus hóc oppidum obtinebat, ex praesidio deductis, cum his Fabritium separatim procedere in hostem jubet, ipse alia via cum ire pergeret, haud longe progressus ad vicum, qui *Sanctus Marcellus* dicitur, in hostes incidit, prælioque commisso Philibertus ipse cum equitatu immissus, dum inter primos praeliatur, duobus scloppeti telis confoditur, et cum quatuor equitibus cataphractis occiditur.

XIX. Hòc casu Germani conturbati consistunt, pars etiam pedem referre incipiunt; hostes alacrius

irruunt; sed accidit magno casu et peropportune, ut Hispani circiter quingenti, qui superioribus diebus, propterea quod jussi in Pannonicum bellum, quod Rex Fernandus gerebat, proficisci imperium detractaverant, cum ignominia dimissi fuerant, ad hunc temporis articulum in locum pugnae pervenirent. Nam dum per ea loca se rusticorum opibus alentes vagarentur, de Ferruchii motibus et Philiberti adventu certiores facti in eam partem, ubi eos congressuros esse judicabant, accurrerunt. Itaque a latere nec opinato invecti et *Hispaniam* magna voce clamantes hosti majorem vim atque multitudinem adesse suspicanti magnum terrorem incusserunt, pedemque referre coëgerunt. Hoc animadverso Germani, et Hispanorum adventu et clamore confirmati, magnis animis procurrunt; Fabritius quoque scloppetorum strepitu et praeliantium exaudito clamore (nec enim longe aberat) cum suis advolat. Itaque hostes repressi in proxima aedificia necessario sese recipiunt. Sed ne hic quidem impetum Caesarianorum sustinere potuerunt, plerique igitur caesi, reliqui fere capti, et in his Ferruchius ipse et Joannes Paulus. Sed gregariis militibus data more Christianorum libertate Fabritius necem Philiberti aegerrime ferens, quasi vellet sui ducis manibus hostis ducis sanguine parentare, Ferruchium obtruncat, Joannem vero Paulum et ceteros praefectos captivos Florentiam in castra deducit; Philiberti quoque cadaver importari jussit, quod ad suburbanum coenobium, cui *Certosa* nomen est, depositum paucis post diebus Uraniam, ut in patria sepultura quiesceret, elatum.

XX.

XX. Hac accepta plaga, et auxilii spe dejecti Florentini, rebus denique desperatis, deditionem facere decernunt; nec enim a Carolo Caesare missis legationibus, ut eam civitatem in suam potestatem fidemque quibuscumque conditionibus reciperet, impetrare potuerant, qui semper ipsos ad Clementem Pontificem rejiciebat. Clemente igitur ipso liberaliter pollicente, se in ejus potestatem permittere constituunt. Sed de conditionibus dum agitatur, magna inter Hispanos et socios Italos seditio in castris exorta est, ex contumelia Italicis quibusdam ab Hispanis nonnullis illata. Quamquam enim Hispanorum prudentiores Romanorum Italorumque virtutem, cui cessit olim maxima pars orbis terrarum, non ignorant; tamen vulgus militare Italos tum hostes, tum etiam socios in bellis Italicis contemnere, ut victores victos consueverunt, propter multas victorias de ipsis sociisque Gallis in Italia partas; Itali vicissim Hispanos odio habent ob eamdem causam, et propter multas injurias in se ab eisdem illatas. Quo fit, ut Italis, si vires adsint et sibi impune id facere posse videantur, raro voluntas desit Hispanos in Italia milites opprimendi, ut tunc accidit ad veteres et communes causas paucorum accedente contumelia, qua impulsi Itali Caesariani, qui numero erant quatuordecim millia, Hispanorum paucitate contemta, qui sex millium numerum non explebant, magna etiam parte ex castris digressa, in horum excidium conspirant, consiliumque cum hostili praesidio communicant, ut commisso praelio illi eruptione facta suae nationi subsidio venirent. Jam enim Italici milites, sed maxime praefecti ex castris in

in urbem ultro et citro commeabant.

XXI. Igitur constituto die, qui fuit ad quartum Kalendas Septembris, bene mane Itali acie instructa in Hispanos movent, eminusque tormentis et scloppetis rem gerere incipiunt. Hoc animadverso Hispani propere ad arma concurrunt, tantisque animis Italos adoriuntur, ut primo impetu illorum primam aciem propellerent; tum Itali inter se cohortati, ut tot numero milites tam paucis, quos ultro provocassent, cedere puderet, confirmatis animis majoreque impetu relati Hispanos sua multitudine reprimunt, et quantum ipsi cesserant, tantum eos cedere neutris tamen terga vertentibus cogunt, frustra Fernando Gonzaga et ceteris praefectis, ad quos sublato Philiberto et absente Vasti Marchione summa imperii redierat, pugnam dirimere conantibus.

XXII. Hoc animadverso Germani, qui numero erant sex circiter millia, sumtis armis, aciem instruunt; deinde postquam urgeri Hispanos, itemque Italicos urbes custodes tela tormentis in se atque Hispanos ex muro jaculantes cernunt, sibi quoque in media Italia metuentes, ne Hispanis deletis similis ad se casus recideret, infestis signis in Italos impetum faciunt. Hinc igitur Germanis, illinc Hispanis ingruentibus Itali facile usque ad sua castra, quae circum collum *Ogaluchium* nominatum posuerant, repelluntur. Hic vero loci munitione adjuti unam fere horam restiterunt; ad extremum hoc quoque loco dejectos, tormentis exutos, tamdiu sunt insecuti, donec urbis munitionibus muroque succederent. Tunc vero Germani Hispanique du-

cum

cum monitis precibusque cohibiti ab insectandis Italis desistunt, atque in castra revertuntur, custodibus etiam urbis quiescentibus, qui tela ex muro conjecerant invitis oppidanis ac magna voce monentibus, ne sua temeritate pacem in civitatis exitium perturbarent, quod exitium eis fuerat initio contentionis a ducibus Caesarianis, ni suos a pugna et eruptione continerent, denuntiatum; quo factum est, ne custodes erumperent praeter paucos numero circiter quingentos, qui, ut Italis laborantibus opem ferrent, injussu ducis erumpentes oppidanorum clamoribus revocati sunt, simulque Hispanorum telis intra urbem rejecti.

XXIII. Ad hunc modum sedata seditione militibusque in gratiam reversis, Florentini dictis acceptisque conditionibus se in Clementis Pontificis potestatem permiserunt, cujus voluntate reliquo exercitu circiter nonas Septembris discedente Germanorum praesidium est impositum, statimque missi ab eodem Clemente, qui civibus primariis sublatis viam tyrannidis munirent Alexandro Medici adolescenti, gentili atque propinquo suo, quem ipse debellatae patriae tyrannum imposuit, crudeli et inhumano exemplo, in eo praesertim qui summus esset morum ac Religionis Antistes Christi Vicarius. Sed id malum non ita multo post ejusdem Clementis, et duorum adolescentium Hyppoliti et Alexandri, in quibus spem omnem posteritatis collocaverat, casibus expiatum vidimus. Nam ipse non longo post tempore in morbum incidit gravem et difficilem, quo diu miserabiliter conflictatus interiit; Hyppolitus Cardinalis paucis post ejus mortem diebus Roma

pro-

profugiens obiit, a suis, ut suspicio fuit, veneno necatus; Alexander vero tyrannus a Laurentio gentili et propinquo suo, cui suam salutem maxime credebat, dormiens pugione confossus occiditur anno tyrannidis sexto.



JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER DECIMUS.

I. TURCARUM Rex Solymanus, cum ante annos tres Fernandi Regis, et Pannoniorum ac Germanorum industria virtuteque ab obsidione Viennae, quam frustra summis opibus oppugnaverat, rejectus fuisset, bellum Pannonicum summa cura reparabat. Itaque magnum numerum longarum navium exaedificandum, fabris undique conquisitis, mandavit, ut Rex Turcarum esset non solum terrestribus copiis, quas ingentes ex omnibus suis Regnis contrahebat, sed etiam classe potens et formidabilis. Hoc cum esset nuntiatum, magnus timor Christianorum animos incessit, praesertim Pannoniorum et Germanorum metuentium, ut res erat, ne tanta belli moles in se potissimum pararetur, et Italorum, qui fama nauticum apparatum, ut multa solet, exaggerante verebantur, ne magnus pro ratione tantae classis Turcarum numerus invectus, Siciliam et Apuliam, quae parvo militum praesidio tenebantur, invaderet, deinde totam occuparet Italiam, aut certe bello gravissimo vexaret. Quod Solymanus non dissimulanter moliebatur, ut ductus ea solicitudine Carolus, dum rebus

Italicis consuleret, infirmior distractis viribus ad bellum Pannonicum redderetur. Hunc enim paene unum petebat Solymanus, quem ex Principibus Christianis metuebat maxime, suisque conatibus obsistere posse existimabat, praesertim per id tempus, quo Carolus circa ea loca morabatur, qui sumta Bononiae, ut demonstratum est, a Clemente Pontifice Maximo corona Imperatoria, cujus potissimum causa ex Hispania in Italiam navigaverat, et rebus Italicis cum magna suae justitiae ac liberalitatis gloria compositis, in Germaniam pervenerat, siqua ratione posset Lutheranorum tumultus cum magna totius Germaniae pernicie frequenter exsistentes comprimere, ipsosque reducere ad sanitatem.

II. Sed causa religionis diu et multum in conventu Germanorum agitata, postquam citra publicam totius Ecclesiae auctoritatem non posse dijudicari visa est, negotium rejicit in commune Christianorum Ecclesiasticum Concilium, et in Flandriam, ceterasque Belgicae Galliae suae ditionis regiones ad conventus agendos progreditur. Quibus rebus dum est occupatus, gravibus et periculosis nuntiis, qui de Turcarum consiliis et immense augescentibus copiis tum terrestribus, tum etiam navalibus quotidie perferebantur, in Germaniam curamque rei bellicae revocatur. Quamvis enim de Turcarum consiliis nihil dum haberet satis exploratum, prudentiae tamen esse statuebat ob periculi magnitudinem ad omnes casus consilia comparare; hinc Principum Germanorum animis ad bellum, si exsistat, repellendum praeparandis, inde cogenda classe ad Siciliam et oram Italiae defendendam. Itaque ex Hispania, Italia et Sicilia,

lia, per litteras et nuntios primo quoque tempore rescriptas, omnes naves, quo praefectus suae classis Andreas Doria Melphorum Princeps constituisset, et item onerariarum quantum eidem satis fore visum esset, convenire jubet, dato Doriae eidem negotio, ut comparata classe, habitoque militum delectu, Siciliam contenderet, eamque, et Calabriae atque Apuliae oram, siquid a Turcis motum esset, pro sua prudentia atque virtute tueretur. Is rem diligenter exsecutus, submissis ab Hispania triremibus cunctis et onerariis navibus, quae cogi in ea festinatione potuerunt, in Siciliam Messanaeque portum pervenit. Eo naves omnes longae, quae oram Neapolitanam, quaeque Siciliam tutabantur, convenerunt, et item quas Clemens Pontifex Maximus auxilio cum praefecto Laurentio Salviato misit, et quinque Religionis equestris Sancti Joannis nuncupatae, et quas suas Doria ductabat, compulsae; ita classis triremium quadraginta cum totidem navibus onerariis confecta, milites autem Italici et Hispani generis ad octo millia coacti.

III. Dum haec in Italia Siciliaque geruntur, Solymanus, missa classe navium longarum supra centum, quae non modo Graeciam tueretur, sed Italiam etiam et Siciliam infestaret, ipse ex Thracia cum exercitu proficiscitur trecentorum amplius millium armatorum, cujus magna pars erat equitatus, et in Pannoniam superiorem Germaniamque contendit. Hujus belli causa et origo fuerunt Fernandi Austriae imperitantis, et Joannis, qui vulgo Vaivoda dicebatur, de Hungariae Bohemiaeque Regno contentiones. Nam huic Regno

non jure hereditario Reges, sed populorum suffragio, moribus legibusque gentis, praeficiebantur; qua de re non erit alienum pauca breviter, altius summa repetita, commemorare. Quo tempore Maximilianus Imperator, Fernandi paternus avus, et Ladislaus Hungariae Bohemiaeque Rex diuturnas de hoc Regno controversias pactione diremerunt, qui fuit annus Christi millesimus quadrigentesimus nonagesimus primus, foedus inter eos certis conditionibus ictum est, quibus civitates et Principes consenserunt; earum conditionum illa fuit in primis, ut si Ladislaus sine stirpe virili decessisset, Regni successio ad Maximilianum ejusque posteros rediret: quod foedus renovatum est inter Fernandum eumdem et Ludovicum, qui patri Ladislao demortuo successerat; cum Ludovicus Mariam Fernandi sororem, vicissimque Fernandus Annam sororem Ludovici in matrimonium ducerent.

IV. Ludovico igitur sine liberis defuncto, et in praelio, quod cum Turcis fuit, interemto, Fernandus utriusque foederis jure sibi Regnum vindicabat: obstitit tamen Joannes Sepusius, vir potens opibus et clientelis; erat enim Nardillae Dux, et pro Rege Ludovico Transilvaniam procurabat, et ob eam praefecturam *Vaivoda* patrio vocabulo dicebatur. Is enim mortuo Ludovico, in Regnum animum intendit, et parte Principum ac popularium praemiis pollicitationibusque et precibus in suam sententiam perducta, ad Budam primariam urbem Rex fuit appellatus, et Regni bonam partem occupavit, usus ad omnia praefecturae et equitum duodecim millium occasione, quos subsidio ducebat Ludovico,

vico, quo tempore is cum Turcis male pugnavit occubuitque; sed paulo post Principum et populorum studiis in duas partes scissis, Fernandus quoque Hungariae Bohemiaeque Rex fuit appellatus salutatusque, unde bella et civiles contentiones exstiterunt. Nam Fernandus initio exercitu coacto, hunc in Pannoniam inferiorem induxit, multaque oppida recepit, et ipsum Joannem praelium detrectantem persecutus est, donec ille Budam urbem cum exercitu sese reciperet; quam urbem, quae opere et natura munita erat, valido praesidio firmatam oppugnare Fernandus cum frustra fore judicaret, praesertim hyeme jam appetente, oppugnatione et obsidione supersedit, et copias in hyberna deduxit eo consilio, ut ineunte aestate bellum renovaret. Tunc Sepusius, relicto ad Budam Georgio Monacho, cujus virtuti et prudentiae plurimum fidebat, et urbis praesidioque praeesse et eam Regni partem procurare jusso, ipse in Transilvaniam proficiscitur, ut ejus imperium sua praesentia confirmaret, simulque ad bellum defendendum necesaria compararet, eodemque tempore ad Solymanum auxilium oratum mittit, quo impetrato, ejus armis et opibus et bellum defendit, et majorem Regni partem occupavit.

V. Ceterum Solymanus parum habens vim et impetum Fernandi exercitus a Joanne Vaivoda cliente repulisse, bellum parat in Austriam, quae superiore Pannonia continetur, avitum Fernandi Principatum; maximoque exercitu comparato hunc ad Viennam usque primariam urbem perducit, eamque circa Idus Septembris, qui fuit annus Christi millesimus quingente- ANN. M.D.XXIX.

si-

simus vigesimus nonus obsidione cingit, nec tormentis solum, sed etiam cuniculis oppugnat. Ita cum bona pars muri corruisset, milites, magno impetu facto, irrumpere nituntur, diuque acerrime praeliantur; sed virtute et constantia civium, et Germanici praesidii, cui praeerat Philippus Princeps Palatinus et Rocandulfus, et Hispanorum trium millium cum praefecto Ludovico Avalo, qui omnium judicio egregiam laudem reportarunt, fracti repulsique sunt; itaque paucis post diebus Solymanus re infecta domum revertit; sed magna clade belli interim in obvios Christianos illata, rediensque Joannem Vaivodam ad Budam Regem Hungariae constituit in clientelamque recipit; adeoque in suscepti belli curam insistebat, ut triennio circiter quiete dato, dum necessaria comparantur, bellum majoribus copiis et majore apparatu renovaret. Qui sibi nova Regna et magnas victorias de Christianis liberaliter pollicebatur, fretus non solum copiarum suarum magnitudine, sed etiam Germanorum, quos primum invadere constituerat, discordia, populis Lutheranis a Catholicis odio capitali dissidentibus, quippe Lutheranorum viribus et errore se abusurum sperabat ad reliquos Germanos debellandos et Caroli Caesaris et Fernandi Regis fratris Regnum avitum occupandum; quod si contigisset Carolo superato, facilem sibi fore putabat de Christianis reliquis victoriam.

VI. Nec abfuit suspicio eumdem a Francisco Gallorum Rege ad id bellum suscipiendum fuisse solicitatum propter occultas legationes, quas per id tempus ab eisdem ultro citroque missas fuisse constabat, nulla, ut ex-

existimabatur, neque necessitate cogente, nec intercedente causa, quae legationes inter ipsos praeter morem et approbationem Christianorum, tali praesertim tempore, postularet, sed instimulante Regem non dolore tantum saepe repetiti vulneris, multis ipsius exercitibus per duces a Carolo deletis, ipsoque ad Ticinum capto atque inde in Hispaniam perducto, sed etiam metu potentiae et auctoritatis Caroli magis in dies augescentis, quam ut suo Regno tutum esse reputaret; itaque cohiberi illius incrementa et opes quacumque ratione minui cupere Gallus putabatur. Quam suspicionem adauxit etiam ejusdem Regis ad Caesaris legationem responsum.

VII. Carolus enim, simul atque Solymani consilium Christianos bello lacessendi ex profectione ipsius cognitum est, licet Italiam an Pannoniam superiorem, Germaniamque peteret, dubitaretur, legationes ad Franciscum Gallorum, Henricumque Britannorum Reges mittit, et eos de Turcarum adventu et magnitudine hostilium copiarum certiores facit, commune periculum esse docet, sive Italiam hostes peterent, sive Germaniam. Nam alterutra debellata Solymanus Rex juvenis et praepotens, gloriae atque regnandi cupidissimus, quique uno nomine Christianos omnes odisset, cui quieturus esse videretur? Vires Christianorum Principum et nationum, quae singulae in dissidio, siquis bono publico privatas rationes anteferret, objici Turcarum copiis sine maximo suo periculo nequirent, conjunctas in concordia longe fore superiores. Proinde hortari, ut in communi periculo publicam religionis libertatisque Christianae causam susciperent; se ita esse animo paratum, ut pro

Re-

Republica Religioneque Christiana nullum sit nec laborem, nec sumtum, nec periculum denique recusaturus; ceterum vereri, ne solus ipse cum fratre Fernando immensis Turcarum copiis obsistere non possit, cum omnia praestiterit, quae ratio locorum atque temporis pateretur tam longe positus ab Hispania suorum Regnorum capite, unde serum esset auxilia, stipendia et commeatus hostibus jam iter ingressis exspectare. Quod malum si accidisset in vicinorum Principum desidia et negligentia, et magnam aliquam cladem Respublica Christianorum accepisset, culpam et notam apud Deum et homines non suam fore, sed eorum, qui se in publica causa deseruissent: quam perniciem et vituperationem se non dubitare, quin ipsi essent magnopere pro sua virtute et in Christum pietate vitaturi.

VIII. Hac legatione eodem fere tempore et in eamdem propemodum sententiam Regibus exposita, Gallus haec in summa respondit: Religionis et libertatis Christianae, quarum semper fuisset studiosus, publicam causam se numquam esse neglecturum; ceterum neque suas partes esse Germaniam, si bello a Turcis lacesseretur, defendere, nec Germanorum virtutem et vires animis, ut par esset, consentientibus externa auxilia ad bellum quamlibet grave defendendum desiderare. Daret igitur operam Carolus, ut quod a se peteret in alieno; hoc Principibus et populis Germanis in ipsorum periculo persuaderet; se tamen, quod sui officii magis esse videretur, Italiae tutelam, si ita Carolo placeat, sibi non gravate sumturum, confecto exercitu, cujus summa esset cataphractorum equitum trium, peditum quinquaginta mil-

millium horumque Germani triginta millia, et cum his copiis Turcarum adventum se in Italia, si huc forte procederent, exspectaturum.

IX. Haec Regis responsa Caesariani, quibus ille, quo diximus, nomine suspectus erat, sic interpretabantur: velle ipsum milite subducto Germaniam reddere ad resistendum infirmiorem et quam in partem Turcarum exercitus duceretur, non ignarum statuisse per occasionem belli Germanici, siquid Caesarianis accidisset, Italiam invadere et Ducatum Mediolanensem, quo se dejectum a Carolo iniquissime ferebat, occupare ac ulterius etiam progredi, si tempus invitaret; quam suspicionem Rex postea conscientia stimulante diluendam sibi putavit, edito excusoque libello, cujus summa fuit, „Malignos esse rerum interpretes, qui suum illud officiose pieque factum calumniarentur, quippe tantum abesse ut ipse Solymani amicitiam expetiverit, eumve ad bellum cuipiam Christianorum inferendum solicitaverit, ut ultro sibi per legationem a Solymano conditionibus non rejiciendis oblatam pacem constanter repudiaverit", *nisi pios ceteros*, inquit, *eriperem mecum omnes ab ejus hostis injuria*; nam his ipsis verbis est usus.

X. Ceterum quamvis Britanni Regis responsa nihilo his fuerunt vel liberaliora vel humaniora, neutrum tamen Carolo praeter spem aut opinionem evenit. Noverat enim utrumque Regem animos a se alienissimos gerere, propter eas, quas supra demonstravimus causas. Itaque non tam impetrandi spe ductus auxilia ab his petitum miserat, quam nequis se posset, quasi superbe aut negligenter fecisset, calumniari, si eam curam in tanta

rerum difficultate neglexisse videretur. Omni ergo spe deposita externorum auxiliorum, praeterquam a Clemente Pontifice Maximo, qui et ipse legatione compellatus liberaliter pro sua facultate pollicebatur, Ratisbonam Germanos in concilium advocat. Eo postquam ex omni Germania Principes et legati civitatum frequentes convenerant, apud eos verba facit de Turcarum adventu; eorumque copiis innumerabilibus docet periculi magnitudinem omnibus Germanis populis, si negligenter agant, imminentis proponi. Non esse cum Turcis de religionis quibusdam et morum institutis contendendum, quae civiles essent quaestiones et finiri possent doctorum hominum disputationibus; sed pro vita et libertate ipsiusque religionis summa dimicandum. Religionis igitur controversias, quas inter ipsos Lutherus et alii quidam excitassent, facile posse generali Christianorum Ecclesiastico Concilio componi et dijudicari, ad quod primo quoque tempore cogendum omnem suam operam, curam et auctoritatem, quam prius detulisset, tunc sanctius etiam polliceri. Proinde omnium injuriarum, ac discordiarum obliti illud tantum meminissent, omnes se Christianos esse, omnes Germanos, iis opibus et gloria bellica, eo corporum animorumque robore praeditos, ut nulla alia ratione, quam sua discordia et dissensione possint a quamlibet magna hostis externi potentia debellari; summe non modo levitatis esse verum etiam stultitiae, quae longe abessent a Germanorum gravitate et sapientia, inter se tali tempore dissentire, civilibusque discordiis, quae multas saepe non modo civitates, sed etiam Regna et gentes perdidissent, perniciosis conatibus in-

infestissimi Christiani nominis hostis per desidiam, aut pertinaciam suffragari. Rogare et monere, ac per Deum immortalem obtestari, ut memores majorum gloriae, cum quibus raro quisquam bello sine sua pernicie contendisset, pro sua pietate, virtute et sapientia ita se comparent conspiratione facta, ut versutus hostis, qui non minus spe ipsorum discordiarum, quam suis viribus fretus pristina bella renovaret, sentiat Germanis nec virtutem abesse ad pugnandum manu, neque consilium ad fraudes et insidias hostiles solerter evitandas.

XI. His et talibus Caesaris admonitionibus, ejusdemque gratia et auctoritate ducti Germanorum Principes et legati civitatum, liberaliterque polliciti, soluto concilio ad suos quisque cohortandos et bello necessaria comparandum discedunt, cunctisque simultatibus et contentionibus ad tempus depositis per totam Germaniam delectus militum haberi coeptus; quod magno studio, magnaque properatione fiebat, jam enim hostis appropinquare nuntiabatur. Ceterum nisi Deus, ut saepe alias in maximis rerum angustiis, sic in ea difficultate res Caroli praecipuo quodam admirandoque favore respexisset, prius hostis dispersos et imparatos Pannonios superiores et Germanos oppressisset, quam plane possent Caesarianae copiae convenire. Sed volente Deo magnum periculum a Christiano populo depellere et Caroli Principis optimi ac religiosissimi piis coeptis adesse (nec enim fortuito tantam rem tam opportune accidisse credi oportet) factum est, ut Danubius, ceteraque flumina aquis solito multo majoribus aucta, (erat enim mensis Julius, cum nives in montibus liquescunt) iter hostium multos

 di-

dies morarentur, pontibus disjectis, qua erat exercitus trajiciendus, et afflictis navibus, quibus magna pars commeatus et tormenta adverso Danubio comportabantur. Haec enim mora nostris spatium dedit non solum ex Germania, sed etiam ex Italia conveniendi. Nam bellici apparatus initio Carolus conquisitores cum pecunia miserat ad militem ex Italia conducendum, ac paulo post ad Alfonsum Avalum Vasti Marchionem, qui copiis praeerat Hispanorum, scripserat, ut eas primo quoque tempore ex Gallia Cisalpina in superiorem Pannoniam perduceret. Quae res idcirco non fuerant in tempore administratae, nec exercitus in hostis adventum comparatus, primum quia dubium erat, priusquam moveret Solymanus, quo tantae copiae pararentur, in Christianos, an in Persas, cum quibus Turcae continenter paene bellum gerebant; deinde quia si vel maxime constaret illas in Christianos parari, difficillimum tamen erat Germanos, antequam ipsis periculum instaret, adducere, ut tantum exercitum, quantum ad obsistendum immensis copiis desiderabatur, diutius alerent. Ita cum omnia post Solymani profectionem, comparari coepta fuissent; jam hostis Pannoniam inferiorem ingressus finibus superioris appropinquabat, nec dum tamen Germanorum copiae convenerant, praeter admodum paucos, quos Caesar statim Viennam properare jussit, ut urbem illam refectis munitionibus tuerentur, in quam potissimum hostes impetum facturi esse credebantur.

XII. Itaque inter has hostium moras confectus est exercitus armatorum circiter centum millium ex Germania, finitimisque populis Caroli et Fernandi clientibus,

aut

aut vectigalibus, praeter Italorum duodecim millia et veteranas Hispanorum cohortes; quae licet esset parva manus, nec enim numerum octo millium excedebat, non tamen parum vel spei addebant nostris, vel timoris hostibus incutiebant non modo propter usum belli gerendi, et quod erant plerique eorum majoribus scloppetis, quos *archibusos* vocant armati, ipsorum tractandorum peritissimi, sed etiam propter gloriam bellicam et multarum victoriarum ab eisdem in Italia de multo majoribus copiis partarum memoriam, fama sub ipsorum adventum in utrisque castris referente, id quod plerisque notum erat, hos esse potissimum, qui multis antea Gallorum ducibus superatis, nuper ad Ticinum eorumdem Regem Franciscum magno fuso exercitu cepissent; qui ad Mediolanum Italiae, Galliaeque et Britanniae in se conspirantium viribus, magnisque copiis restitissent; qui Romam expugnassent; qui magnas item Gallorum copias ad Neapolim delevissent.

XIII. Neque vero Hispani nominis haec solum cohortes illi bello interfuerunt et Antonius Leiva itidem ex Insubribus evocatus, sed multi praeterea viri principes, frequensque juventus ex nobilitate, qui Turcarum adventu in Hispaniam nuntiato magnis itineribus partimque per equos dispositos, officii ac pietatis gratia, ad Regem Imperatoremque suum et sacrum bellum ex omnibus Hispaniae finibus advolarunt; ac in primis Franciscus Stunica Sotomajor Bejaranorum Dux, Ajamontis et Gibraleonis Marchio, et idem Comes Bellalcazaris, qui non solum cum equitum magno comitatu properavit, venitque, sed etiam ad alendum mille Germa-

manos milites stipendium suppeditavit. Affuit quoque Fernandus Toletus Dux Albanorum, et Fernandus Silva Comes Centifontanus, qui postea missus est a Carolo Legatus Romam ad Clementem Pontificem Maximum, eodemque munere apud Paulum Pontificem, qui Clementi successit, cum haec proderemus, cum sua magna laude fungebatur. Item Ludovicus Cerda, Cogolluti, et Joannes Manricus, Aguilaris Marchiones. Ad haec Joannes Heredia, Fontium, Alfonsus Azevedus, Montisregii, Petrus Arellanus, Aguilaris, Ludovicus Portucarrerus, Palmae Comites. Praeterea Jacobus Mendoza, Gallaeciae praefectus (*Adelantatum* vulgo nominant) et religiosorum equitum praefecti quatuor, quos vulgari consuetudine *Commendatarios majores* appellant, Joannes Stunica Castellae, qui praefectus idem Caroli praetoriae cohortis erat, Franciscus Covus Legionis, Petrus Cueva Alcantarae, Garcias Padilla Calatravae, qui ex Hispania et Italia cum Carolo in Germaniam pervenerunt; ut ceteros taceam, quos longum esset nominatim recensere amplissimo genere natos, fortissimosque viros et magnae indolis adolescentes, qui praesenti Imperatori suam operam navare studebant. Germaniae illiusque tractus Principes taceo. Quis enim praesertim externus tot summo loco natos fortissimosque viros nominatim recenseat? Qui magno animo ad id bellum corruerunt et singulari studio pietatem patriae, officiumque suum Carolo Caesari praestiterunt. Itaque summa copiarum erat in castris Caesaris armatorum ad millia centum viginti, fortissimarum gentium invicta acies, et certe hostibus, licet numero longe pluribus, non toleranda.

XIV.

XIV. Potuerunt ex Pannonia inferiore fortissimi equites levis armaturae numero ad decem millia conduci, qui propter locorum peritiam et equorum velocitatem, tum adventante, tum recedente hoste, magno usui nostris esse potuissent; idque jam Caroli cura et diligentia perfectum erat, nec ipsorum adventum aliud morabatur, quam pacti stipendii solutio; sed culpa Hippolyti Medices Cardinalis, quem Clemens Pontifex Maximus cum auxiliari pecunia, non admodum grandi, legatum miserat, rem, nescio quo consilio, per causas excogitatas extrahentis factum est, ut prius a nostris Pannonii per adventum hostium excluderentur, quam ipsis stipendium, cui eam pecuniam Carolus destinaverat, numeraretur, praeter quinque circiter millia, qui accepta stipendii parte Viennam cum Petro Zapata Hispano viro nobili, egregiaque virtute et rei militaris perito, venerunt, quem Carolus initio Possidonium cum mandatis praemiserat, ut oppidanorum animos confirmaret, deque ipsius adventu cum magno exercitu ad Turcis obsistendum et praelio, si facultas esset, dimicandum certiores faceret et equitatum, de quo demonstratum est, conducendum curaret.

XV. Est autem Possidonium urbs nobilis in ripa Danubii, Hungarorum conventus, Regiique consilii sedes. Prope hanc urbem Danubius insulam angustam, sed quae in longitudinem patet duo circiter millia passuum, efficit; hanc initio, qua se scindit Danubius, transverso vallo muniri et valido praesidio firmari ad Turcarum navigationem impediendam Carolo Fernandoque placuerat, missis hujus rei et Possidonium custodiendi gratia Bohemorum duobus millibus, Alemanisque mille.

Nam

Nam Turcae commeatus, ac fere impedimenta omnia et tormenta navigiis fluviatilibus (*nazaras* patrio vocabulo nominant) adverso Danubio comportabant; hae autem esse mille numero confirmabantur tricenis remigibus, qui re poscente armis depugnarent, singula compellentibus, et singulis gubernatoribus dirigentibus, qui gubernatores etiam tormentorum, quae singula singulis navigiis ad pugnam erant attributa, curam gerebant. His navigiis praesidio erant equitum ad quindecim millia, qui per terram ripamque Danubii eamdem classem assectabantur, utrique populabundi et obvia quaeque tum per continentem, tum per insulas Danubii devastabant.

XVI. Ceterum Bohemi Alemanique, ut transitu Turcas prohiberent, missi, ubi nondum perfecto vallo de hostium adventu et numero cognoverant, insulam, quam defendi posse desperabant, deserentes, Possidonium omnes sese receperunt. Hoc Viennam nuntiato, quo jam Regii Consiliarii ex Possidonio migraverant, et Germanorum decem millia, Hispanique circiter mille cum praefecto Ludovico Cueva praesidii gratia a Carolo missi convenerant, convocatis in concilium primorum ordinum praefectis, permagni publicae salutis interesse constitutum est, ut ex Possidonio, insulaque Turcarum navigia ulterius progredi prohiberentur. Quae res difficilis sine magno praesidio et plena periculi cum videretur, Petrus tamen Zapata, de quo supra mentionem fecimus, sibi negotium deposcit, sperans Bohemos et Alemanos, qui se nuper Caroli Caesaris legatione ad Possidonium insulamque fungentem conspexissent, sua au-

auctoritate et precibus adduci posse, ut in custodienda insula obsidendoque Danubio suum officium praestarent. Itaque collaudatus ab omnibus cum Hispanis militibus quinquaginta et totidem Italis Possidonium venit; a laetisque militibus exceptus et suam operam liberaliter deferentibus Bohemos ad urbis custodiam reliquit, cum Alemanis et eo, quem diximus, Hispanorum ac Italorum comitatu in insulam transivit, inchoatumque vallum magno militum studio et labore perficiendum curavit. Huic paulo post Caroli Fernandique jussu scaphae multae, quae tormenta et cetera, quae his usui sunt, comportarent, cum mille hominibus auxilio submissae et quatuor praeterea Bohemorum millia, qui cum illis alteris Possidonium tuerentur.

XVII. His rebus Petrus Zapata ubi se ad obsistendum comparavit et jam hostes non longius sex passuum millibus aberant; aliquot homines, quae hostibus falso nuntiari vellet, edoctos, diversos dimittit. Hi ad hostes per speciem transfugiendi progressi, insulam pronuntiarunt valido praesidio teneri et multam variamque materiam singulari artificio ad ignem concipiendum comparatam esse, quae ex vallo in Turcicas naviculas jaceretur. Praeterea scaphas complures arida materia plenas esse, quas Christiani vellent accedente Turcica classe injecto igne demittere, ut secundo flumine delatae obvias Turcarum naviculas ignem diffundentes incenderent. Hujus rei fideique faciendae gratia Petrus Zapata naviculas aliquot ad ripam deligatas arida materia, stramentisque et pice repleri jusserat. His rebus Turcae creditis (multorum enim consentiente voce ferebantur)

deterriti sunt, quominus naviculis ulterius proveherentur.

XVIII. Jam exercitus Solymani magna pars cum Abrahamo Bassa praefecto praeire jussa tam longe processerat, ut paucorum dierum itinere abesset a Vienna. Ceterum difficultatibus affectus Solymanus et cognito de convenientium copiarum magnitudine, Germanorumque consensu, quos imparatos et discordes offensurum se speraverat, desperata victoria suis jam rebus timere coepit et Abrahamo per nuntios et litteras ex itinere missas, quod fieri vellet, ostendit. Is omisso itinere, quo Viennam ferebatur, et magna parte impedimentorum cum gravioribus tormentis in navibus Danubioque relictis, agmen in laevam flectit, quacumque iter haberet, nihil temperans ab injuria et maleficio. Obiter igitur vastatis agris, vicis, aedificiisque incensis, Guinzium parvum oppidum cum pervenisset, oppugnare ipsum statuit, indignatus inde nullam fuisse missam de pace legationem; itaque despecta ipsius parvitate, denuntiatum mittit oppidanis, nisi vellent extrema pati, se protinus oppidumque dederent. In hoc oppidum, quoniam paulo erat natura manuque munitius, magnus mulierum et virorum per aetatem ad pugnam inutilium numerus ex agris finitimis, vicisque confugerat. Nam qui arma ferre possent, ad octingenti reperti sunt cum Nicolizio Pannonio viro maximi tum animi, tum etiam consilii, qui fuerat eidem a Rege Fernando praefectus; eratque notus Abrahamo ex legatione, qua fuerat functus non ita pridem ad Solymanum a Fernando Rege missus; qui Nicolizius, audita legatione, renuntiari jubet Abrahamo Nicolizium *jurischitium* hominem ipsi non ignotum a Fer-

Fernando Rege cum praesidio missum esse, qui oppidum illud tueretur, eumdemque statuisse sibi non esse ulla ratione a fide et officio discedendum, nec porro esse Pannoniorum consuetudinis prius deditionem facere, quam belli fortunam experirentur, essentque in angustias iniquissimas omniumque rerum desperationem redacti; sibi autem spem esse ad oppidum defendendum nec opem divinam, nec militum virtutem defuturam.

XIX. Hoc responso accepto Abrahamus, qui praeter Solymani suamque dignitatem esse, minuique tantarum copiarum famam statuebat, siquid singulare oppidum eis, quocumque incubuissent, auderet aut posset obsistere, Guinzium jubet omni impetu cunctisque rationibus oppugnari, gravioribusque tormentis ad murum quatiendum non suppetentibus (fuerant enim, ut supra ostendimus, ad Danubium relicta) placuit agere cuniculos, qua milites latenter ingressi oppidum occuparent, aut subjecto tormentario pulvere murum demolirentur et aditum aperirent. Sed hoc multis partibus ingenti studio, festinationeque fabrorum tentato, magnum tamen laborem ingenium loci frustrabatur, aqua succedente undecumque terra paulo altius fuisset egesta. Hac via re non succedente altiores muris aggeres excitantur, unde scloppetarii frequentissima tela in nostros jaculabantur, multosque vulnerarunt. Praeterea collocatis tormentis quantacumque suppetebant (erant enim quaedam mediocria) murus concutitur et oppidum modis omnibus oppugnatur.

XX. Interim oppidani nihil sibi reliquum ad summam diligentiam facere, murum quacumque parte in-

firmior esset, reficere, et unde majus esset periculum, illuc potissimum occurrere, debiliores partes aggesta terra confirmare, hostem appropinquantem tormentis ac telis ex muro fortissime repellere. Quae omnia licet tunc maximo ab ipsis studio administrarentur, quum murus frequentissimis tormentorum telis quatiebatur, impedire tamen nequiverunt, quin hostes diruta parte muri, sibi aditum patefacerent. Tunc vero Abrahamus promtissimos milites magno numero magnoque impetu oppidum invadere jubet et in hostem absque sexus aut aetatis discrimine saevire, ut de his ob ausum temerarium supplicio graviore sumto ceteri fierent ad obsistendum cunctantiores. Illi vero alacri animo, accepto signo, convolant strenueque pugnantes in oppidum irrumpere conantur. Ceterum nostris, ut in extrema spe salutis, acerrime propugnantibus et impetum hostium fortissime sustinentibus, mulieres et pueri quosdam ex Turcis, qui se intra muros pugnantes conjecerant, conspicati, oppidum ab hoste jam ingredi incipiente teneri existimantes et praesentem mortem horrescentes, tantum repente clamorem sustulerunt, ut speciem praeberent magni exercitus ingruentis; qua opinione deterriti hostes et magnas copias oppido contineri rati, nostrorumque virtute repulsi pedem retulerunt; quae opinio hoc etiam magis Turcis confirmatur, quod praeter omnem fidem esse videbatur, tantulum oppidum sine firmissimo praesidio maximi exercitus oppugnationem tam pertinaciter exspectasse. Non putavit igitur Abrahamus e re fore dubia victoria tempus amplius terere in oppugnatione ejus oppidi, in qua frustra quindecim jam dies consumsisset :

quo

quo nuntiato multum crevit in Solymani animo timor et rei bene gerendae desperatio, dum Guinzium cum Vienna, et unius oppiduli praesidium confert cum tantis taliumque gentium re atque fama quotidie augescentibus copiis; itaque ab eo die nihil jam, nisi de tuto et honesto receptu cogitabat.

XXI. Ceterum a Guinzio re infecta discessurus Abrahamus experiendum sibi statuit, siqua ratio iniri posset, ut non diffidentia aut timore aliquo, sed honesto et a liberalitate profecto consilio ab incepta oppugnatione desistere videretur. Igitur misso caduceatore Nicolizium sibi, ut dixi, ex legatione familiariter notum hortatur fide interposita tum privata, tum etiam publica, rogatque, uti ad se colloquendi gratia venire ne gravaretur; habere se, quae cum eo vellet de re communi et magnis ipsius commoditatibus agere. Huic legationi libenter annuit Nicolizius, eoque animo in castra hostium venit, ut verbis etiam ipsorum de praesidii magnitudine errorem augeret, quem facile ex eorum repentino receptu cognoverat; cum quo sic egit Abrahamus: „Idcirco a se accersitum esse Nicolizium, quod „cuperet pro singulari sua in eum benevolentia ipsius „saluti, commoditatibusque consulere, cujus rem videret „in extremum periculum, ac summam rerum iniquitatem „esse deductam, solo aequata parte muri, qua miles, „qui pridie negligentius egisset, majore impetu, nume„roque irruens facile posset praesidio deleto Guinzium „occupare. Quomodo enim posse tantillum opidum, et„iam si plenum esset armatis hominibus, tantis Solyma„ni copiis, si pertinacius agant, obsistere? Se tamen hu-

„ma-

„ manitate et ipsius amicitia duci, paratumque esse ex „ auctoritate sibi a Solymano tradita potestatem ipsi et ce- „ teris omnibus, qui oppido continerentur, facere eo reli- „ cto, quocumque velint, sine injuria, cum veste et supel- „ lectile, quantum quisque secum ferre posset, discedendi."

XXII. Ad haec Nicolizius respondit: „Se pro tanta „ benevolentia magnam habere gratiam Abrahamo; ce- „ terum et sibi, et cunctis militibus, quos Fernandus ad „ praesidium oppidi misisset, persuasum esse majori cum „ periculo se ad Regem oppido tradito reversuros, quam „ cum hostilibus copiis, quamlibet magnis, pugnaturos; „ redeuntes enim certum supplicium manere, atque mor- „ tem cum cruciatu et ignominia; pugnantibus spem esse „ in armis et virtute; et si quid eis durius accidisset, „ tamen vitae jacturam multo majore bono sempiternae „ laudis compensari, pulcherrima morte pro fide in Re- „ gem, proque officio ac pietate fortiter oppetita." His auditis Abrahamus, quando Nicolizius tantopere sui Regis iram et conspectum reformidaret, hoc quoque se velle, dixit, mutuae benevolentiae tribuere, ut pro sibi a Solymano potestate tradita oppidum Nicolizio in ditionem perpetuam permittat, dum ipse modo det fidem, se auctoritatem Solymani secuturum, Joannem Sepusium, qui in Pannonia inferiore beneficio Solymani regnaret, et multos praeterea ejusdem Provinciae Christianos, honestissimosque viros imitatus. Ad ea Nicolizius „Nullum „ non oppidum modo, sed ne Regnum quidem sibi „ tanti esset, *respondit*, ut fidem violet, quam suo Regi „ dederit pro qua, si fortuna ferret, ne mori quidem „ esset recusaturus. Proinde precari Abrahamum, ut, „ siqua

„ siqua sui Nicolizii benevolentia tangeretur, velletque pro „ sua humanitate rebus ipsius liberaliter prospicere, pri- „ ma illi cura esset ejusdem existimationis et famae, quae „ res sibi essent, ut bonis et honestis viris soleant, ac „ debeant, ipsa quoque vita potiores.“

XXIII. Haec responsa hominisque constantiam Abrahamo perpendenti vehementer opinio confirmatur, magnum praesidium oppido contineri. Nec enim probabile videbatur omnium quemquam, nisi fretum firmissimo praesidio, tam confidenter tamque constanter omnes eas conditiones fuisse rejecturum. Ne tamen suum animum et consilium indicaret, sed omnia videretur amicitiae, virtutibusque Nicolizii tribuere, ubi se parumper intra silentium continuerat, „ Ut intelligas, *inquit*, „ quantum apud me valeat amicitiae nostrae ratio, tua- „ rumque singularium virtutum opinio, tibi nomine ma- „ gni domini Imperatorisque nostri oppidum et quidquid „ in eo est, cum ceterarum rerum, tum etiam hominum „ condono, qui omnes tibi suas non modo fortunas, „ sed etiam libertatem, vitamque debebunt. Illud modo „ pro tanto beneficio paciscor, ut siqui forte nostro- „ rum morbo vel languore tardati, hac praetergredien- „ tur, longiore, ut assolet, intervallo castra nostra se- „ quentes, tuos prohibeas ab eorum injuria, nostrosque „ patiaris incolumes transire.“

XXIV. Nicolizius gratias agit Abrahamo et conditione accepta, liberaliter pollicetur. Abrahamus, motis castris, magis in dies a Vienna, nostrorumque castris, ut a Solymano erat imperatum, discedere; quacumque transiret, omnia late ferro, igneque devastare; nostro-

rum

rum nemine suspicante Solymanum, qui fama belli hujus totum orbem replevisset, nullo praelio fortuna tentata, cum tantis tamque instructis copiis infinito sumtu et duorum aut trium annorum cura et labore comparatis, fugam moliri; sed alii, ne Italiam a milite vacuam imparatamque invadere pararet, metuebant, alii eum idonea loca ad bellum ducendum captare suspicabantur, ut praelio vitato Carolum, quem tunc dimicando vinci posse diffideret, mora et cunctatione frangeret, dum eumdem putaret tantis copiis diutius alendis non esse suffecturum. Ipse vero, ut fugae consilium occultaret, partem equitum, quorum fuit ad duodecim millium numerus, in Austriam procedere jubet et incursionibus quoquoversus faciendis agros infestare; simul ut de fuga tardius nostri cognoscerent, nemine omnium, ut credebat, existimaturo fugere eum, qui ultro etiam bello lacessisset, simul ut occupati nostri in illorum equitum injuriis et maleficiis repellendis minus tardiusque possent se fugientem insectari. Nam quo die equitatum immisit Solymanus, eodem ipse deflexa via cum reliquo exercitu domum coepit magnis itineribus contendere.

XXV. Carolus autem intercluso concisoque bona ex parte hoc, de quo diximus, equitatu, non putavit e re fore persequi fugientem hostem; quoniam ubi de fuga ipsius plane cognitum est, longius processerat, quam ut consequi esset multis diebus, praeterquam expeditis equitibus, quibus noster exercitus multo minus pro ratione et consuetudine rei militaris, quam peditatu, aut equitibus cataphractis valebat. Deinde quia nostri, qui

vix

vix dum ex diversis partibus in locum unum convenerant, paratiores erant commeatibus et ceteris rebus necessariis ad bellum, quod inferebatur, defendendum, quam ad insectandum hostem, praeter omnium opinionem fugientem, et omnia, quocumque iter faceret, devastantem, et pontes, postquam de equitatus occisione cognoverat, rescindentem, ut nostris, quacumque ratione posset, se insequendi facultatem tolleret. Porro bellum in Moesiam, vel Hungariam, aut Thraciam, finesque hostium transferre nec ferebat anni tempus hyeme appetente, et ad ea conandum nova erant ineunda consilia et novus Germanorum consensus impetrandus.

XXVI. Solymanus multis acceptis et illatis detrimentis in Thraciam reversurus Joannis Hungariae Regis rationibus non deerat, seque illum cum Regno incolumem servaturum ostendebat; sed eo animo (quod facile appareret) ut ipse sibi totam Hungariam, cum bene maturum esse videretur, occuparet. Ceterum non ita multo post Joannes ipse a vita discessit, filium infantem relinquens, cujus tutores matrem et Georgium Monachum testamento cum scripsisset, eorum precibus Solymanus adductus pueri patrocinium suscepit; sed ea lege, ut Buda merces esset patrocinii et belli, si lacessitus foret, defendendi. At Fernando Rege per Salmae Comitem, quem suis copiis praefecerat, bellum renovante et Transilvaniam potissimum armis repetente, res ad pacem aequis conditionibus deducta est; hoc facilius adductis tutoribus, quod hinc periculum metuebant, illinc Solymani communis Christianorum hostis fidem suspectam habebant. Foedere igitur facto Tran-

silvania in Fernandi Regis potestatem cessit, ipse puerum in suam fidem recepit, eique in Islesiae Principatu nummorum aureorum, quos *Florinos* vocant, millia quadraginta in annos jure perpetuo constituit, filiamque despondit. Ita Fernandus Transilvania potitus est, nam Hungariae reliquam partem Solymanus paene totam occupaverat; Bohemia enim quo longius aberat, hoc Turcarum injuriis minus patebat, et cum ob eam causam, tum quia Bohemi propter Imperii vicinitatem Carolum Caesarem respiciebant, facilius initio a Fernando fratre recepta est et postea minore negotio retenta, praesertim pacata Germania, et Joanne Federico Saxoniae, finitimae regionis Duce, capto.

XXVII. Sed quamquam volente et agente Georgio Transilvania in Fernandi potestatem venerat, tamen non multo post Georgius idem Fernando Regi in suspicionem venit res novas eum moliri et consilia per litteras et occultas legationes cum Solymano communicare. Eaque re vel indicata, vel alias comperta, Joannes Baptista Castaldus, natione Italus, vir magnae virtutis magnique usus rei militaris, quem post obitum Salmani Comitis Rex suis copiis praefecerat, quinque viris fortissimis, tribus Italicis et duobus Hispanis, quorum omnium principem locum tenebat Sfortia Palavicinus, negotium dat Georgium de medio tollendi, qui eum domi suae imparatum et nihil tale metuentem adorti multis illatis vulneribus interfecerunt. Erat Georgius natione Dalmata, ante et post susceptum Monachatum in domo Joannis Sepusii educatus et indulgenter habitus, vir magnae virtutis et consilii, atque ideo Joanni in

in primis acceptus, cujus favore Episcopus Varadiensis factus jam erat, et Ecclesiae Romanae Cardinalis. Sed de his hactenus; non est enim instituti nostri historiam texere belli Pannonici, cujus finem nullum videmus. Eo igitur, unde huc digressi sumus, redeamus.

XXVIII. Ad ceteras causas, cur Solymanus omisso bello Pannonico domum sibi redeundum properandumque putaret, ille quoque timor accesserat, quo non mediocriter solicitabatur, ne se absente aliquis in Graecia magnus motus exsisteret, concitatis erectisque Graecorum animis ad spem libertatis pristinae recipiendae nostrorum militum adventu, qui classe in Peloponnesum delati, expugnataque Corone graviora moliri suorum crebris litteris fiebat certior. Nam Andreas Doria, quem ad Siciliam cum Caesariana classe constitisse demonstravimus, animadvertens a classicis Turcarum copiis, quae in Sinu Adriatico ad Aulonem Macedoniae urbem metu videlicet classis nostrae se continebat, nihil moveri, non sibi amplius exspectandum putavit, dum se hostis adoriretur, aut oram Italiae vel Siciliam infestaret, sed ultro in Graeciam procedendum, siquam fortuna rei bene gerendae tulisset occasionem, aut saltem posset hostem ad pugnam elicere, quem sibi navali praelio imparem fore non dubitabat. Nam licet nostri navium praesertim longarum numero, quarum praecipuus est usus in pugnis navalibus, inferiores essent, tamen genere militum et peritia rerum nauticarum longe praestabant.

XXIX. Nactus igitur tempestatem ad navigandum idoneam, ex Messana solvit mane octavo Kalendas Septem-

bris, qui fuit annus a Christo nato trigesimus secundus supra millesimum quingentesimum. Sed cum ad multam diem esset commoda navigatione usus, non longe a Promontorio, quod vulgo *Spartaventum* appellant, turbato repente coelo vehemens ventus cum imbre commistus flare coepit, ita ut classe disjecta naves onerariae, quae se in altum vento dederant, contractis omnibus velis quinque circiter horas cum magno suo periculo jactarentur. Nam rostratae remigio in Calabriae proximam oram delatae in anchoris constiterunt; et quamvis non sine periculo, impetum tamen nimbi vitaverunt. Ubi ventus quievit in Peloponnesum ire pergunt, quo magistri omnes navium jussi fuerant, si tale quiddam accidisset, cursum dirigere. Ad Zacynthum, Peloponneso adjacentem insulam, triremibus appulsis, Doria in anchoris naves onerarias, quae dispersae ferebantur, exspectare constituit. Assectabatur triremes navis quaedam forma et magnitudine onerariae, paulo tamen et depressior et latior (*Galeonem* vulgo nominant) quam omni genere armorum, praecipue bombardis primae magnitudinis, tam instructam habebat Doria, ut instar esset arcis munitissimae; quare ipsam a triremibus discedere nunquam patiebatur, a quibus remulco in malacia non sine magno labore trahebatur. Hanc jubet circa Zacynthum ultro citroque vagari, ut vectoriae naves ad hanc prospectam cursum dirigerent. Ita post aliquot dies onerariae ad Cephaloniam insulam, inde Zacynthum pervenerunt, unde tota classis secundo flatu eodem die proficiscitur, non intermisso cursu, donec ad oram Peloponnesi circa Methonem oppidum appelleren-

tur,

tur, hinc enim vento commutato naves onerariae adverso vehementique flatu rejectae et in Zacynthi portum sese recipere coactae.

XXX. Doria cum triremibus proxima terra petita Portum *Sapientiam* a nostris dictum ad Sphragiam insulam non procul a Methone cepit, ibique reditum vectoriarum navium in anchoris dies septem exspectavit, quae adverso flatu iterum in Zacynthum e via repulsae commodiorem tempestatem nactae cursum tenuere seque cum reliqua classe conjunxerunt. Hic Doria, cui de invadenda Graecia nihil fuerat imperatum a Carolo, convocatis militum Tribunis ac Centurionibus, primum quid sibi mandatum esset, exponit, deinde, quid illi consilii pro tempore et re nata capiendum putarent, exquirit; et re diligenter deliberata placuit, ut exposita copiarum parte Coronem oppugnarent, quod oppidum in littore situm ab eo loco passuum millibus circiter decem et octo distabat, et minore praesidio, quam Methone, ut exploratum erat, custodiebatur, praedasque agerent atque agros devastarent; hoc enim ad augendam classis opinionem et metum hostibus incutiendum magni interesse videbatur. Ad ea conandum Doria, ut erat constitutum, quindenos hastatos milites et totidem jaculatores ex singulis centuriis delectos, ac in triremes impositos Coronem versus praemittit, qui situm oppidi locique naturam mari terraque considerent et aditum explorent, qua commodius oppugnari posse videatur.

XXXI. Erant hi numero circiter duo millia, qui de tertia vigilia profecti Coronem albente coelo pervene-

ne-

nerunt, et quamvis custodias accedentes non latuissent, tamen sine contentione idoneo loco mille circiter a Corone passibus expositi sunt. Tum Hispani et Itali separatim progressi circumfunduntur omnia diligenter considerantes, quorum nonnulli dum explorandi studio temere propius murum succederent, hostium talis, qui diligenter nostros bombardis et scloppetis submovebant, concidere. Dum haec in terra geruntur, milites, qui triremibus praesidio relicti fuerant, navem onerariam intra portum conspicati, hanc invadere ac diripere constituunt, eamdemque multis tormentorum telis ex quibusdam triremibus, quae fuerant admotae, concussam, scaphis advecti ac portum ingressi adoriuntur, praeliumque grave committitur. Dum navigium pugnacissime nostri ex triremibus et scaphis oppugnant, hostes tum ex eodem navigio, tum ex muris defendunt; tandem nostri expugnata direptaque navi ad triremes cum praeda paucis desideratis sese receperunt.

XXXII. His rebus primo die primoque appulsu gestis quinque praeterea dies expediendae muniendaeque viae dati sunt ad tormenta vehiculis importanda, aliisque rebus, quae oppugnationi usui forent, comparandis. Deinde ceteris copiis praeter paucas centurias praesidio navibus relictas expositis tormenta invecta et idoneis in sicco locis collocata; in navibus autem quatuor pontes hac ratione fabricati: antennas longarum navium binas intervallo quatuor aut quinque pedum inter se jungebant, easdemque lignis disclusas atque revinctas transversis tabulis injectaque materia sic contexebant, ut essent omnia inter se confixa clavis et colli-

ligata. Hos quatuor pontes in quatuor naves onerariarum maximas imponunt, et ad malos hoc artificio ex utraque parte funibus constringunt, ut demitti ac vicissim, cum esset usus, attolli possent, ut navibus admotis pontibusque supra murum demissis milites possent terni quaternique transcendere, ipsumque murum occupare.

XXXIII. His rebus comparatis, nacti serenum diem tranquillumque mare admovent classici milites propius, disponuntque naves. Pedestres copiae tripartito dividuntur; duae partes ad tormenta, in duas itidem partes divisa, consistunt, Itali ab oriente sole, Hispani ab occasu; tertia pars extra ordinem vagari jussa ad hostilem ducentorum circiter equitum manum, quae obsessis auxilio veniens jam sese nostris ostenderat, excludendam; coeptaque oppugnatio est terra marique hora diei prima, nec intermissa in octavam; sed tanta erat muri firmitudo, ut plurimis tormentorum ictibus concussus parum tamen labefactaretur. Itaque dato signo et ex omni parte militibus invadentibus, tamen qui a terra pugnabant, murum conscendere frustra nitebantur, scalis applicatis altitudinem moenium non aequantibus; ex navibus autem, quae pontibus erant instructae, una dumtaxat, quae cohortem Hispanorum invehebat, admoveri potuit, unde pontem demissum, necdum tamen satis commode collocatum frequentes e vestigio milites compleverunt; sed altera pontis parte fune, quo tenebatur, sublata, in praeceps dati, partimque in mare, partim in terram dejecti, multi periere. Nec tamen horum casus ceteros deterruit, cunctatioresve ad pugnam effecit.

Hac

Hac enim navi tela conspectumque hostium pro sua magnitudine non mediocriter avertente, ex hac et ceteris navibus scaphis deductis tutius ad murum cum scalis accedendi nostris facultas data, qui per saxa cohaerentia nitentes et super his scalas applicantes subeuntesque murum celeriter oppidi priorem partem occuparunt, hoste in interiorem, quae altero muro cincta erat, repulso.

XXXIV. Deinde tribus diebus interjectis, dum oppidum terra marique arctius obsidetur, et quae usui mox forent ad oppugnationem renovandam, comparantur; equites, de quibus supra demonstratum est, adsunt nullum periculum, dum suis laborantibus subvenirent, recusaturi, castraque nostra extra teli jactum obequitando praetergressi in oppidum citatis equis per viam contendunt, quae hinc inde altioribus crepidinibus, quam ut semel ingressis equis daretur in dextram vel sinistram evadere, continebatur. Huic viae nostri, ne aditus per eam exitusve hostibus pateret, fossam transversam non procul oppido perduxerant; hanc igitur viam equites ingressos conspicati nostri, arboribus a tergo succisis eos intercludunt. Ita illi a fossa redeuntes, ubi ex altera quoque parte viam interruptam et equitibus penitus obsessam animadverterunt, equis dimissis pedites effugere nituntur. Ceterum expeditorum cohorte a nostris immissa, omnes ad unum conciduntur. Hoc oppidani cognito et auxilio rebusque desperatis, ea lege deditionem faciunt, ut Judaeis exceptis, liberum eis sit, quo cujusque ferat animus, discedere et vestis ac supellectilis, quantum quisque secum humerisque ferre possit, as-

asportare. Sic oppido tradito, Turcae omnes, tum qui praesidio erant castello, tum etiam oppidani cum liberis et uxoribus onusti dato viginti quatuor horarum spatio discedunt; nam Graeci Christiani fere cum Hispanorum praesidio restiterunt. Fuere tamen milites paulo praedae cupidiores, qui pueros aliquot ad servitutem abstractos in naves abderent; cujus rei factus certior Doria, molestissimeque ferens contra jus gentium fidem hostibus datam violari, diligenter conquisitos pueros in unam triremem imponit; ita prope Methonem devecti expositique (huc enim fere sese oppidani receperant) incolumes ad suos pervenerunt.

XXXV. Corone recepta, rursusque coacto concilio, placuit eam Hispanorum manum, quae fuerat e Sicilia deducta, quorum numerus erat mille circiter octingentorum, ad praesidium oppidi relinqui, et cum reliquis copiis Patras, nobilem in ora Peloponnesi opulentamque urbem navigare. Nec Hispani imperium quamvis difficile et periculosum detrectarunt. Igitur commeatu et stipendio aliisque rebus, quae usui praesidio forent, expeditis et reliquis militibus impositis, tota classis ad occasum versus proficiscitur, Xanthumque praetergressa jam iter tridui secundo flatu processerat, e conspectuque Patrarum tranquillo mari ferebatur, cum repente tremor quidam inusitatus et terraemotui simillimus omnes naves invasit, alternisque motibus vibratas parumper concussit, omnibus tum militibus, tum etiam nautis perculsis ac rei novitatem demirantibus, ob ignorantiam scilicet physicae rationis, quae docet tales motus, ut in terra, sic interdum in mari ab eisdemque causis exsistere.

XXXVI. Ubi Patras perventum et copiis atque tormentis expositis oppidum oppugnari coeptum est, ad primos tormentorum ictus, quibus murus feriebatur, oppidani perterriti, alii oppidum deserunt et ad mediterranea per aversam partem diffugiunt, alii sese in arcem recipiunt. Itaque nemine prohibente milites irrumpunt, oppidumque diripiunt; sed ea praeda parva fuit, nam argentum et aurum, et cetera, quae magna ducuntur, navibus prospectis in mediterranea missa fuerant, pauca in arcem comportata; sed arcem, quae parum vel natura vel opere munita erat, intentata modo oppugnatione paulo post oppidani vitam modo cum libertate pacti tradiderunt. Hos omnes Doria in suam fidem receptos, nequid injuriae a militibus, ut Coronenses, acciperent, in naves imposuit, et post aliquot dies aversis et occupatis militibus exposuit, incolumesque dimisit, praedam vero in arce repertam in suis navibus condidit, inani spe militibus justae inter omnes partitionis, nequid seditionis oriretur, injecta.

XXXVII. Deinde castellum quoddam in littore situm, septem millium passuum a Patris intervallo, oppugnare placet, sed hoc ad classis accessum, antequam pedestres copiae, quae simul profectae fuerant, pervenirent, sese Doriae in potestatem permisit. Hoc nuntiato milites Italici nominis praedam, quam sibi Doria, hostibus in deditionem acceptis, vindicaret, ipsis eripi dolentes atque jactantes facta secessione vociferari, queri ac debitum stipendium exposcere coeperunt, more hujus aetatis corruptissimo, qua saepe milites praeter morem majorum et disciplinam militarem levissimis ex

cau-

causis, cum magna reipublicae jactura, secedere vidit. Ad hanc secessionem comprimendam, sedandosque militum animos Hieronymus Tutavilla Sarni Comes, vir magnae inter ipsos auctoritatis missus; sed clamore militum dicere incipiens cum fuisset rejectus, transiit ad Hispanos, qui pauci imposito Corone praesidio superfuerant, et ut erant in priore parte agminis collocati, ulterius paulo processerant, eosdemque sese protinus ad naves recipere jubet; sed his paucis redeuntibus furentes Italici denuntiatum mittunt, ut nisi malint vires et iram ipsorum experiri, suum consilium institutumque sequerentur. Ita cum pauci multorum studio atque furori resistere nequirent, omnes in unum convenerunt. Sed dum varia et pleraque stulta temerariaque consilia, ut inter iratos tali tempore solet, agitarent, tam largus imber septem continentibus diebus consecutus est, ut nec frumentari eos, nec loco moveri permitteret. Ita deficientibus commeatibus, paulatim discedere coeperunt, receptaque sanitate supplices omnes ad naves redierunt.

XXXVIII. Tum Doria fauces Sinus Corinthiaci, quae minus mille passibus in latitudinem patent, in Aetoliam trajectis et expositis copiis, in castellum movet, quod duobus millibus passuum a mari aberat, viris et armis tormentisque permunitum. Itaque castellani nostros accedentes tormentis et sagittis submovere nitebantur; sed proxima nocte tormenta nostri locis idoneis disponunt et cetera, quae mox usui oppugnationi forent, expediunt, nocturno labore a nostris militibus non intermisso; postridie a prima luce in multum diem

producta tormentorum oppugnatione et bona parte muri labefactata, magno impetu irrumpentes nostri castellum capiunt, diripiuntque. Ex castellanis nonnulli capti sunt, complures sese in arcem receperunt, sed haec pro sua infirmitate parumper eos tutata est. Itaque nostri, brevi interposita mora, certatim adorti et scalis applicatis arcem quoque expugnant et omnes in arce repertos ad unum obtruncant. Ex nostris in oppidi et arcis expugnatione haud plures viginti desiderati, praeter milites triginta, qui proxima nocte sua cupiditate perierunt; nam ceteris direptis, arcis secretiora loca cupidius isti temereque incensis facibus dum rimantur, tormentarius pulvis concepto igne turrim, ubi asservabatur, disjecit, quae sua ruina milites eosdem, siquibus flamma pepercerat, oppressit.

XXXIX. His rebus gestis Doria, rursus copiis citra Sinum, de quo diximus, trajectis reductisque, pergit illam oram incursionibus et populationibus longe lateque vastare; nec prius a Peloponneso discessit, quam anni tempus inciperet, affecto jam autumno, triremium navigationem excludere. Tunc vero in Italiam, quo jam Carolus pervenerat, cum tota classe navigavit.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER UNDECIMUS.

I. FIRMATA Corone novo validioreque praesidio, quod Andreas Doria per mediam Turcicam classem, quae oppidum obsidebat, irrumpens navali certamine victor invexerat et rebus omnibus, quae ad obsidionem perferendam usui forent, munita, Carolus Caesar et Solymanus Turcarum Princeps diversis curis solicitabantur. Dum hic bellum in Graecia domique timet, ille cum suo animo volvit, quomodo possit absque magno suo incommodo contra vires hostis potentissimi Coronem ad meliores rerum occasiones retinere. Nam primum sine magno praesidio impendiisque maximis conatum frustra fore intelligebat; deinde verebatur, ne si distractis suis copiis Italica praesidia minuerentur, aliquid a suis adversariis, quos magis infirmitas et metus, quam voluntas aut officium contineret, per occasionem moveretur. Itaque in publica et difficili causa nihil statuendum conandumve ratus, nisi conspirantibus et adjuvantibus Principibus Christianis, Clementem Pontificem Maximum consilii institutique sui per Legatum Fernandum Silvam Comitem Centifontanum facit certiorem, pre-

precaturque et monet, ut cum ipse rem communem consilio stipendiisque juvaret, tum pro suo officio et auctoritate dimissis legationibus ceteros Principes Christianos cohortaretur, ne gravarentur suam quisque partem oneris subire in ea causa, quae communiter ad omnes Christianos pertineret, si quando placuisset bellum inferre Turcis ad Graeciam et Thraciam recipiendam, miserosque illarum regionum Christianos a dominatu Barbarorum liberandos; quod non videretur futurum difficile, si res consensu Christianorum conjunctis armis ac viribus administraretur, praesertim aditu ad Graeciam per Coronem patefacto.

II. Ad hanc legationem Clemens probato Caroli consilio studioque in Rempublicam Christianam collaudato, quod ad se pertineret, liberaliter pro sua consuetudine pollicetur. Nec cetera postulata neglexit. Verum missis ad Principes Christianos legationibus, hoc responsum relatum est ab eis, qui rem communem in primis juvare poterant, et erant Carolo omnium maxime suspecti: „Consilium retinendi Coronem ambitiosum si„bi magis videri, quam necessarium: quod si forte „cum bono aliquo Reipublicae Christianae succesisset, „gloriam fore non suam, sed Caroli Caesaris: ut au„tem magni celsique animi haberetur nulli vel sumtui „vel labori parcentem egregiam sibi laudem ex rebus „honestis et difficilibus quaerere, sic stultum esse ma„gnis suis impendiis alienae gloriae servire; Carolus i„gitur, cui laudi sit Coronem expugnasse eamdemque „praesidio retinere, quid sui officii esset, consideraret, „sibi propriae laudis occasiones, quibus sapientius ute„ren-

„ rentur, non esse defuturas. “

III. Acceptis his responsis, Carolus, ne illud quidem eisdem obsistentibus impetrare potuit, ut Magister Equitum Religionis Militaris Sancti Joannis, qui tunc natione Gallus erat, ex Melita insula cum suis militibus Coronem migraret, eamdemque copiis auctis communi Principum Christianorum sumtu tueretur. Ita propter eas, quas demonstravi, causas praesidium jubet a Corone deduci, et cum Graecis Christianis, siquibus nostros sequi placuisset, in Italiam transportari; quod factum est praeter opinionem et votum adversariorum, qui praesidia Caroli cupiebant in Graeciam ex Italia transferri, ut haec Hispano milite destituta redderetur novis rebus opportuna.

IV. Solymanus autem initio, dum adhuc Corone nostrorum praesidio teneretur, omnem suam curam in hoc oppidum recipiendum intendebat: quippe verebatur ne majoribus Christianorum copiis importatis illud malum, nisi provideretur, latius serperet, aditu ad interiorem Graeciam et quasi gradu per Coronem facto. Itaque ad arctius Coronem obsidendam Graeciamque tutandam classem cunctis rationibus augere constituit; ad cujus robur intelligens magis ducem idoneum, et militem navalibus praeliis assuetum, quam numerum navium rostratarum deesse (hoc enim Caesarianam superabat); utrumque se facile consecuturum putavit, si adduxisset ac suae classi praefecisset Charadinum *Barbaroxam* cognominatum, cujus virtutis et industriae in bellis pugnisque navalibus magna erat opinio apud omnes nationes mare internum accolentes. Is humili loco in Les-

Lesbo, quae eadem ex urbe ipsius vetusta Mitylene nominatur, AEgei maris insula, natus fuerat patre Mahumetano, nomine *Mahaemedino*, qui cibariis tenuibusque mercibus cymba importandis ac exportandis victum quaerebat, et matre Christiana *Catherina*; sed eo magnitudinis evaserat strenuo magnoque animo favente fortuna, ut ex figulo primum Pyrata, deinde factus esset Rex Argeliae, longeque in Africa maritimis populis imperitaret, et per id tempus mare internum cum gravissimis Christianorum incommodis infestabat.

V. Hunc igitur ad se magnis praemiis Solymanus et pollicitationibus adsciscit, et communicato consilio cupide conditionem arripientem toti classi praeficit, quae non parum aucta est illius navibus adjunctis. Suscepta provincia Charadinus arma, tormentaque, et commeatus, omnia demum, quae usui ad navigandum praeliandumque forent, nulli parcens sumtui comparare, militesque ad imponendum deligere jubetur, quae ut fierent omnia cum majore illius auctoritate, *Bassa* idem creatur, qui Magistratus inter Turcas amplissimus est, et summae secundum Regem auctoritatis. Nam licet post adventum Charadini in Thraciam, a nostris relicta Corone, Solymanus jam esset magna solicitudine liberatus; angebatur tamen accepti incommodi ad oram Peloponnesi, atque ignominiae recordatione, turpissimum sibi in tanto suo imperio simulque periculosum esse reputans impune nostros, quoties liberet, in Peloponnesum reliquamque Graeciam navigare, spectante sua classe et prohibere nequeunte. Quae mala, ne sibi semper essent extimescenda, cunctis opibus providendum si-

sibi ratus rebus maritimis nihilo segnius studere et classem augere pergebat, nec jam de Graecia defendenda solicitus esse, sed de Africa, et per hujus occasionem de Italia et Hispania adjacentibusque insulis vexandis cogitare. Cunctis igitur rebus ex sententia et voluntate Charadini comparatis; confectaque et imposita delectorum militum manu Solymanus ipsum in Italiam et Africam properare jubet, ac cetera, prout erat constitutum, administrare.

VI. Charadinus, cum classe longarum navium supra centum Byzantio profectus, reliquis ad oram Graeciae tutandam circa Coronem relictis, cum sexaginta triremibus et viginti sex biremibus (*Fustas* et *Galeotas* nunc appellant) in Italiam pervenit, et castello, quod *Sanctus Nicetus* dicitur, vastato ad Citrarium, castellum alterum in ora Calabriae, septem triremes, quae aedificabantur, nec multum aberant ab eo, quin brevi deduci possent, incendit. Tum Neapolim, et Cajetam praetervectus ante Circaeum Promontorium noctu copias exponit, et Spelunca ad littus vastata et incensa Fundos majus oppidum in Apia via, passuum a mari quinque millium intervallo, nihil hostile metuentibus oppidanis aggreditur capitque sine certamine; eoque direpto omnes inde mortales, quibus gladius pepercerat, captivos ad naves ducit, praeter eos, qui fugientes evaserunt cum Julia Gonzaga nobilissima matrona, quae huic oppido imperitabat.

VII. Hoc Romam nuntiato, nonnihil etiam affingente rumore magnus timor omnium animos invasit, plerisque non solum Ostiae, qua salus Romae continetur

tur propter annonam, quae adverso Tiberi comportatur, agroque Romano, sed Urbi etiam ipsi metuentibus. Itaque decreto Senatus Cardinalium (nam Clemens Pontifex Maximus letali morbo laborabat) habitus est militum delectus per Hippolytum Medicem Cardinalem, confectusque numerus ad sex millium, quarum pars Ostiam missi praesidii gratia, et Pyrgos veteres, atque Gravissas (sic enim veteribus vocabulis appellari putant oppida, quae nunc *Veterem Civitatem* et *Cornetum* vocant) ceteri ad Urbem tuendam et agrum Romanum relicti. Nec vero solum Romae, sed tota fere Italia, praesertim ad oram maritimam trepidatum est cum praesenti periculo, cui resisti hoc erat difficilius, quoniam hostis, quacumque libuisset, celeritate navium improvisus aderat, tum maxime impendentium malorum timore, quippe infesto mari impeditisque navigationibus Italia nihil aliud, quam obsideri videbatur, interclusa re frumentaria et annona cetera, qua vivit ipsius bona pars, ex Sicilia et aliis adjacentibus insulis importata.

VIII. Charadinus autem in Africam conversus Tunetem urbem ejus regionis opulentissimam Regnique caput partim suo dolo, partim oppidanorum proditione capit, pulso Hazeno Rege, qui jure hereditario civitati et regioni huic imperitabat. Erat Hazeno frater Rexetus, qui cum esset gratiosus apud populares, metuens Regis saevitiam, qui quosdam alios fratres, dum sibi Regnoque metueret, crudelissime necaverat, ad Charadinum confugerat, eumdemque secutus erat in Thraciam navigantem. Hunc Byzantii reliquerat Charadinus Solymano com-

commendatum. Ceterum appulsa classe, non ignarus Hazenum cunctis ordinibus odio esse ob avaritiam et crudelitatem, quosdam suorum praemittit, qui secreto primarios cives ad defectionem solicitarent, falsoque nuntiarent adesse cum Rexeto Charadinum, qui classem et exercitum duceret hoc animo, ut Hazeno pulso extremae crudelitatis et avaritiae Tyranno Rexetum, quem omnes nossent perhumanum et liberalem, ad Regnum recuperandum jubaret ejus civitatis, cujus commodis et dignitati pro singulari suo in eamdem studio etiam atque etiam consultum cuperet. Praemissisque nuntiis cum hujusmodi mandatis, interim ipse simili dolo Bisertam in littore, quod oppidum abest a Tunete duodecim circiter millia passuum, primo appulsu, mox Goletam occupat. Et jam Tunetensium per illa mendacia praeparatis animis, quos iidem alioquin alienissimos, ut demonstratum est, gerebant a Rege, paulo post Charadinus ipse cum copiis adest. Fama enim de Rexeti adventu per urbem dissipata conturbatus Hazenus suorum quemdam, cui maxime fidebat, cum armata manu mittit, qui classem hostilem specularetur, daretque operam, ut de fratris adventu certiora cognosceret.

IX. Is postquam per errorem a se ipso Rexetum in triremis puppe visum esse falso renuntiavit; Hazenus convocata frequentissima concione coepit humanissimis verbis magnisque pollicitis popularium fidem et officium contra venientes hostes implorare. Illi vero crudelitatem ei palam et avaritiam exprobrantes advenisse tempus optatum responderunt, quo se a tyrannide servituteque vindicarent; proinde consuleret ipse suae sa-

luti; nam sibi certum esse Rexetum virum justum et perhumanum in civitatem Regnumque recipere, et cunctis officiis pro Rege colere. Ita rebus ille desperatis arcem urbemque relinquens ad Nomades quosdam prope vagantes confugit, fretus amicitia, quae ipsi cum illorum Principe intercedebat. Tunc vero placuit popularibus tredecim Legatos ad Rexetum mittere, qui eum nomine civitatis Regem salutarent. Ubi in Goletam atque classem Legati pervenerunt, eos ad triremem quamdam, quasi ad Rexetum devehi scapha jubet Charadinus ibique retineri, donec ipse cum expositis copiis Tunetem pervenisset. Ceterum quidam Legatorum, antequam imponerentur, ad Goletam fraude cognita, quemdam suorum occulto mittit, qui de dolo Charadini Rexetumque abesse tum Hazeno, tum etiam civitati renuntiaret.

X. Hoc nuntio accepto Hazenus in urbem revertitur, a popularibusque recipitur; sed eodem tempore Charadinus cum millibus Turcarum et Christianae Religionis desertorum et transfugarum circiter quinque (nam bonam partem in classe reliquerat) per alteram urbis partem ingrediebatur, qui desertam arcem, nemine propter magnam rerum omnium turbam et ignorationem defendente, protinus occupavit. Tertio post die cum Hazenus urbem, Charadinus teneret arcem, quam sine commeatibus offenderat ut pote ab oppidanis post Hazeni discessum direptam, facta eruptione qui arcem tenebant numero ad tria millia, urbem interiorem invadunt, et bona parte direpta multorum dierum commeatum in arcem reportarunt. Tunc oppidani partim de-

desperatione arcis recipiendae, partim odio ducti, quo Hazenum prosequebantur, consilium inire cœperunt de Rege in gratiam Charadini necando.

XI. Hoc Hazenus per amicorum indicium cognito ad amicos Nomades confugit. Tum oppidani, etsi vehementer dolebant quod fuissent spe novi Regis, quem civitas maxime cuperet, a Charadino delusi, tamen in tanta rerum iniquitate pacem ab ipso petere constituunt; missaque legatione per primos civitatis in fidem se ac potestatem Charadini permittunt, quos ille cohortatus liberaliter oratione prosequitur. Petentibus autem, ut Regem sibi renuntiaret, pro quo esset more civitatis in sacrificiis nominatim supplicandum, se respondit paulo post praestituto die declaraturum. Quo die illucescente, Solymani Turcarum Principis vexillum in arce propositum apparuit, et hunc pro Rege habendum esse pronuntiatum est. Quod quamvis iidem dolenter ferrent, animis tamen oratione blanda et liberali Charadini delinitis eam conditionem et statum civitatis Hazeni hominis avari et importuni crudeli dominatui longe sibi praeferendum putabant.

XII. Haec Tunetis occupatio Italiae et Siciliae periculum vehementer auxit propter opportunitatem loci, qua usi quondam vicini Carthaginenses Sicilia et multis praeterea ejusdem maris insulis debellatis Italiam et Populum Romanum variis diu difficillimisque bellis vexaverunt. Quorum secundo Romanorum vectigalis a Scipione Africano Majore facta est, Annibale devicto: tertio a Minore penitus deleta, incensaque igne ab ipsis Carthaginensibus, rebus desperatis, injecto. Quae

ta-

tamen postea fuit a Romanis instaurata, colonia quoque militum Romanorum a Dictatore Caesare eo deducta; iterumque Carthago tantopere floruit, ut Cypriani, et Augustini illustrium Sanctorumque virorum temporibus ceteras omnes Africae civitates dignitate atque opibus anteiret, ut indicant Carthaginensium Conciliorum monumenta, quae multa fuerunt in hac urbe, convenientibus ex omni Africa Pontificibus, et praesidente Episcopo Carthaginensi, celebrata. Sed rursus temporum ac bellorum injuria usque adeo deleta est, ut in solo Carthaginis, quod vicatim et per exigua castella a vocatis etiam nunc Carthaginensibus incolitur, vix tenuia quaedam vestigia urbis opulentae supersint; unde Tunes urbs vetusta abest sexdecim circiter millia passuum interjectam paludem obeuntibus, nam recta regione navigantibus brevior est via.

XIII. Carolus cognito Solymani consilio atque motibus Charadini non sibi putavit in tanto Christianorum timore atque periculo quiescendum, aut Charadini conatus negligendos, quem intelligebat jam etiam suis, non modo Solymani viribus esse potentem, ac bellum imminere non unius archipiratae, aut Reguli facultatibus, sed Principis etiam Turcarum magnis opibus gerendum, qui eo duce vellet aditum sibi ad Italiam occiduumque Christianorum orbem aperire. Quibus malis Carolus ut occurreret, primo quoque tempore classem comparare constituit ad Charadinum bello navali simul et terrestri persequendum, eoque dejecto Tunetis imperio Regem exactum reducendum, qui per Legatos auxilium contra communem hostem implorabat, et se restitutum

in

in clientelam a Carolo quibuscumque legibus recipi precabatur. Carolus igitur pro sua consuetudine legationes ad Paulum Tertium Pontificem Maximum, qui demortuo Clementi successerat, et quosdam Principes Christianos, ac liberas Italiae Civitates mittit, si vellent rem communem, cujus ipse curam princeps suscepisset, aliqua ex parte juvare. Interim ipse longas naves Barcinone Neapolique properanter aedificari jubet, vectorias autem et onerarias portubus omnibus retineri. Tum in Germania per Maximilianum Eborsthenium, in Italia per Alfonsum Avalum Vasti, in Hispania per Ludovicum Mendozam Mondejarae Marchiones, delectum militum habendum mandavit. Ad legationes missas Pontifex Maximus et Rex Portugalliae liberaliter, nec secus Senenses, Lucenses, Genuenses et Florentinorum Dux Alexander responderunt. Franciscus autem Rex Gallorum negavit sibi per inducias, quas cum Charadino fecisset, licere quidquam vel auxilii, vel triremium, quae ex foedere Cameracensi petebantur, ad bellum, quod in eum pararetur, submittere.

XIV. Carolus, rebus Hispaniae ex publico consilio compositis et constitutis, rerum omnium summam potestatem et sibi parem auctoritatem Isabellae uxori detulit, simul tamen Regnorum Castellae administrationem duobus praeterea viris primariis commendavit, Joanni Taverae Ecclesiae Romanae Cardinali Archiepiscopo Toletano, et Petro Fernando Velasco Castellae Comestabili; jusso Cardinale, ut jam ante Regio Consilio praeerat, curam habere Magistratus et Praefecturas civitatum idoneis hominibus mandandi, et populos in justitia atque

que pace continendi; Comestabili vero, ut si quid a Gallis se absente moveretur, habito delectu rebus bellicis praeesset, ac fines Regni tueretur: nec enim aberat suspicio Gallos studere novis rebus, bellumque moliri. Sic igitur Castellae administratione constituta Barcinonem contendit, eoque praecipit nobiles viros, qui se sequi vellent, convenire. Hoc divulgato magnus nobilitatis ac principum virorum concursus ex omni Hispania factus est. Affuit Ludovicus Portugalliae Regis frater germanus. Affuerunt Fernandus Toletus Dux Albae, et Antonius Pimentelus Benaventis Comes. Item Ludovicus Mendoza, Mondejarae; Petrus Osorius, Asturicae; Ludovicus Cerda, filius natu maximus Ducis Methymnae Salonis; Joannes Manricus, Aguilaris; Franciscus Cueba, filius natu maximus Beltrani Ducis Alburquerquii, Cuellaris; Rodericus Mendoza, Montium Clarorum; Bernardinus Cardenas, Elchium Marchiones. Comites autem Claudius Quignonius, Lunae; Manricus Lara, filius natu maximus Ducis Najarensis, Valentiae; Alfonsus Mendoza, Cluniae, cum Laurentio natu maximo, et altero filio; Jacobus Velascus, Nievae; Petrus Arellanus, Aguilaris; Alvarus Petrus Guzmanus, Orgazii; Petrus Bovadilla, Chinchonis. Jacobo Sarmento Salinarum Comiti per adversam valetudinem initio Carolum sequi non licuerat, venit tamen postea, sed ante praelium, quo fusus fuit ad Tunetem Charadinus, pugnaeque pedes in acie prima cum Hispanorum veteranis interfuit. Ex Praefectis equestrium Religionum, quos vulgo *Commendatarios majores* vocant, Franciscus Covus, ejus, quae Sancti Jacobi ex Regno Legionensi nun-

nuncupatur; Petrus Cueva, ejus, quae ab Alcantara nomen accepit. In quorum principum commemoratione, perpaucis exceptis, nec census, nec vetustatis claritatisve familiarum difficilem nobis quidem ad constituendum inter nonnullos rationem aut ordinem secuti sumus; sed ipsorum nomina, prout quisque nobis in mentem venit, digessimus, ut quantum in nobis fuit, ultimo loco positi potuerint inter primos numerari. Qui omnes magno animo singularique studio cum suis quisque familiis gratuitum officium hoc in bello Regi Imperatorique suo praestiterunt. Multi praeterea Procerum Hispanorum, quibus ipsis Carolum sequi per aetatem, aut alias necessarias justasve causas non licebat, filios suos, aut proximos quosque, vel cognatos suo sumtu cum militari comitatu miserunt.

XV. Perfectis deductisque triremibus Germani milites circiter octo millia in Italiam littusque Ligustici maris ad portum Lunae pervenerunt, et in his multi viri nobilissimi, quorum principes fuerunt Christophorus Truches, Joannes Marquardus, et item Joannes Rademburgus, filius nothus Bavariae Ducis, qui ordines ducebant, et, qui copiis omnibus praeerat, Maximilianus Eberesthenius. Cumque Italorum coacta manus, quae numero fuit ad quinque millia, in eumdem locum, ut erat jussa, convenisset, utrosque Alfonsus Vasti Marchio, quemadmodum erat ei praeceptum a Carolo, in naves eo coactas imponendos curavit, namque legens ad Portum Veteris Civitatis primo appulsu deduxit, quo Paulus Pontifex Maximus, cum esset de ipsius atque classis adventu cognitum, processit; ibi

enim sex triremes, quibus Virginium Anguillariae Comitem praefecerat, milite commeatibusque instructas Carolo ad id bellum auxilio mittendas habebat, praeter sex alias Genuenses, quas Andreae Doriae tributas suis sumtibus alebat; ac ubi se Virginius cum Caesariana classe conjunxisset, omnibus inde proficiscentibus sacro Pontificioque ritu est bene precatus; quae res non parum vel spei, vel alacritatis ad pium bellum contendentibus adjecit. Ubi Neapolim perventum est, tantisper ibi cum classe moratus est Vasti Marchio, donec veterani milites Hispani generis deducti ex proximis hybernis convenirent, quorum numerus erat mille circiter septingentorum. His partim in naves onerarias, quae ibidem erant cum magno commeatu comparatae, partim in duodecim triremes, quibus Garcias Toletus praeerat, impositis, in Siciliam ire pergit, quo quinque Hispanorum veteranae cohortes, rostrataeque naves equestris Religionis Divi Joannis et quaedam aliae, quae praesidio insulae erant attributae, Panormum Messanamque convenerant; quibus sibi adjunctis Vasti Marchio in Sardiniam (huc enim placuerat totam classem convenire) navigavit pervenitque.

XVI. Interea Carolus Ludovico Mendozae Marchioni, qui Malacae cum peditatu equitatuque levis armaturae nuper in Hispania conscriptis Caesaris jussum exspectabat, conscribit, ut his in naves onerarias, quae ibidem aderant, impositis ad se Barcinonem venire properaret; jam enim classis pervenerat auxiliaris, quam Joannes Rex Portugalliae officii amicitiaeque gratia cum Duce Antonio Saldagna mittebat. Hae autem erant vi-

viginti tres vectoriae naves, tres graviores, et harum una ex his, quos *Galeones* vocant, reliquae viginti generis ejus, quod *Caravelas* dicunt, velis magis, sed non nihil etiam remis utentes, omnes armis, tormentis, atque viris instructissimae. Andreas quoque Doria, beneficio Caroli Caesaris Melphorum Princeps, et quem idem toti officio maritimo praeesse voluit, aderat cum munitissimis suis sexdecim triremibus. Paucis diebus naves ex omnibus Hispaniae oris Barcinonem, ut erat imperatum, cum convenissent, non expositis militibus in anchoris consistebant; ceteras vero copias, quae per terram concurrerant, Carolus jubet naves in statione paratâs conscendere. Illud autem, ut plures milites imponi possent, interdixit imprimis edicto publico, ut nec jumenta sarcinaria, neve impuberes aut mulieres in naves reciperentur, ac ne Monachi quidem, aut Sacerdotes, praeter paucos pro curandis sacris, et faciendae rei Divinae nominatim destinatos; quo factum est, ut hujus generis hominum numerus minor imponeretur; ut enim plane interdicto pareretur, id perfici nulla ratione potuit.

XVII. His rebus expeditis, et equis impositis, quorum multos relinquere navium inopia coëgit, ipse rite *confessus* (ut frequenter pro singulari sua religione solebat) Eucharistiae divino cibo reficitur; et Sacris in fano Divae Mariae, quod ad *Mare* cognominatur, peractis quadriremem conscendit, Praetoriam earum navium, quas suas ducebat Doria; ibique eo die ac nocte in anchoris, dum omnes conscendissent, exspectavit. Postero, qui fuit pridie Kalendas Junii anno Christi

nati millesimo quingentesimo trigesimo quinto, nactus ventum idoneum naves solvit, et quinto die Balearibus Majoribus appulit; sexto Minoribus, et in utramque insulam ipse cum paucis descendit, dum vectoriae naves, quae intervallo propter remissiores flatus sequebantur, convenirent; undecimo Sardiniam pervenit, contrariis ventis et tempestate retardatus, ibique cum reliquis navibus se conjunxit, quae ex Italia Siciliaque fuerant a Marchione Vasti compulsae. Convenit igitur universa classis ad Sardiniae Promontorium, *Pullae* vocatum, in statione tegente a ventis quibusdam, aquatione et lignatione commodissima, intervallo ab urbe Callari passuum fere quindecim millium. Erat ea classis navium plus trecentarum et quinquaginta; ex his vectoriae, et onerariae circiter ducentae sexaginta; triremes septuaginta octo; biremes viginti quinque; cetera speculatoria navigia, et annotinae naviculae. Quae omnes exercitum vehebant peditum viginti sex millium, equitum cataphractorum septingentorum, levioris armaturae quingentorum circiter.

XVIII. Ex Sardinia Carolus cum tota classe progressus, ususque trasciae venti secundo flatu postridie mane ad Uticae portum, qui nunc *Farinae* cognominatur, abestque a Tunete viginti quatuor circiter millia passuum, cum triremibus pervenit, ceteras naves quatuor horas antevertens; dumque eas ibidem operitur, Marchionem Vasti cum viginti duabus triremibus explorandi gratia praemittit. Sed Promontorium praetervectus Marchio nullam ad littus navim prospexit, praeter duas scaphas Gallicas, quas fugientes consecutus, alteram cum utri-

utriusque praefecto ad Carolum misit; a quo rogatus Gallus de causa ipsius in Africam adventus se respondit, ut captam a Charadino navim redimeret, trajecisse cum praefecti Gallicae classis, ipsiusque Gallorum Regis litteris, quibus Charadino commendatus posset tutus in Africam navigare, a quo rescriptas etiam litteras ostendebat. Sed, num ejus rei gratia ad Charadinum ille venisset, an a Rege ob amicitiam et alias causas fuisset missus confictis in omnem casum epistolis, cum esset anceps conjectura, retineri eum tunc Carolus jubet; sed paucis post diebus liberatus Legato Regis Gallorum, qui classem sequebatur, traditur. Ex Uticensi progressus in Carthaginensem portum cum universa classe eodem die, qui fuit sextus decimus, quam Barcinone decesserat, pervenit, et jactis anchoris ea nocte constitit contra Carthaginis ruinas.

XIX. Postridie mane pedites expositi, quos rostratae naves ex vectoriis exceptos ad littus frequentes importabant, tum ab his, qua loca vadosa erant, minora navigia scaphaeque in terram intervallo brevi perferebant, ne paulatim emissi paterent injuriae atque periculo, si (quod exspectabatur, et fieri solet) hostes in egredientes impetum facerent. Vixdum parte dimidia peditatus exposita, Carolus, nequid incommodi militibus sine imperio vagantibus accideret, in terram descendit, memor quasdam in his regionibus calamitates ob eam rem potissimum fuisse a nostris acceptas, quod dissipati, nec ordine servato a littore processissent. Itaque Vasti Marchione, ne Hispani temere vagarentur, curare jusso, ipse vestitu, et armatura parum abhorrens

rens a communi et militari, conscenso equo in Germanos, quorum sermonis nonnullum usum habebat, curaturus imperaturusque contendit. Ex quibus militem scloppetarium paulo longius excedentem conspicatus in eum hasta infensa, quam parvam manu gestabat, verbis increpans invehitur. Germanus autem, cui Carolus erat ignotus, nec antea visus, contra vim sese defendere parat, ratus scilicet Carolum praefectum aliquem Hispanorum esse, qui sibi vellet vulnus, aut etiam mortem more Hispanorum ac Italorum inferre, non ignarus videlicet harum gentium consuetudinem ferre, ut in bello militis pervicacia, vel licentia interdum manu ducis coerceatur, et severius quam pro ratione culpae ad ceteros deterrendos vindicetur, a qua consuetudine multum abhorrent Germani, gens natura liberrima, libentius legibus, quam Magistratuum Principumve arbitrio aut voluntati parens; quo fit, ut neminem ipsorum patiantur, ne in bello quidem, indicta causa plecti, nec ab alio, quam a suis Magistratibus condemnari.

XX. Germanus igitur sibi metuens a Carolo, quem telo infesto se invadentem conspiciebat eo sublato, suae saluti consulere parans scloppetum in Carolum intendit, igniculum, quem flando prius excitaverat, si propius Carolus accedere pergeret, admoturus. Carolus, hoc animadverso, ancipitis ac inopinati periculi justo et naturali timore perculsus equum inhibet, paulisperque consistit: tunc auctoritatis et existimationis suae memor, ne turpe videretur Imperatorem metu unius sui militis ab instituto desistere, rursus in Germanum invehitur,

non

non tamen recta, ne militis suspicionem et metum, suumque periculum augeret, sed paululum in latus deflectens; ad quem ubi pervenit, sublata teli cuspide illum timore, seque periculo liberavit. Tum enim Germanus, scloppeto deposito, laetus Carolum sic est affatus: *Germanorum et Hispanorum eadem mens est, et idem animus*; simulque ab eo dextram dextra contingendam more amicorum et familiarium petivit. Carolus errori hominis minime malitiosi ignoscendum ratus data dextra respondit: *Est*, ut ais, *sed nisi me vos posthac noveritis, faxo, ut vestra poena edocti cognoscatis*. Sic eo die Carolus corpore, quod ajunt, magnum periculum prudentissime vitavit: tam tenui filo pendet summorum etiam Principum salus, et maxima rerum momenta! Is casus nos admonere potest, non inutili consilio quosdam magnos Imperatores, quorum fuit Caesar Dictator, insigni veste fuisse usos in praeliis, quo scilicet a nemine possent, quocumque processissent, ignorari; quod multas et magnas habet commoditates; primum quod insigni aliquo cunctis notus Imperator nullius injuriae fit per errorem opportunus; deinde quod sive laborantibus suis opem ferens adsit, magnos spiritus studiumque protinus conspectus omnibus et cognitus addit; sive ipse forte laboret, facilius studio et concursu suorum repulsis hostibus eripitur; postremo, siquid durius accidat, ipsi quoque hostes victores compendii sui causa vitae illius diligenter parcunt.

XXI. Erant in littore duae turres, quae militum praesidio atque tormentis custodiebantur, altera ad salinas quasdam, altera ad puteos, unde aqua dulcis ex Go-

Goleta vicinisque locis petebatur. Hae ex triremibus parumper tormentis concussae accedente agmine, a custodibus metu perterritis, ut alia, quae cum fano in cacumine Promontorii Carthaginis custodiebatur, missa Hispanorum cohorte desertae; vici quoque, et castella sita ad Carthaginis ruinas habitatoribus fuga subtractis occupata; eisdemque in locis frumenti, lini, olei, leguminumque non medriocris pro ipsorum magnitudine copia reperta. Haec autem gesta sunt nulla nostrorum militum jactura, praeter paucos, qui ad proximas vineas uvarum atque ficuum jam maturescentium aviditate digressi in hostium equitatum inciderunt, qui emissus ex urbe nostrorum agmen obequitando neminem patiebatur impune divagari. His locis occupatis, Carolus stativa in eis habere constituit, dum equi exponuntur, et de reliqua belli faciendi ratione deliberatur.

XXII. Jam serum diei erat, cum equitatus Nomadum et Turcarum majore numero, peditumque non parva manus, et in his multi scloppetarii sese ostenderunt, ac propius accedentes duobus mediocribus tormentis, quae vehiculis imposita equi velocissimi trahebant, nostros lacessere coeperunt. Contra hos scloppetarii nostri procedunt, factoque ab his certaminis initio, jussis Germanis ceterisque copiis in acie consistere, Carolus veteranas Hispanorum cohortes se sequi jubet, ipsoque cum his appropinquante hostes mira celeritate se tam longe fuga subtraxere, ut peditibus consequi non esset. Hoc animadverso Carolus suas copias in castra reducit, militesque jubet corpora curare, quippe omnis exercitus in acie fuerat toto ferme die. Itaque

que ipse cum proceribus in uno, Vasti Marchio in altero soli Carthaginensis vico consedit, copiis intra et extra circumjectis, praeter Hispanos nuper conscriptos, qui ad turrim cum fano in monte sitam jussi fuerant considere.

XXIII. Hic Carolus inquirendo ex captivis cognoscit, Hazenum Regem, quem fama in vulgus edita cum magno equitatu Tunetem obsidere Caroli adventum exspectantem nuntiaverat, procul hinc abesse inopem ab amicis, Arabum auxilia convocantem. Arabes autem vocantur in Africa Nomades genus hominum agreste, quibus nec oppida sunt ulla, nec certa domicilia, sed omnia sua, et tentoria, sub quibus habitant, camelis et bobus circumferentes more pastorum incertis sedibus errant, pecori magis studentes, quam agriculturae. Hi latrociniis assueti reliquis Afris bellicae virtutis opinione praestant, nomenque retinent veterum mortalium, qui quondam ex Arabia profecti Mahumeti hujusque in Arabum et Saracenorum Imperio successorum auspiciis, ut plerisque aliis regionibus, sic Africa omni, Romanis dejectis, potiti sunt, et hoc potissimum vitae genus, locis invitantibus, patrio Numidicoque more sequebantur; nam utrobique, hoc est in Arabia et Numidia Nomades olim fuisse constat. Ad hos igitur Arabes solicitandos Hazenum longe digressum esse captivi pronuntiabant; quod Carolo praeter opinionem evenit, et praeter legatorum pollicita, qui Regem suum cum exercitu et maximo commeatu praesto nostris fore confirmaverant, cujus fidem Carolus non tam auxilii militaris, quam commeatus gratia desiderabat. Sed neutrum

Hazenus, ut postea cognitum est, praestare potuit, partim propter inopiam, ad quam miserabiliter erat redactus, partim quoniam Charadini diligentia et magna mercede Nomades abducti fuerant, quos Hazenus precibus et pollicitationibus duci posse, ut auxilio sibi contra tyrannum Charadinum essent, speraverat. De cujus Charadini consiliis et bellico apparatu res poscere videtur, ut jam, quae post ejus fugam ex quibusdam, qui cum eo fuerant, cognita sunt, pauca quaedam memoremus.

XXIV. Charadinus initio cum de bellico apparatu Caroli nuntiatum fuisset, falsum esse rumorem et ad se territandum confictum crediderat, aut certe rem hujusmodi fore, quae impedire magis posset suos conatus, quam Regni classisque summam in discrimen adducere. Sed posteaquam Christianorum quorumdam, Caroli coeptis nihil faventium, ac invidentium potius, cura et indicio de magno classis et exercitus apparatu Caroli que voluntate plane cognovit, variis curis atque timoribus distrahebatur. Nam classem suam, Tunetemque defendere contra tantas navales, terrestresque copias difficile fore reputabat, praesertim Regno nondum satis confirmato. Rursus opulentissimam Africae urbem, et ad bellum Christianis faciendum peropportunam, sponte sua citraque pugnam, deserere stultum simul et ignavum esse videbatur. Hoc cum diutius secum agitasset, adhibitisque suorum fidissimis deliberasset, ambitio tamen et cupiditas timorem vicit in elato animo, gloriae atque Regni cupidissimo. Nec quorumdam suorum consilium et monita putavit admittenda, qui eum dehorta-

tabantur, ne vires tam potentis hostis, quibus saepe Rex praepotens Gallorum, ipsiusque magnae copiae, nuper etiam Solymanus ipse in Pannonia cessisset, temere vellet experiri, cui res futura esset non cum duce aliquo mediocris auctoritatis, sed cum ipso Carolo Imperatore potentissimo, classem munitissimam et magnum fortissimarum gentium exercitum ducente, cujus praesentia accensi militum animi nihil non essent ardenti studio praestituri.

XXV. Haec et talia proponentibus suis Charadinus, quemadmodum cum animo suo deliberaverat, respondit: „Hoc ferre cujusque belli naturam, ut exitus ejus ignoretur; ad haec, oppugnantium ex aperto, et eorum, qui ex muris urbem defendant, longe disparem „esse conditionem; saepe a paucis multos fuisse repulsos, atque adeo fusos nonnumquam; se vero in spem „venisse militum numerum parem hostibus, aut etiam „superiorem sibi non defuturum; cum igitur imminentis belli, ut ceterorum dubius esset eventus, hoc sibi „minus esse cunctandum in bello suscipiendo, quod „intelligeret, si suorum virtute ac fortunae beneficio, „cujus saepe singularem favorem esset expertus, victoria fuisset potitus, sibi maximam immortalemque gloriam paratam esse, et viam aperiri ad res maximas gerendas; sin aliquid durius accidisset, tamen decorum „esse in iis conatibus exstingui, in quibus non tam „vinci turpe futurum esset, quam pulchrum decertasse, „propter victoris magnitudinem, ac dignitatem.“

XXVI. His rationibus ductus Charadinus, ut postea cognitum est, belli fortunam experiri, Tunetem-

que defendere constituit, et legationes quoquoversus tum ad finitimas civitates, tum ad vagantes Nomades dimittit rogatum auxilia contra Christianum hostem, toti Africae, si servire recusaverit, necem et vastationem minitantem, quique sibi cetera facilia factu fore non ignoret, si, quod primum omnium moliretur, Tunetem occuparet, urbem Africae potentissimam; id se malum prohibere, Tunetemque vel cum suae vitae periculo defendere paratum esse; sed ne frustra hic conatus sit, ceteris Africae populis, quorum nihilo secius salus et libertas ageretur et in Tunetis defensione consisteret, etiam atque etiam mittendis auxiliis esse providendum.

XXVII. Hujusmodi legationibus adducti ceteri auxilia parare, Nomades vero praemiis et pollicitis Charadini ducti, neglecto pulsoque Hazeno, arma capere, et Tuneti appropinquare. Charadinus interea callidis verbis oppidanorum animos, ut perstarent in officio, confirmare non desistebat, et cuncta, quae ad urbis defensionem usui forent, diligenter comparabat. Nec vero solum Africanas gentes talibus legationibus solicitare, sed Turcis omnibus, qui Mare Tyrrhenum et Ibericum piraticis infestabant, scribere, proque summa auctoritate, quam sibi tribuisset Solymanus, imperare, ut primo quoque tempore ad se venire properarent, classem novumque Solymani Regnum adversus Christianorum conatus bellum in se parantium secum viribus collatis defensuri. Nec piratae imperium *Bassae* detrectarunt, sed propere ad Charadinum convenerunt, auctusque Turcarum numerus est ad decem millia fortium et vetera-

ranorum militum, qua vel sola manu Charadinus contra quamlibet magnas vires posse Tunetem atque classem ex Goleta defendere confidebat.

XXVIII. Est autem Goleta aedificium in littore, passuum a solo Carthaginis quatuor, a Tunete sexdecim millibus, siquis circuitu paludem interjectam vitare velit. Hic merces navibus advectae excipiuntur, solutisque portoriis compendio per paludem scaphis dumtaxat et piscatoriis cymbis navigabilem in Tunetem sitam in ultimo paludis flexu transportantur. Forma ejus quadratae domus, sed arcis tamen firmitudo cavedium majus, quam pro ratione aedificiorum, nam crassioribus undique cingentibus parietibus nihil intus adjungitur praeter cellas omni ex parte per continuatas fornices adhaerentes, condendis mercibus comparatas. Una dumtaxat porta ad occidentem versa patet aditus ad interiorem, et ea parva, et humili, quales arcium esse solent. Fornicum, et parietum una est superne aequalis atque lata superficies, qua duo contrarii currus ducerentur, strata opere signino. In hujus superficiei extrema parte brevis alter murus pinnis distinguentibus surgit, frequentibus fenestris ex intervallo patens ad tormenta disponenda. Qua solem orientem spectat Goleta, passibus circiter triginta discedit a mari, contraria parte paludem habet, de qua modo demonstravimus, passuum Romanorum trecentorum circiter intervallo, quod pluviis et siccitatibus profertur, et vicissim contrahitur. A meridie Euripus, quo quasi gutture sive gula, unde nomen arci, mare cum palude committitur, Goletam propemodum alluit, pauloque superius li-

ligneo ponticulo jungebatur. Itaque a septentrione dumtaxat, nec magno inter paludem et mare interjecto spatio, pedestribus copiis est accessus, qua parte nonnihil etiam tegebatur muro, quem Charadinus aedificare coeperat ab angulo Goletae circa mare in septentrionem aliquatenus ductum, deinde in occasum brumalem deflexum, ad breve tamen spatium.

XXIX. Hunc locum Charadinus novis praeterea munitionibus firmare pergebat, utrinque a terra vallum firmissimum et latissimum ex malis, remisque, et ceteris armamentis navium opponens; hinc ab inchoato muro, illinc ab ipso mari in paludem munitionibus perductis, ut areis interceptis locus redderetur militum capacior; in quibus vallis et Goletae partibus superioribus frequentia tormenta disposuit, in Euripo rostratas naves collocaverat, remis ademtis propter angustiam loci, sic tormentis per singulas nonnihil exstantes supra terram et Euripi ripas aptatis, ut tum in mare, tum in terram, prout hostis ingruisset, facile converti possent. Atque haec quidem apud Charadinum et hostes gerebantur.

XXX. Carolus expositis equis levia praelia nonnulla fecit continentibus diebus, non equestria solum, sed etiam equites subsequentibus jaculatoribus. Quae certamina fere omnia per se obibat intrepido animo, hostes submovendi gratia, qui se crebro ad territandos nostros ostendebant, praemissis equitibus, quorum illi numero multis partibus superiores erant. Equis etiam utebantur expeditis et velocissimis, quorum pernicitate freti quotidie fere castris nostris obequitabant, non sine magno pe-

periculo calonum, ac interdum militum, praedandi, aut uvas et ficus ex arboribus petendi gratia castris, vel ordinibus excedentium. Equestria parva certamina ob hoc hostes incunctantius inibant, et cum leviore jactura faciebant, quoniam ipsi nulla corpus armatura tegente numquam nostrorum equitum cataphractorum impetum exspectabant. Cum ceteris autem equitibus, qui levius erant armati longe impari numero et conditione congrediebantur, quippe paucos nostrorum semper illi longe plures adoriebantur, hastis quoque superiores, quas binas plerique Nomadum gestabant, alteram missilem, quam certamen ineuntes in hostem aut hostis equum contorquebant, alteram incredibilis longitudinis, vulgo triginta pedibus proceriorem, interdum etiam quadraginta complentem, qua scite librata tam vehementem ictum incutiebant, ut per ferreas armaturae laminas in corpora nostrorum equitum adigerent, qui duplo brevioribus subtilibusque lanceis utebantur Hispanorum veteri ritu, quem vulgo *Ginetam* dicunt, praeliis horum temporum non perinde accomodato. Corpus thorace tegunt ex laminis ferreis compacto, gladiis utuntur, et brevioribus ac tenuibus hastis. Insident equo contractis cruribus, quo habitu licet aptior sit eques ad jaculandum, qui erectus in pedes vehementer hastam contorquet, est tamen ut ad hostem equo deturbandum, sic ad hostilem impetum sustinendum infirmus. His legitimum est non infestis hastis cataphractorum more cum hoste concurrere, sed per occasionem nunc agredi, nunc consulto cedere, rursusque invehi et variis flexibus hostem ferire vel eludere; ad quod equos habent mira celeritate parentes.

XXXI.

XXXI. Hoc genere pugnae Mahumetani Granatenses utebantur, unde nostri sic pugnare didicere. Sed hac consuetudine jam propemodum abolita longe utilior altera successit, equitis armatura, quae caput, corpus, femoraque tegit, item clavae, hastaeque forma et crassitudine, parum a cataphractis abhorrente, nisi quod omnia sunt paulo leviora, et equus nulla sua gravatur armatura. Idem habitus insidentis, similis congrediendi modus. Qua ratione armati pauci quidam equites natione Graeci, qui sponte sua ex Italia paulo post classis appulsum trajecerant, longe tutius et cum majore hostium damno, quam ceteri expediti equites pro sua paucitate depugnabant. Hostium autem haec erat in tumultuariis praeliis pugnandi ratio: praemissis equitibus cum tormentis eminus jaculando certamen inire, nostris autem ordine servato in eos ingruentibus facile multo etiam paucioribus cedere, longius porro celeritate equorum, quos Africa gignit velocissimos, subtracti consistere, et siquos nostrorum equites avidius insequentes ac dispersos a multitudine removissent, terni et quaterni, et saepe plures in singulos referri, ac circumventos concidere. Tum si conferti nostri laborantibus subsidio processissent, rursus cedentes ipsorum impetum periculumque vitabant. Quo genere pugnae ubi Carolus suorum virtutem astu eludi animadvertit, nostrorum conatum frustrante hostilium equorum pernicitate, statuit deinceps talibus praeliis abstinere, ac nequis injussu suo praeliandi gratia e castris excederet, interdicit; eoque magis, quod intelligebat hostes id agere, ut nostros sine intermissione territando, continenterque solicitando a reliqua belli gerendi cura his pugnis intentos et occupatos averterent.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER DUODECIMUS.

I. HIS rebus gestis constitutisque, Carolus vicos ac loca superiora reliquens castra propius Goletam in planiciem quamdam sabulosam inter duas turres, de quibus supra scripsimus, et opportuniorem locum ad arcem munitionesque hostium oppugnandas transfert. Nam quibus ex causis Charadinus Goletam sibi primum omnium muniendam defendendamque putabat, ob easdem Carolus sibi vicissim hanc ante omnia oppugnandam esse statuebat; primum, quoniam navium quidquid aderat Charadino, locus ille, ut dictum est, dispositis superne tormentis tutabatur, quas naves summis opibus, omniumque maxime alter defendere, alter expugnare aut capere constituerat et conabatur: deinde quoniam uterque magnam esse facultatem in Goleta ad nostros, si Tunetem obsessum oppugnatumque processissent, commeatibus intercludendos intelligebat, qui commeatus, cum terra omnis esset hostilis, necessario erant a navibus ex intervallo longiore petendi. Quapropter post Caroli adventum Charadinus Goletam praesidio delectorum militum numero ad duorum millium fir-

firmavit. Initio enim tam tenui praesidio tenebatur, ut primo die nondum peractis munitionibus capi potuerit, si Carolus infirmitatem ejus habuisset exploratam, ac eodem die, quo appulit, expositis militibus huc protinus incubuisset, primoque impetu Goletam oppugnasset. Sed hac occasione, quae sero ex captivis cognita est, praetermissa, Carolus nihilo secius totus mente et animo in Goletae oppugnationem insistebat, ac ut tutius copias tormentaque munitionibus admoveret, unum vallum Hispanis a mari, alterum Italis a palude excitandum mandavit, non prorsus ex obliquo, sed ut paulatim Goletae appropinquando, quasi duo latera trianguli in obtusum angulum exirent in medio fere spatio. Hos vallos milites silentio nocturnoque labore, ne a videntibus hostibus tormentis laederentur, conficiebant: die vero, ne ab eisdem opera diruerentur, tuebantur.

II. Deinde Charadinus animadvertens totam belli molem in Goletam esse conversam, quatuor praeterea millibus Turcarum, quorum fidei spectataeque virtuti maxime fidebat, duobusque Poenorum praesidium augere constituit, ceteris Turcis secum ad Tunetem arcisque, qua ipse continebatur, praesidium retentis. Turcas autem, dum bella memoro, commune consuetudine voco non eos solum, qui Turcae sunt natione, sed Thraces etiam, Macedones, Graecos et finitimas gentes, quae sub Turcarum imperio sunt; ut olim Romani dicebantur Italici omnes, quicumque Romanis mixti externa bella gerebant. Ceterum cum nostrae copiae in parte, quae septemtrionem spectat, consedissent; hostibus non solum per paludem naviculis, sed etiam pedibus per aversam

sam partem abeundo, impune licebat ultro et citro commeare. Praesidium igitur Goletae jam ad octo millia fortissimorum propugnatorum creverat, eoque congesta fuerant quadrigenta amplius variae magnitudinis tormenta, praeter multos *Archibusos*, idest, scloppeta majora singulis militibus habilia. Itaque tormentis operibus et milite tam munitus erat ille locus, ut nullius jam humanis viribus expugnari posse videretur. Sed Carolus nihil his difficultatibus deterreri, nec segnius rem administrare, cunctaque, quae oppugnationi usui sunt, diligenter comparare, fretus non modo virtute suorum, sed multo etiam magis ope Divina, cui potissimum, ut fas erat, vir singulari religione et pietate accepta ferebat multa secundissima praelia, quae in magnis rerum angustiis praeter hominum opinionem per duces fecerat.

III. Ceterum hostes non solum ex suis munitionibus tormentorum telis eminus nostrorum opera et utrumque vallum inchoactum impedire ac demoliri nitebantur, sed interdum etiam erumpentes cum praesidiis fortiter depugnabant. Quippe inter initia eruptione facta, dum turbinem ac secundum ventum, qui vehementissime flare coepit, sequuntur, alii ventilabris arenam, qua plenum erat intervallum, excitare, alii scloppetis et arcubus tela jaculantes, nostros lacessere, et adverso pulvere obcoecatos atque inusitato genere pugnae attonitos conturbare coeperunt. Sed cum ventus subito remisisset, a nostris rejecti sunt, et in suas munitiones compulsi. Paucis diebus interjectis, ubi dies illuxit, ab erumpentium minore numero Italorum duae cohortes

repulsae sunt, ablato uno signo militari, et Hieronymus Tutavilla Sarni Comes vir fortissimus, ipsarum praefectus, cum militibus egregiis circiter quadraginta caesus: qui dum ceteri parum scilicet bellicis rebus assueti cederent, ipsi turpi fugae, ut viros decet, pulchram mortem praeferentes fortissime dimicando concidere; vulnerati praeterea sexaginta, priusquam Hispanorum veteranae cohortes, quae alterum vallum ad mare pertinentem tutabantur, auxilio pervenirent, a quibus hostes repulsi et aliquot concisis in fugam conversi.

IV. Hoc die Poenus quidam a Charadino, ut postea cognitum est, explorandi gratia missus in castra venit, qui perductus ad Carolum se missum a Rege Hazeno affirmavit, ut praesens cognosceret, num verum esset, quod ad illum fama de adventu Caroli et copiis ejus pertulisset, simulque nuntiaret Regem ipsum re cognita cum exercitu et commeatu prope diem affuturum. Qui rogatus, cur nihil a Rege litterarum attulisset, callido consilio id factum esse respondit, ne si in hostes incidisset, litterarum indicio proditus ipse occideretur, et Rex frustra reditum suum exspectaret. Carolus, quamvis suspectum haberet hominis adventum, quem magis speculatorem ab hostibus, quam nuntium a Rege venisse judicabat, tamen ne aut leviter credulus, aut rursus parum humanus videretur, utriusque partis sibi rationem habendam statuit. Itaque copiis omnibus in aciem eductis ostentandi gratia, Poenum circumduci jubet, ut viris et armis metuendum hostibus exercitum consideraret, eumdemque post ad se vocatum, quacumque ex causa, et a quocumque missus venisset, suis

suis renuntiare jubet Carolum in eam regionem cum exercitu trajecisse, non quod imperiis novis studeret, aut Africam bello vellet insectari, praesertim Tunetem, cujus Regem Hazenum in suam fidem et clientelam recepisset, sed ut Charadinum tyrannum et piratam perniciosissimum, non Christianorum modo, sed generis humani communem hostem opprimeret, et gravissimo praedone sublato mare internum ex infestissimo quietum redderet, omnesque accolas mortales a magno timore et incommodis liberaret. Nam sibi cum Poenis non esse bellum, fidem esse debere, quod quicumque ipsorum a suis fuissent capti, hos protinus ipse liberasset, et incolumes abire permisisset. Quod vero ad Regem pertineret, si ille suam fidem et amicitiam sequeretur, ut legatione missa se facturum ostendisset, se pro sua consuetudine commodis ejus ac dignitati consulturum; sin aliter statuisset, quicumque Charadinum fovendum putassent, ipsumque volentes adjuvissent, eos omnes loco se hostium habiturum.

V. Tertio post die vixdum certa luce hostes ex Goleta iterum eruptione facta milites Hispanos continenti labore nocturno ad vallum alterum defessos et securos improvisi adoriuntur, excubitoribus paulo ante digressis, qui post vallum fuerant ex more ad motus hostium observandos et renuntiandos dispositi, ac Germanorum cohortibus, quae in praesidium operi incumbentium excubabant, in castra reductis. Itaque cohors Hispanorum, quae in opere erat parte maritima, repentino hostium impetu deterrita (nec enim vel arma sumendi spatium dabatur) amisso signo uno militari, ce-

de-

dere coepit, conturbatis etiam reliquis, qui rei causam ignorabant; sed armis sumtis, ubi se Hispani receperunt, hortatu mutuo in hostem conversi ipsum impressione facta repulerunt, fugientem paene ad Goletam usque persequentes. Neque vero ceteris nostrorum copiis interim a Tunete et Charadino quies erat, sed quotidiana consuetudine frequens hostium equitatus peditatu subsequente sese castris ostendebat, nostrosque ad parva certamina provocabat, duce Azanaga eunucho, natione Sardo, Charadinique liberto, a quo puer captus Christianam Religionem deseruerat, et turpissimis obsequiis carus patrono ab ineunte aetate fuerat, et tunc propter animi promtitudinem ingeniique solertiam primum auctoritatis amicitiaeque locum apud ipsum obtinebat.

VI. Hoc itaque duce hostes a Tunete quotidianas excursiones faciebant, tanto etiam incunctantius, quod nostros videbant a Carolo diligenter castris contineri, licet quidam interdum, ipsius injussu, privatim excederent, quorum nonnullos ab hostibus praesens poena sequebatur. Quod accidit Joanni Xuario homini notissimo in Principis aula. Hic enim, ut erat paulo gloriosior, quam fortem prudentemque virum decet, cum in praetorio multis audientibus magna verba loqueretur, Franciscus Covus, quem saepe nominavimus, in eum cavillatus: *Commodius*, inquit, *in bello fortiter factis, quam verbis magnificis virtus ostentatur; facilius igitur cum hoste, qui prope adest, pugnando, quam loquendo, nobis te virum esse fortem probabis*. His ille verbis commotus ac pudore correptus postridie redeuntibus in castra expedi-

ditis equitibus, qui ad reprimendam eruptionem hostilis equitatus ex Goleta factam emissi fuerant, solus ex turma equo insidens ac loricatus in hostes ad olivetum obequitantes procedebat; cui factus obviam Alfonsus Cueva expeditorum equitum praefectus, qui ad reducendum paucos quosdam vagantes equites discesserat: *Quid cunctaris*, per jocum inquit, *vir fortis, in illos, qui adsunt, hostes irruere, et spectanti exercitui specimen insitae virtutis ostendere?* *Ego vero*, respondit ille, *nihil cunctor*; et citato equo procurrit in hostes; nec potuit ullis vocibus revocari; sed quatuor equites a ceteris hostibus remotos conspicatus, hos invadit, consertoque certamine, cum his strenue dimicabat; at circumventus ab eis impactis hastis, elabente simul ephippio, quod laxe haerebat, equo deturbatur. Hoc animadverso Alphonsus Cueva, et Andreas Pontius, et unus alius eques accurrunt, ut laboranti atque educto gladio repugnanti subvenirent; sed eodem tempore ex hostibus quatuor suis opem ferentes ad locum pugnae perveniunt. Itaque tres nostri equites cum octo Nomadibus magno animo congrediuntur, Xuario locum non deserente ac potius suos juvare conante. Sed dum ab utrisque acerrime dimicatur, reliqui Nomades ad septuaginta, quae manus excurrerat ea parte, citatis equis concurrunt.

VII. Tum Bernardinus Mendoza, cum paucis expeditis equitibus, nobilibus cunctis, advolat; cui frater Marchio negotium dederat, ut aliquem ex hostibus cognoscendi gratia excipiendum curaret, sic enim fuerat imperatum a Carolo; qui equites conjuncti confertique tam strenue dimicarunt, ut quatuordecim vim et impe-

petum circiter octoginta Nomadum sustinerent, et prostratum Xuarium, quamvis letaliter vulneratum subtraherent. Horum fuere, cum supra memoratis Jacobus Mendoza Bernardini frater, Joannes Cueva, Petrus Godojus, qui equitum ordinem ducebat, Franciscus Benavides, et Garcias Lassus, nobili genere nati, ut demonstratum est, fortissimique viri. Ea pugna Alfonsus Cueva multis plagis confossum equum amisit: Garcias Lassus ore unum, brachio vulnus alterum accepit: Xuarius ipse, dum in castra reducitur, efflavit animam. Tam magna mercede nonnunquam contingit inepte magnis verbis gloriari, quod qui faciunt apud viros intelligentes, pro virtutis opinione, quam stulte petunt, famam levis ac pusilli animi reportant, quam ignominiam quidam ferre nequeuntes despondentesque animum in magna pericula temere ruunt, si forte possint infamiam hac ratione delere: et simile faciunt, ut qui sibi mortem conciscunt, dum scilicet ignorant, hoc quoque timidi esse et perfracti animi, ut appareat recte traditum esse a viris prudentissimis omnes malos in rerum expetendarum ignoratione versari.

VIII. Direptum est autem certamen utrisque paulatim ad suos sponte discedentibus, deterritis videlicet atque repressis Nomadibus castrorum nostrorum propinquitate. Sed paucorum licentia paulo durius a Carolo objurgata, ceteri deinde magis ab inutilibus his praeliis abstinebant, quamvis hostes quotidie ad eam oliveti partem excurrerent, et inde castra tribus expeditis tormentis oppugnarent. Nec ullo die per id tempus ab ipsis cessatum praeter natalem Joannis Baptistae, quem Ma-

Mahumetani quoque, non solum Christiani festum agunt, magnaque religione celebrant. A quo ubi dies tertius illuxit, hostes quotidiana consuetudine multis hinc inde tum peditibus, tum etiam equitibus dispositis ex oliveto castra sub ortum solis eisdem tormentis oppugnare coeperunt; quod licet fieret cum parva nostrorum jactura, Carolus tamen jam non ferens indignitatem Mondejarae Marchionem ad se vocat, et pari equitibus scloppetariorum, qui simul equis inveherentur, attributo numero, cum his praecurrere atque praelium inire jubet, et id maxime curare, ut hostes tormentis exueret.

IX. Marchio dimidium fere interjecti spatii progressus jaculatores ad pedes desilire jubet; ipse ad olivetum tormentorumque locum paucis sequentibus equitibus advolat, ceteri namque sinistrorsum ad paludem, quam partem hostilis equitatus repleverat, deflexerunt; consertoque praelio, acriter utrobique dimicabatur. Verum Marchio, dum hostes pertinaciter ad tormenta repugnantes magno animo repellit, circumventus ab eis, et multis undique vulneribus appetitus, equo letaliter vulnerato, ipse quoque ancipitem plagam accepit sinistro latere, hostili hasta per laminas thoracis et bonam corporis partem adacta; sed a proximis suorum, qui laboranti sucurrerunt, adjutus et servatus est, ac in castra reductus. Hostes deinde nostris equitibus ingruentibus cedere more suo, et tormenta retrahere, interdum consistere, ut nostros dissipatos et raros frequentes ipsi adorirentur. Sed huic dolo nostri ut occurrerent, ipsi quoque auctore potissimum atque duce Bernardino

Mendoza Ludovici Marchionis fratre se sustinebant, et subinde colligebant, donec Carolus, parte peditatus se subsequi jussa, cum equitibus cataphractis in suorum subsidium venit.

X. Tum vero hostes tormentis relictis effusius fugere perrexerunt; ast longius paulo progressi, cum animadverterent nostros nullo ordine progredi, et quosdam cupidius insequentes sese ab aliis disjunxisse, subito et magno cum impetu revertentes Graecos illos, quos supra demonstravimus, nam hi ceteros antecedebant, terga vertere coëgerunt; a quibus cum fugae factum fuisset initium, ceteri quoque pedem retulerunt, nec ante constiterunt, quam in conspectum Caroli venirent, qui cataphractos districto gladio antecedens suo adventu nostros confirmavit, hostesque non modo repressit, sed etiam in fugam conjecit, exuitque tormentis, et multo jam die, cum aestus invalesceret, suos perpaucis desideratis in castra reduxit. Huic praelio interfuit Fernandus Alarcon Marchio Sicilianae Vallis, qui paulo tardius Neapoli profectus pridie multis ex Hispana Neapolitanaque nobilitate comitantibus pervenerat. Hic, ut erat magna prudentia et rei militaris, in qua scilicet consenuerat, peritissimus, auditis partimque perspectis discriminibus, quae Carolus frequenter adibat, supplicibus quidem, sed tamen gravissimis eum verbis dehortatus est, primum, ne tam praeceps in pericula rueret cum magno suo et totius exercitus discrimine in tanta tormentorum volantiumque telorum frequentia; deinde, ut suos quam maxime posset a praeliis non necessariis continere.

XI.

XI. Per id tempus tres Hazeni legati in castra pervenerunt, nuntiantes Regem ipsum adventare, qui veritus insidias Charadini ad Budiam regulum amicum suum non longe a Tripoli, quae urbs jam pridem sub imperio Regis Hispani erat, confugisset. Ex his cognitum est Poenum illum, qui se missum ab rege dixerat, dolo in castra venisse, missum videlicet ab hostibus, ut copias Caroli specularetur. Eoque triduo Rex ipse affuit, cui castris appropinquanti Carolus officii gratia Fernandum Toletum Albanum Ducem, et Antonium Pimentellum Beneventi Comitem cum magno nobilium virorum comitatu obviam procedere jussit; a quibus honorifice deductus, supplex Carolum salutavit, exceptusque ab eo est cum egregia comitate. Venit autem cum turma dumtaxat quadringentorum circiter equitum patrio more longissimis hastis, et item brevibus, binis scilicet, armatorum; ipse cultu parum, aut nihil abhorrens a communi, et vulgari. Hos omnes Carolus, et quidam principum Hispanorum sericis honestioribusque sagis, quibus tritis et laceris seminudi venerant, vestiendos curaverunt. Rex tamen accepto munere adduci non potuit, ut quidquam ex pristino habitu mutaret, scilicet, ut doceret vestimentorum illam vilitatem non ab inopia proficisci, sed a frugalitate et parsimonia, qua singulari uti constat Afrorum gentem, ut in victu, sic in omni corporis cultu.

XII. Post certamen superius hostes tormentis amissis ab impugnandis quidem pristina ratione castris destiterunt; sed animadvertentes turriculam quamdam in conspectu castrorum positam a paucis Christianis mili-

tibus teneri, qui omnes ipsorum motus ex edito loco speculabantur, atque nostris significabant; hanc impugnare summis opibus aggrediuntur. Et quamvis custodes, qui numero quindecim erant ex nuper conscriptis Hispanis, fortissime repugnarent, tamen cum acerrime a magna multitudine hostium oppugnarentur, non multum aberant ab eo, quin cum turre parum vel loco, vel opere munita caperentur. Sed Carolo cum equitatu et Germanorum manu castris egresso, et Hispanis copiis, quae in monte separatim a castris consederant, ut imperatum erat, procurrentibus, hostes duabus simul partibus appetiti, omissa oppugnatione, nec exspectato nostrorum impetu, sese fugae mandarunt; qua in fuga nonnulli ab equitibus et jaculatoribus nostris caesi, plures vulnerati, et in his Sacerdos quidam Poenus, qui magnam multitudinem ex finitimis populis ad hoc bellum defendendum religiosis admonitionibus concitaverat, et tunc eorum animos non solum verbis, sed schedulis etiam superstitiose conscriptis confirmabat, quas ante agmen spargens sic eos fore tutiores asseverabat. Carolus hostibus repulsis, turre colleque relicto, illas Hispanorum copias ad inferiora castra descendere jubet, ut tutius exercitum et commodius contineret, utque tumultuariis praeliis vitatis milites omnes ad vallum ducendum, et comparanda, quae usui expugnandae Goletae forent, intentiores ac expeditiores essent.

XIII. His incommodis acceptis hostes nonnihil ab incursionibus temperaturi cum viderentur, calonum magna turba cum parvo praesidio, cui praeerat Fernandus Alarcon, pabulatum mittitur; sed hoc hostes propere per

per exploratores cognito advolant, factoque impetu non pabulatores modo, sed praesidium etiam conturbant et urgent; ita ut in munitiorem quemdam locum Alarcon se recipere cogeretur, quo posset hostilem impetum sustinere. Hoc nuntiato Carolus, quibusdam Germanorum Hispanorumque cohortibus se subsequi jussis, ipse cum equitatu accurrit, a quo repulsi hostes, in fugamque conjecti. Ceterum cum exercitus etiam nunc pabulatione premeretur, quarto Nonas Julias cum bona copiarum parte, ac expedito equitatu Fernandus Toletus Dux Albanus ad vicos et pagos, Promontorio Carthaginis adjacentes, pabulum petendi gratia missus est, qui magnum hostium numerum in pabulatores cunctis ex partibus procurrentem repressit. Sed nostris cum magna non pabuli tantum, sed frumenti etiam copia redeuntibus Turcae, qui Goletam tuebantur, sive invitante occasione, quod bona pars copiarum pabulandi a castris, et triremium lignationis munitionisque causa ab statione discesserat, sive duobus praeliis superioribus, quae secunda sibi fecisse videbantur, elati rursus erumpunt duce Hadino nobili praedone (vulgo *Cacciadiabolum* appellabant) qui paucis illis diebus ex Hippone cum Turcis ad quadrigentis adveniens hostium ut numerum, itidem animum adauxerat, et magno impetu magnisque animis in veteranas Hispanorum cohortes, quae vallis praesidio erant, procurrunt.

XIV. Sed Hispani tum insita virtute et consuetudine pristina usi, tum ut delerent eam labem, quam nuper ab his de improviso adortis paululum repulsi accepisse videbantur, fortissime repugnarunt, nec hostem mo-

modo sustinuerunt, hortante magnoque animo pugnam ciente Alfonso Vasti Marchione, cujus equus fuit sclop-peti telo secundum cervicem vulneratus; sed repulerunt etiam ea contentione, ut fugientium tergis inhaerentes ad ipsas usque Goletae munitiones pervenirent ibi quoque edita pugna; qua pugna, si scalae suppetissent ad munitiones conscendendas, expugnari Goleta potuisse visa est ab Hispanis eo die, antequam hostes se ex fuga atque metu reciperent; tantus erat foris animorum ardor, nostrorumque contentio, intus timor et trepidatio defensorum! Sed qui ad hostium munitiones levissima jactura dimicaverant, his se recipientibus majus damnum illatum est, tormentis eminus tela jaculantibus. Hoc praelio ex nostris circiter ducenti desiderati; vulnerati plus quadringenti; hostibus longe majus damnum illatum, qui hac pugna conterriti non ausi sunt amplius nostros eruptionibus lacessere, satis habentes suas munitiones Goletamque tueri.

XV. Carolus animadvertens diebus singulis aquam et quotidiana cibaria praesidio per paludem naviculis a Tunete submitti, conandum sibi statuit, siqua ratione posset hostes hac quoque parte commeatibus intercludere. Jamque erant ad imponendum militem scaphae nonnullae cum tormentis per terram transvectae in fossam a Charadino, cupiente hoc quoque loco paludem cum mari committere, inchoatam, qua fossa nonnihil aquae continebatur; sed missis noctu, qui altitudinem stagnantis aquae metirentur, compertum est stagnum, nisi parte media, ne scaphis quidem continenter esse navigabilem. Hac igitur omissa cura Carolus animo to-

totus in ultimum vallum perducendum insistere coepit, qui post duos memoratos propius Goletam a palude in mare ducebatur. Quo peracto, spatium interjectum longius esse, quam ut ab eo Goleta commode tormentis quati posset, cum videretur, alter post hunc ad passus circiter centum brevior erigitur, ubi seco magna tormenta collocata, cetera per priorem vallum disposita; tum ad Hispanorum cohortes, quae nunquam ab vallo discedebant, Italorum quatuor millia, Germanorumque duo, qui Goletam oppugnarent, adjecta, Hispani ad mare, Italici ad paludem collocati, Germani inter utrosque consistebant, jussi in eam partem, quo res adhortaretur, incumbere.

XVI. His ita compositis, et omnibus rebus comparatis, dies exspectatur serenus, quo mare tranquillum esset, et usui navium ad oppugnationem accommodatum. Quem diem Carolus appropinquare sperans, ut militum ad oppugnationem Goletae destinatorum animos confirmaret, eos, ut divisi erant, generatim adit, et pro sua quosque natura paucis quidem, sed prudentibus verbis ad strenue pugnandum adhortatur. „Germanos jubet, ut, quas reliquae copiae pro muro haberent, memores insitae virtutis ac roboris essent, et „quam spem de se praebuissent bellicae virtutis suae „gentis opinione, hanc in ea oppugnatione, si unquam alias, sibi etiam, atque etiam praestandam putarent. Italos gentis ac loci, ubi res gereretur, admonet, in conspectu esse Carthaginis ruinas, quae „dum opibus et imperio floreret, ac esset ceteris gentibus formidabilis, ipsorum tamen majoribus, Italicis-

„que

„que gentibus par esse non potuerit, bis victa, ad ex-
„tremum solo etiam aequata; turpe ipsis fore non ta-
„lia virtutis documenta in ea regione praebere, ut po-
„steri gentis devictae sentiant Italos hujus memoriae ni-
„hil ab illa gloria et virtute majorum degenerasse. Hi-
„spanis continuatas multorum annorum de fortissimis
„gentibus victorias ipsorum virtute partas in Europa,
„expugnatas urbes, magnos exercitus fusos summatim
„proponit; hortaturque, ut virtutem et officium, quod
„saepe suis ducibus praestitissent, sibi Imperatori, in cu-
„jus conspectu res esset gerenda, ut pium atque fas esset
„praestarent; nam si ad illos triumphos accecisset Africa
„devicta, quae res in Goletae oppugnationis discrimine
„verteretur (hac enim expugnata facile futuram esse de
„Tunete victoriam) nihil eis fore reliquum ad summam
„immortalemque gloriam consequendam, et Hispano-
„rum imperium longe et late terra marique stabilien-
„dum, et confirmandum. Praeterea cunctis honestatem,
„pietatemque causae considerare praecipiebat, bellique
„genus meminisse, quod pro Religione, pro salute, et
„libertate Christianorum gereretur, non tam cum Cha-
„radino, quam cum Solymano Turcarum Principe, ho-
„ste Christiani nominis infestissimo, cujus ille viribus
„et opibus niteretur, et qui animum in Regna Chri-
„stianorum intendens Charadinum cum classe ad ca-
„ptandas rerum occasiones misisset, si Goleta expugna-
„ta, quod positum esset in ipsorum virtute (nihil e-
„nim fortibus viris et piam causam foventibus esse dif-
„ficile) Charadinum devicissent, qui classem eo suasque
„vires contulisset, in eo Solymanum esse devicturos,
„et

„ et Orbem Christianum ab ingenti periculo et maximis „ incommodis liberaturos."

XVII. His et talibus verbis militum, quos ad vallum constituerat, animis confirmatis et ad pugnam incensis praemium proponit his, qui primus, qui secundus, qui tertius hostiles munitiones transcendisset. Ubi dies oppugnationis illuxit, ceteras terrestres Germanorum Hispanorumque copias instruit ad avertendos hostes, quos cunctis erat persuasum ex Tunete magno numero ad impediendam oppugnationem esse venturos, jaculatores ad castrorum vallum disponit, et equitatum separatim idoneo loco collocat. Caepta est autem oppugnatio oriente sole quadraginta tormentis a terra, ex his quos consuetudo militaris *Cagnones* vocat, et *Colubrinas*. A mari vero octoginta naves rostratae depositis malis rem gerebant, quarum quadraginta triremes erant, nam ex octoginta tribus, quem numerum jam triremes complebant, ceterae ultra citraque classem locis idoneis erant ad hostes tormentis, si forte maritima parte invasissent, abigendos dispositae. Tot igitur rostratae naves, ac ex vectoriarum genere *Galeones* tres, et amplissima quaedam navis Religionis Sancti Joannis, et viginti Lusitanae *Carabelae* innumeris variae magnitudinis tormentis Goletam concutiebant. Nec hostes interim rem segnius gerere, sed omni ex parte tormentis terra marique propugnare, et tum ex arce et munitionibus, tum ex rostratis quibusdam navibus, quae in statione ad ostium Euripi cum suis armamentis erant, frequentia tela jaculari. Edebatur undique fragor horrendus diu tonitri-

bus continuatis; omnia sulphuris gravissimus odor, densissimusque fumus repleverat.

XVIII. Octava circiter oppugnationis hora, Carolus cum satis jam Goletam labefactatam et munitiones hostium dissipatas judicaret; in locum oppugnationis, quam Doria et Vasti Marchio curabant, progreditur, rogatque, num satis ad militem immittendum, irrumpendumque profectum esse tormentis videretur. His negantibus, in breviorem et proximum Goletae vallum, unde propius certiusque munitionum ruinas cernere et considerare liceret, eisdem comitantibus procedit. Sed quoniam ea parte, quam extra turrim in angulo sitam totam amplissimus firmissimusque vallus tegebat, parum aut nihil erant munitiones dissipatae, invadendi tempus non videbatur, donec redeuntibus ad alterum vallum centurio quidam missus ab Alvaro Bazano eam a mari tribus partibus dirutam, et paene solo aequatam nuntiavit, nec esse, quod amplius irruptio militum, atque invasio differretur; tum vero Carolus nihil cunctandum ratus, hortatusque duces, ipse ad curandam aciem, si hostes a Tunete emissi, quemadmodum exspectabatur, ingruerent, pedes regreditur: nam equo insidens telis hostium tormentisque magis patebat.

XIX. Milites autem accepto signo certatim cuncti munitiones hostiles invadunt; Hispani tamen ante omnes advolant, praecedente ipsos, et piis verbis adhortante monacho quodam suae gentis Franciscano, qui miles fuerat ante susceptum monachatum, et imaginem Christi crucifixi dextra manu quasi vexillum praeferente;

pri-

primeque murum circa mare labefactatum signis illatis occuparunt; omnes tamen propere adsunt, vallumque repulsis hostibus conscendunt. Hostes partim munimentorum ruina et disjectione, partim nostrorum militum in tormenta irruentium audacia deterriti, locum deserentes, fugam capessunt; quidam per paludem in naviculis, quae aderant, annotinis, alii per pontem Euripi in partem aversam a pugnantibus evadentes, quidam instantibus urgentibusque nostris se in paludem conjiciebant, et in aqua ipsa ab insequentibus trucidabantur; ex quorum insperata jactura caedeque duos ex captivis remigibus Andreae Doriae natione Turcas tantus moeror incessit, ut angorem animi ferre nequiverint: itaque alter nactus gladium tonsorium protinus inter suorum fugam sibi mortem dissecto gutture, antequam furentem prohibere quisquam posset, consciscit: alter telo deficiente vitam inedia finire decernit; sic ut omni cibo et potione quatriduum abstinuerit, vixque mitescente dolore potuerit ab incepto revocari.

XX. Quis primus Goletae munitiones transcendisset, tres milites Hispani disceptabant, et sibi quisque primum deberi praemium contendebat: Franciscus Torus, Joannes Bejar, et Petrus Avila. Desiderati ex nostris mari terraque circiter centum quinquaginta, ex hostibus ad duo millia, quorum in primis pugnando conciderunt *Genizari* circiter ducenti, et cum his Orossus amplo genere natus vir, et magnae inter Turcas auctoritatis; nam reliqui magna ex parte in fuga nostris insectantibus periere. Tormentorum magnus numerus in-

inventus, sed maxima et mediocria circiter quadringenta. Triremes captae quadraginta: biremes quadraginta sex, et multae preterea minores naviculae; nam ceteras triremes Charadinus partim Hipponem Regium miserat, partim Argeliam, ut sibi essent locis opportunis ad extremam fortunam reservatae.



JO.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER DECIMUS TERTIUS.

I. HUJUS victoriae nuntio in Italiam perlato magna ubique gratulatio non per urbes tantum et oppida, sed per vicos etiam atque villas facta est; tanta certe in urbe Roma, quanta nulla, nec tam ex animo multos annos ante. Auxit enim vehementer publicae laetitiae causas magnus timor atque moeror ex plurimorum animis depulsus, quem rumor injecerat ab invidis obtrectatoribusque Caroli, cum de illis, quas diximus, eruptionibus nuntiatum fuisset, confictus et in vulgum editus, Carolum desperata Goletae expugnatione, utpote viris, tormentis, atque operibus munitissimae, statuisse re infecta discedere, et in Siciliam cum praetoria dumtaxat cohorte trajicere, relicto traditoque exercitu duci, qui Goletam obsidione urgeret, et reliquum bellum administraret. Qui rumor, quamquam a viris prudentibus, quique ingenium Caroli perspexerant, ut vanus et commentitius rejiciebatur, plerosque tamen commovit, accedente ad eam famam longiore Goletae, quam ab omnibus exspectabatur, oppugnationis mora. Nam id dedecus si admissum fuisset a Carolo, nemo erat quin

quin de nostrorum victoria desperaret; nec dubitabatur, siquid eis accidisset, quin hostium viribus et spiritibus auctis, ac vicissim Christianorum imminutis atque fractis Roma bonaque Italiae pars magnum discrimen esset aditura, et frumenti, ac ceterarum rerum, quae mari comportantur, summam inopiam perpessura.

II. Ut igitur Christianis omnibus, praeter paucos inimicos invidosque Caroli, expugnatae Goletae nuntius gratissimus fuit, sic gravissime tulit eam jacturam Charadinus; primum propter loci opportunitatem, qua Tunetis obsidionem multum impedire posse confidebat; deinde ob simul amissam classem, in qua maxime ipsius auctoritas et potentia consistebat; tum vel maxime ob eam causam, quod cum omnes Tunetenses, et ipse in primis judicasset Goletam novis operibus tantoque praesidio militum atque tormentorum permunitam inexpugnabilem esse factam, hac virtute nostrorum expugnata ingens timor Tunetensium animos invaserat, ipso quoque Charadino non mediocriter metuente, ne tantis per se animis nova praeterea victoria sublatis obsisti non posset, si pari contentione Tunetis oppugnationem, oppidanis tanto timore perculsis, aggrederentur.

III. Sed in ea civitatis trepidatione haec Charadinum spes magnopere solabatur, quod Nomadum ac ceterorum subsidio venire non desistentium maximus numerus convenerat, quibus sibi adjunctis facile urbem defendi posse confidebat, dum oppidani modo in officio ac fide perstarent; nam his invitis nihil conandum esse statuebat; quorum ut adhortaretur simul et tentaret animos, concione convocata confirmare deterritos ni-

nititur oratione callida, eosdemque simul in Caroli invidiam et capitale odium concitare, recens ipsius in Mahumetanos Aragonenses factum, velut immane ac impium exaggerando. Carolus enim legem promulgaverat ante paucos annos, edixeratque, ut Mahumetani omnes Valentiae, et Aragoniae Christiani fierent, aut omni Hispania decedere cum sua quisque veste et supellectile maturarent, Fernandi et Isabellae religiosorum optimorumque Principum exemplum secutus, qui pulsis Judaeis ex omnibus suis Hispanorum Regnis eamdem legem tulerant in Mahumetanos. Quae tamen lex in Aragoniae, Valentiaeque Regnis non fuerat accepta, deprecantibus magna contentione principibus, quibus illarum regionum Mahumetani plerique erant vicatim subjecti, et lege victis antiquitus data propemodum serviebant; nam qui Regi tantum subjecti erant, aequioribus legibus utebantur.

IV. Haec igitur diligenter commemoravit, commentitia quaedam, sed tamen probabilia gestis affingendo in hunc maxime modum. „Scio plerosque vestrum, „viri Tunetenses, facta in Goleta jactura non medio„criter esse conturbatos: nec miror vos acerbo nuntio „commoveri, qui mihi omnium maxime gravis fuit at„que molestus, non quod de amisso loco sit magno„pere dolendum, qui licet ad hostes commeatibus in„tercludendos nonnullam praeberet facultatem, parum „tamen faciebat ad belli summam; sed quoniam non „possum non molestissime ferre amissae partis mearum „navium, et desideratorum militum jacturam, pauco„rum quidem, sed tamen fortissimorum, qui ad Go-

„le-

„ letam concidere. Ceterum fortium prudentiumque vi-
„ rorum est incommodis non conflictari acceptis, sed ve-
„ nientibus occurrere; proinde vos facite pro vestra vir-
„ tute et sapientia, ut levem jacturam, et quasi pla-
„ gam, quae stante urbe facile sarciri sanarique poterit,
„ obliti jam nihil aliud, quam de Tunetis defensione
„ cogitetis, in cujus discrimine totius Africae salus li-
„ bertasque vertitur. Carolus adest Christianus hostis, et
„ nomini Mahumetano, siquis unquam, infensissimus;
„ cum quo nobis non de finibus agrorum, non de glo-
„ ria, et Principatu, ut inter Principes aut vicinos
„ populos fieri solet, sed de libertate, de religione,
„ de vita denique certamen est. Nisi forte putatis
„ vobis victis, aut deditis Carolum aequiorem fore,
„ quam Mahumetanis omnibus in Hispania fuerit, quos
„ jam olim pacatos, et lege Regum superiorum libe-
„ ros, sine injuria cujuspiam sancteque degentes, non
„ contentus dura servitute premere, nuper ad extremam
„ desperationem compulit data optione crudeli simul at-
„ que nefaria, ut paternis sedibus bonisque relictis tota
„ Hispania breviore tempore, quam res aut natura pa-
„ teretur, excederent, aut a Mahumetana sacra divi-
„ nitusque tradita religione deficientes Christianae super-
„ stitioni impietatique servirent; cujus conditionis turpi-
„ dini ac iniquitati honestam piamque mortem praefe-
„ rentes plerique illorum viri fortes et religiosi in mon-
„ tem quemdam secesserunt, unde a multo majore Chri-
„ stianorum multitudine jussu Caroli obsessi fortissime
„ dimicantes ac egregie sese ulti conciderunt. An non
„ stultum esset modo victos Mahumetanos, vel metu
„ad

„ ad deditionem compulsos saniora vel mitiora exspectare
„ ab hoste Christiano, qui tanta crudelitate nuper in olim
„ pacatos nullo ipsorum merito desaevit? Nam quamobrem
„ putatis, Hazenum perfidum ac ignavum transfugam in
„ amicitiam Caroli pervenisse, nisi quod in ejus gra-
„ tiam sacram religionem nostram detestatus se Christia-
„ nae sectatorem professus hosti se suasque in perpetuam
„ servitutem addixit? Quare, si libertatem, si salutem,
„ si religionem salvam vultis, majorum vestrorum vir-
„ tutem et veterum Carthaginensium gloriam aemulami-
„ ni, qui quamdiu concordes fuerunt, non solum Afri-
„ cae libertatem ab exteris hostibus defenderunt, sed
„ mari transmisso his ipsis gentibus, quae Carolum se-
„ quuntur, saepe devictis imperium in Hispania et Ita-
„ lia multos annos tenuerunt. Nequis hostes istos vehe-
„ menter putet esse metuendos, aut ipsorum virtuti ma-
„ gnopere tribuat, quod Goletam expugnaverint; nec
„ enim magnum facinus est paucos a multis mari ter-
„ raque urgentibus superari, ad quos hostes non modo
„ sustinendos, sed etiam superandos intelligo mihi satis
„ superque virium fore; adsit modo vester, viri Tune-
„ tenses, consensus et conspirantes animi. Convenerunt
„ enim numerosa populorum auxilia, Nomadumque ma-
„ gna et fortissima manus; certumque habeo quotidie
„ plures milites undique conventuros. Verumtamen sic
„ habetote, me, nisi vobis volentibus et juvantibus, ni-
„ hil esse conaturum. Proinde vos etiam atque etiam
„ rogo, ut jam nunc, quid vestri consilii et voluntatis
„ sit, aperiatis. Nam si tam demisso prostratoque ani-
„ mo estis, ut malitis deditione facta crudeli simul im-

„pioque hosti servire, quam fortiter pugnando urbem, „fana, libertatemque tueri, haud equidem vobis obsta- „bo, sed protinus urbe discedam, quo facilius cogita- „ta perficere valeatis. Sin adhuc in vestris animis quid- „quam residet veteris majorum vestrorum virtutis, qui- „bus libertas et gloria ipsa quoque vita carior fuit, ego „vestrae saluti vobisque consentientibus nullo loco de- „fuero. Postremo si vultis, ut viros decet, sacrae reli- „gionis, et non modo civitatis vestrae, sed totius et- „iam Africae libertatem et salutem cum dignitate de- „fendere, bona spe concepta me duce utimini. Sen- „tient hostes cum suo forsitan magno malo, quas gen- „tes, quos viros temere bello lacessiverint."

V. Hac oratione confirmati animo Tunetenses, magnoque odio in Carolum et Hazenum incensi, pro libertate religioneque vel mori se paratos esse, et imperatis Charadini diligenter parituros conclamarunt. Tum Charadinus sumtis spiritibus, et meliore spe concepta, quae usui forent ad urbem defendendam, alacrius ac diligentius comparare pergit; copiarumque inita ratione, quae pugnatorum centum millium numerum excedebant, Turcas, qui ex Goleta projectis armis effugerant, et siqui alii inermes erant, armat, et cunctos blandis amicisque verbis et pollicitis confirmare non desistit. Quumque omnes non solum oppidani, sed etiam auxilia largiter suam operam et officium pollicerentur, tantum ei fiduciae ac spiritus accessit ut non jam quomodo ex muris urbem defenderet, solicitus esset (quod tantis copiis indignum judicabat) sed de hoste ad pugnam provocando et pari conditione dimicando cogitaret.

VI.

VI. Haec postquam Carolus per exploratores cognovit, proceribus ac praefectis suis convocatis, Charadini de urbe defendenda consilium, oppidanorumque consensum exponit, ac hostilium copiarum magnitudine proposita sententias de bello gerendo deque ratione obsidendae ac oppugnandae Tunetis exquirit. Nec parva exstitit inter consultantes controversia, quorum plerique nihil temere agendum esse censebant, nec contra tantam multitudinem Tunetis oppugnationem aggrediendam; consuetudinem rationemque belli ferre, ut castra, vel urbes quas pauci defendant, a longe pluribus oppugnentur, aut obsideantur; plurimos autem ex vallo aut muris propugnantes quem unquam vidisse a longe paucioribus oppugnari, vel obsideri? Praeterea non modo fabrorum magnam esse paucitatem, quorum esset ad oppugnationem necessaria opera, sed ne jumenta quidem suppetere tum ad tormenta, quibus multis et magnis opus esset, invehenda, tum ad commeatus comportandos necessaria: ad haec incidisse bellum in durissimum anni tempus, et nostris gentibus iniquissimum propter aestivos ferventissimosque calores in ea regione, ubi summa esset aquarum inopia: quae mala, ut hostibus natura et consuetudo leviora reddidisset, sic orbis nostri gentibus, frigoribus assuetis, eadem natura et insolentia perniciosa ac intolerabilia faceret, ut periculum esset, ne non tam armis nostri ab ingenti multitudine, quam quotidie augescere necesse esset, quam caloribus et siti debellarentur, quod ea memoria in eadem regione Hispanis non semel accidisset. Commemoratur etiam vetus Ludovici Gallorum Regis exemplum, qui dum Tunetem

oppugnare pararet, tamdiu difficultatibus est affectus, donec peste per exercitum grassante ipse dysenteria iisdem illis locis periisset. Nec vero metuendum esse, ne parum vel ad famam, vel ad bonum publicum Christianorum profectum esse videretur; expugnatam esse Goletam, quam plerique inexpugnabilem esse putassent, captam classem Charadini, quae gravissima causa, et paene sola fuisset ejus belli suscipiendi: censere igitur, ut operibus firmoque praesidio Goleta munita, reliquus exercitus conscensis navibus Argeliam, aut in alia loca cervicibus Christianorum magis imminentia, et quae minore negotio possent debellari, comportarentur.

VII. Contra haec pauci quidam Caroli tantique exercitus famam, qua bella constarent, magnopere minui contendebant, si omissa Tunetis, ubi Charadinus contineretur, oppugnatione discesisset, timoris id factum, non prudentis esse consilii plerisque omnibus interpretaturis; quae hominum opinio in tanta Christianorum omnium exspectatione posset non modo in Africa, sed etiam in Europa rebus Caroli non mediocriter officere; fabrorum vicem, ut ad Goletam, sic ad Tunetem milites pro ipsorum virtute ad diligentia subituros, et cibum sibi quemque in dies aliquot comportaturos; tormenta partim ab eisdem trahi posse, partim a nautis, et remigibus; aestus ac sitis difficultates consilio provideri posse, ut tolerabiles efficerentur, importata uterculis aqua, ligneisque laguncilis, quae militibus singulis essent attributae: porro convenientium hostium multitudinem non esse valde metuendam, nam collectitii ac tyronis exercitus, qualis esset ille, maximas copias, saepe for-

fortium ac legitimorum militum longe minori numero cessisse: virtutem oportere, magis quam multitudinem spectare; nec vero quos virtus desereret, eis moenia multum esse profutura, cum praesertim constaret oppidum non admodum esse nec operibus, nec natura loci munitum.

VIII. Tali disputatione habita, cum ab aliis resisteretur negantibus hostem in parvis praeliis vel pedestribus, vel equestribus ea virtutis praebuisse documenta, ut tantopere contemnendus videretur; Carolus omnibus consiliis antevertendum ratus, ut Tunetem oppugnaret, plura hos dicere vetuit, nam sibi, quod expugnata Goleta sit, et exutus classe Charadinus, nihil factum videri, nisi fuerit Charadinus idem, Solymanusque Tunetis etiam imperio dejectus; se vero, qui nec eas difficultates spernendas, nec Charadinum cum tantis copiis contemnendum putaret, ut nec rursus valde metuendum, non tam hostium ignaviae, quam suorum virtuti fidere, sed omnium maxime in favore Christi Dei spem victoriae collocasse, quem eo bello, quod esset contra impios susceptum, sibi ac pio populo non crederet esse defuturum; his dictis, concilium dimittit.

IX. Rebus, quae ad Tunetis oppugnationem pertinerent, constitutis, Carolus Andrea Doria classis curam habere et Goletam cum praesidio attributo tueri jusso, ipse sexto die, quam haec fuerat expugnata, agmen ad Tunetem versus inducit, servatis ordinibus instructisque in hunc maxime modum. In prima acie, in qua Vasti Marchio curabat, praecedente armaturae levioris equi-

equitatu, Hispanorum veteranae cohortes cornu dextrum obtinebant, sinistram Italica manus, cui praeerat Fernandus Sanseverinus Salerni Princeps; post utrosque in media Germani bipartiti procedebant: tum equitum cataphractorum major pars, et in his proceres fere omnes, ducibus exceptis cum vexillo Imperatorio inter Italos et Germanos ibant, qua parte tormenta quoque invehebantur. Post Italos circa paludem Rex Hazenus cum sexaginta circiter Afris equitibus pergebat. Extremam aciem, cui praeerat Dux Albanus, Hispanorum nuper conscriptae copiae cum ducentis equitibus claudebant. Ceterum peditatus hunc ordinem in acie tota servabat, ut extimi essent jaculatores, scilicet, ut quacumque parte hostes ingruerent, eodem modo ab his primum exciperentur. Impedimenta, quae servi magna ex parte bajulique ob magnam jumentorum inopiam portabant, agmine medio et palude claudebantur, ut essent ab hostibus penitus aversa; tormenta sex ejus generis, quod *Cagnones* dicunt, circa Germanos nautae servitiaque remigio deducta vehiculis, ut solent, imposita trahebant; ipsi Germani ex vocatis dimidiis *Colubrinis* duo, totidemque Hispani proxime conscripti. Hoc ordine servato, quadratum agmen, cupiens ad locum castris destinatum, ubi putei erant commodioris aquae, pervenire, procedebat. Tantus enim erat aestus ardente sole, cum dies paululum processisset, ut itineris accedente labore, milites sudore ac siti conficerentur, quidam etiam exspirarent. Nam etsi plerique laguncluas, et uterculos singulis attributos, aqua seu vino diluto proficiscentes repleverant, tamen potio vehementer calefacta sitim

et-

etiam et aestum augere videbatur.

X. Charadinus, ubi de nostrorum adventu cognovit, fretus suarum copiarum magnitudine non sibi cunctandum ratus, quin rei summam in discrimen deduceret, et aequato loco dimicaret, ipse quoque suos ex urbe deduxit, et puteos, ad quos Carolus castrametari constituerat, qui absunt ab urbe quatuor millia passuum, post tergum reliquens, constitit patente loco, et sic copias instruxit, ut primam aciem Turcae tenerent numero ad octo millia, scloppetis fere et arcubus armati, reliquo peditatu latius post eos explicato; equitatus vero, qui ex mille Turcis, et Nomadum quatuordecim millibus constabat, extra ordinem per oliveta vagaretur. Hi postquam exercitus in mutuum conspectum venerunt, per oliveta, quae patent latissime, discurrentes totum agmen nostrum praeterquam a palude circumfusi obequitabant; Charadinus ipse equa insidens in acie prima versabatur, accedentesque nostros provectis decem tormentis lacessere coepit, ac dimicandi potestatem facit.

XI. Hoc animadverso Carolus, qui agmen praecedebat, exsultavit laetitia, ut nihil minus sperabat, quam posse Charadinum ad parem pugnandi conditionem deduci, quem utiliore consilio muris contentum putabat urbem defensurum, et eruptionibus dumtaxat nostros vexaturum. Itaque, conversus ad suos, et laetitiam ac spem maximam victoriae motu et concussione brachii significans: „Estote, *inquit*, bono animo milites; ho-
„stem praeter spem nacti sumus aequo loco; scio vos
„tumultuaria ac bello insueta multitudine non deterreri;
„si

„ si, qua virtute aliis in praeliis usi estis, hanc hodie „ praestiteritis, vicimus." Ad hunc maxime modum primam aciem cohortatus, ad mediam regreditur, et Germanis progredi jussis tormenta inter Hispanos Italosque in fronte collocat, ipse cum equitatu, qui vexillum sequebatur, in sinistrum cornu procedit; et cum jam intra teli jactum ventum esset, tormentis certamen inire jubet; deinde jaculantibus eminus scloppetariis paulatim ad manus conserendas procedere; constitere parumper acies, dum tormentis utrinque tela emitterentur, tum vero progredi utrinque coeptum ad rem cominus gerendam.

XII. Carolus dum, quae necessaria viderentur, imperandi gratia agmen obequitaret, equo prolabente concidit: ceterum ipse se protinus erexit illaesus, antequam Ludovicus Avila perveniret, qui, ut fere ipsum assectabatur, celeriter equo desiliens, ut laboranti ferret opem, accurrit. Mox igitur mutato et conscenso equo, ad reliquum praelium administrandum laetus, nec quidquam omine, ut superstitiosi solent, territus procedit. Ergo primo nostrorum jaculatorum impetu nonnullis hostium cadentibus, ceteri deterriti fugam capessunt, nostris ad duo circiter millia passuum insectantibus, nec tamen propter laboris calorisque ferventissimi lassitudinem consecutis, praeter paucos expeditos equites, qui agmen in itinere praecedebant; ii enim fugientes hostes, quatuor aut quinque suorum jactura multos pro sua paucitate conciderunt. Ceterae copiae insistere jussae ad locum puteorum, ubi stativa Carolus habere constituerat, cum jam advesperasceret, reducuntur; tormen-

mentorum enim gravitas, cum inopia jumentorum ab hominibus per loca arenosa traherentur, obstitit, quominus posset ante horam diei nonam in locum pugnae perveniri.

XIII. Charadinus tormentis aliquot amissis, et suorum circiter sexcentis desideratis, quos potuit, ex fuga colligit (Nomades enim et quidam alii regionis interiora petiverunt) et in urbem sese recipit; dispositisque per muros defensoribus, ac ceteris, quae usui forent, diligenter administratis, in arcem, ut solebat, in sequente nocte secedit. Hic postquam multa secum agitaverat, tum oppidanis, tum etiam auxiliis diffidere coepit, quippe omnes duobus adversis praeliis hesterno, et quo Goleta fuerat expugnata, prostratos animis esse videbat, ad omnesque casus consilio sibi providendum statuit. Quamquam igitur urbem, nisi rebus desperatis, deserendam non putabat, metuens tamen, ne vel oppidani, quorum fidem suspectam habebat, de se prodendo consilium inirent, vel alia quacumque ratione oppido cedere cogeretur, argentum et aurum, et quidquid erat pretiosae supellectilis, jumentis Hipponem versus deportari jubet; itaque mulae camelique aliquot onusti ante lucem Hipponem mittuntur, dum ceterae sarcinae comparantur; nam multae supererant, quae paulo post captivis Christianis fuere praedae. Erant enim intra eamdem arcem ergastula capacissima Christianis captivis repleta, quippe sub appulsum Caroli servos omnes Christianos, quicumque erant in urbe, qui arma ferre possent, in arcis ergastula concludi jusserat, quo et ipse magnam servitiorum turbam remigio subductarum na-

vium deductam conjecerat, ne sibi ac civitati esset a domesticis etiam hostibus cavendum, neve qui per occasionem in castra Caroli transfugerent. Hos omnes, quoniam numerus erat plus octo millium, Charadinus tormentario pulvere injectoque igne, si fugiendum esset, comburere decreverat, ne prorsus inultus discessisse videretur.

XIV. His rebus compositis et constitutis, prima luce ex arce digreditur, ut oppidanos auxiliaque confirmaret, et ad propugnandum cohortaretur, quaeque usui forent, administraret. Turcae vero, quibus credita erat arcis custodia, animadvertentes supellectilem Charadini diligenter ex arce et urbe deportari, idque fugae consilium esse interpretantes, arcem deserere constituunt, ipsi quoque saluti suae consulturi, quorum magna parte ad Charadinum digressa, quidam ex transfugis ac Christianae religionis desertoribus (nam horum non pauci erant in familiarissimis Charadini) captivis saluti fuit, qui conscius consilii de illis occidendis, subeunte animum sceleris et impietatis poenitentia, ductusque misericordia et humanitate, ne tot innocentes Christiani momento temporis crudeli morte absumerentur, captivos de Charadini consilio et Turcarum discessu certiores facit, monetque, ne sibi desint in tanto periculo, sed egressi, quacumque ratione detur, arcem occupent, parumperque defendant, donec sibi a Carolo urbi jam appropinquante subveniatur. Illi vero in maximo discrimine praesentem salutis occasionem non omittendam rati, lignis et vectibus, quos forte nacti sunt, fores refringunt, et parietem infirmiore parte suffodiunt, seque ce-

le-

leriter ex ergastulis effundunt; et cum plerique sinistris catenas, quibus erant alligati, sustentarent, dextra tamen lignis et lapidibus, et quidquid casus subministrabat, pro telis utentes, paucos, qui nondum discesserant, Turcas invadunt, et his occisis aut fugatis arcem occupant, et portas occludunt.

XV. His motibus nuntiatis Charadinus aegerrime ferens Turcarum ex arce discessum eodem recurrit; sed portas occlusas et arcem a captivis teneri comperiens, amissa cum arce spe Tunetis defendendae, Turcis sequentibus, per partem urbis a nostris aversam egreditur, et fugam capessit. Captivi signis militaribus, quae hostes ex vallorum custodibus ad Goletam in iis, quas diximus, eruptionibus ablata reportaverant, explicandis et agitandis novitatem rei nostris significare non desistunt. Quod animadvertens Vasti Marchio a Carolo jam urbi admoto agmine cum Hispanorum manu ad vicum suburbanum occupandum missus captivis subsidio venit, et in arcem cum parte militum recipitur. Tunc Carolus Hazenum ad se vocat, et eorum civium nomina dare jubet, quorum in se fides et officium exstitisset, ut jam tunc provideretur, ne quid mali in direptione urbis aut ipsis, aut ipsorum bonis inferretur. Ad ea Rex nihil videlicet dissimulans nullos sibi in urbe amicos esse respondit; nam, siqui essent, eos ad se fuisse venturos, aut aliquo documento benevolentiam in ipsum declaraturos, quorum neutrum sibi quisquam civium praestitisset; ergo, quominus Carolus omnes oppidanos eodem haberet loco, se nihil vel impedire, vel deprecari.

XVI. Tunc militibus permissa praeda, signum invadendi datur, captaque urbs est nemine jam defendente; quippe Charadino digresso plerique, quibus vires ad fugam suppetebant, urbem deseruerunt, quin etiam infirmiorum non pauci sunt digressi, quorum multos in fuga properantes anima defecit, siti ac sudore miserabiliter efflata. Excedentes autem pecuniam, et ex iis rebus, quae cuique carissimae essent, quidquid properantes minimum moraretur, secum afferebant; et haec causa fuit, ut multum praeda minueretur, quae nulla fuit major, quam ex pretio captivorum, quippe omnes in urbe reperti citra sexus et aetatis discrimen capientium servi facti sunt, vicissimque Christiani captivi in libertatem vindicati; quorum ea fuit multitudo virorum et feminarum, ut viginti duo millia ex omnibus Europae nationibus ad internum mare pertingentibus complevisse confirmentur. Horum liberatione tantopere delectatus est Carolus, ut sibi videri confirmaret, vel ex hac una re satis se magnum fructum laborum et periculorum tulisse, qui suo sumtu omnes alendos, et in Italiam et Hispaniam, prout cujusque ferebat animus, reducendos pie ac perhumaniter curavit.

XVII. Erant in captivis Gallici generis circiter centum. Hos Carolus in unum locum coactos Francisci Gallorum Regis oratori (hic enim, ut alii multi Christianorum Principum, ac Civitatum Legati, Carolum ex Hispania fuerat secutus) tradi jubet, simulque denuntiari, ut ad Regem suum conscriberet postularetque verbis Caroli, ut quando ipse ex captivis Tunete repertis Gallos eodem loco ac Hispanos ceterosque suos ha-

habuisset, ne gravaretur ille Hispanos quosdam, quos Italici belli tempore a suis captos remigio mancipasset, tunc saltem liberare, quemadmodum inter ipsos foedere cautum fuisset ante aliquot annos. Quae postulata non frustra fuerunt; nam paulo post Rex a Legato ipsisque liberatis Gallis admonitus quadringentos Hispanos ex remigio abductos non solum libertate, sed singulis etiam sagis donavit. In hac direptione ex oppidanis pauci gladio conciderunt, et hi suo magna ex parte stulto consilio, qui muros rebus desperatis, ne conati quidem tueri suas domos, uxoresque et liberos, defendere quidam tentaverunt. Qua temeritate milites irritati in nonnullos sine discrimine initio parumper saevierunt, praesertim Germani, qui oppidis expugnatis solent indulgere magis hostili odio, quam studere praedae, cujus praedae Hispani, et Itali sunt paulo cupidiores, diligentiusque solent captivos hostes non solum humanitatis, sed etiam compendii gratia conservare; licet quidam eorum pessimi homines reperiantur, qui barbaram quamdam immanitatem captivis hostibus ad conditas opes extorquendas adhibeant.

XVIII. Octavo die post captam Tunetem Carolus tradita urbe Hazeno copias inde Radam deducit, quod oppidum a meridie abest a Goleta passuum millia circiter octo, praeterlabente flumine Catada, quod in mare a Goleta passuum ad tribus millibus exit. Huc postquam Afris omnibus data venia est, et per praeconem pronuntiatum, siquis in castra venire vellet, licere; multi eorum confluxerunt, partim suos redimendi, partim vestem mercesque direptas vili, ut a militibus distrahe-

hebantur, coëmendi gratia, qui olivae ramulos pro pacis insigni capite praeferebant.

XIX. Per id tempus Adamus Centurio, et cum eo Joannetinus Doria Hipponem Regium ad oppugnandas duodecim Charadini triremes, quae in praeterlabente flumine continebantur, proficisci jubetur; expugnata enim Goleta Carolus cum nondum ad Tunetis oppugnationem processisset, Andream Doriam, ut erat totius classis praefectus, jussit, ut praefectum aliquem cum firmiore classe mitteret, qui eas Charadini naves vel capere, vel incendere curaret. Ad haec ille respondit: milites nauticos oppugnationi Tunetis interesse cupientes a triremibus discessisse, quos esset perdificile a terra ante oppugnationem revocare, et satis posse hostiles triremes ne interim in altum exirent, a totidem, quas cum duce statim mittere vellet, prohiberi; et sic res dilata est, nec Adamus ante missus, quam Tunes expugnaretur.

XX. Adamus igitur, et Joannetinus cum quindecim parum milite instructis triremibus missus Hipponem navigavit, sed extra tormenti jactum in anchoris contra fluminis ostium diebus tribus constitit, donec Charadinus Tunete relicta fugiensque cum suis Hipponem pervenit; cujus adventu ex Christianis captivis, qui ad nostras naves confugerant, cognito Adamus Joannetinusque haud se suamque classem parem hostibus fore existimantes, missa trireme Andream Doriam certiorem faciunt supplementumque submitti postulant. Charadinus autem spectantibus nostris, nec tentantibus modo prohibere suas triremes deduxit, armamentis tormentisque munivit, et ceteris rebus necessariis, ut suis impositis

Ar-

Argeliam versus navigaret, instruxit; necdum eo cum navibus profecto in Goletam illi re infecta ac ne tentata quidem reverterunt. Tunc vero Andreas in triremes quadraginta veteranorum militum Hispani generis tribus millibus impositis, cum his Hipponem profectus, postridie, quam Charadinus discessisset, pervenit, offenditque oppidum mortalium inane; nam omnes oppidani a Christianis metuentes oppido relicto diffugerant, seque in silvas atque montes abdiderant. Itaque nonnullis inde tormentis et cibariis, quae reperit, ablatis, in Goletam ipse quoque re infecta revertitur, Carolo ministrorum negligentiam periniquo animo ferente.

XXI. Interea Carolus cum copiis in Goletam et priora castra reversus Hazenum ad se, ut de conditionibus foederis inter ipsos faciendi transigeretur, acciri jubet; cui ad imperatum venienti et castris appropinquanti Carolus equo insidens paululum obviam progressus ad pedes descendere volentem prohibuit. Ille accedens more suae gentis dexteram suam exosculatus demisso capite supplex Carolum salutavit, et Carolus vicissim caput aperuit, ipsumque in sinistrum latus accepit, et sic per interpretem colloquendo in praetorium deduxit. Huc ingressurus Hazenus pedes calceis suo quoque more nudavit, nec multis verbis ultro citroque habitis magna concordia de foedere et conditionibus transegere; quod in hanc maxime sententiam scriptum est.

XXII. „Hazeno Regi ejusque successoribus cum „Carolo, et qui post eum in Hispania regnabunt, foe„dus et amicitia his legibus et conditionibus esto. Ca„ptivos omnes Christianos in sui Regni finibus servien-

„tes

„tes Hazenus liberato, et domum incolumes redire per-
„mittito, nec a suis capi, aut in servitutem abstrahi
„Christianorum quemquam ex his, qui sub imperio
„Caroli erunt aut fratris Fernandi Regis Romanorum,
„sinito. Idem Carolus et Fernandus Hazeno, et iis, qui
„sub ditione illius erunt, praestent. Christianos, qui-
„cumque intra fines ejus Regni fuerint, benigne Haze-
„nus, et aequo jure, ac ceteros sibi subjectos morta-
„les habeto, et Christianae religioni in suis veteribus
„templis publice palamque servire, ac nova etiam tem-
„pla aedificare sinito. Christianos novitios a secta Ma-
„humetana conversos, qui ex Caroli Regnis transfuge-
„rint, ne recipito. Arx Goleta, et quod agri undique
„circa ad passuum duo mille patet, quo turris ad pu-
„teos aquae dulcis, ac ipsi putei continentur, Caroli
„ditionis sit; nec tamen usu aquae Cathaginenses fini-
„timi prohibeantur. Tributa, et portoria ex mercibus
„Goletam importandis, et in foro ipsius vendendis ac
„emendis in Regis vectigal cedant; ad alendum Go-
„letae praesidium duodena nummorum aureorum millia
„in annos singulos Rex binis aequis pensionibus dato
„ad diem pridie Kalendarum Februariarum, et octa-
„vum Kalendas Augusti, qui dies festus agitur Divo
„Jacobo, qui praesidet Hispaniae; in quo si Rex ne-
„gligens fuerit, tantumdem sumendi ex vectigali mer-
„cium Goletae praefecto jus esto. Eodem die festo pro-
„bos equos Numidicos senos, et accipitres duodenos,
„*Falcones* vulgo dictos, Rex in auctoramentum cliente-
„lae Carolo, proque ipso Goletae praefecto dato. Prae-
„dones cujusque gentis Hazenus ne recipito; neu hos,

„alios-

„aliosve Caroli hostes commeatu, neve qua ope alia „juvato; neque per suos fines transire sinito. Cum „nullo Principe aut civitate foedus in Caroli detri„mentum, ipsove inconsulto aut nolente facito. Ca„rolus itidem in Regis malum cum nomine amicitiam „societatemve coëat. Christianis militibus Goletae cu„stodibus Tunetem pedibus et naviculis commeare liceat, „et quae usui fuerint, emere communi pretio, nec „praestationi vectigalium subjiciantur, habeantque in „omnibus contractibus immunitatem, nisi siquis mer„caturam exercuerit; nam is immunitatem publici ve„ctigalis solvendi usurpare nullam possit. Ad minuen„das Tunete Christianorum mercatorum controversias, „et lites aestimandas, judex esto summa potestate, „quem Carolus huic muneri praefecerit; nec alius quis„quam possit ipsorum causas dijudicare. Corallium ex „Africo mari, ejusque vectigal Caroli esto. Siqua op„pida in Africae maritima ora occupata a Charadino „Carolus bello receperit, ipsius ditionis sunto. Aphro„disium quacumque ratione in Caroli, seu Hazeni po„testatem venerit redieritve, Carolo subjaceto. Hujus „foederis semel ab Hazeno neglecti, maxime qua par„te stipendium attingit, mulcta esto quinquaginta mil„lium nummorum aureorum; iterum violati poena du„pli; tertio si negligatur a Rege, jus esto Carolo Re„gnum illius invadendi.“

JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS GESTIS

CAROLI QUINTI

IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER QUARTUS DECIMUS.

I. AFRICO bello confecto, cum nulla esset inter Christianos nec belli causa nec suspicio, quam quidem aliqua militum coacta manus afferret, Carolus, ceteris omnibus copiis impositis, eas domum redire jubet, ipse cum sola Hispanorum veterana manu, quam sibi praetoriam cohortem esse voluit, in Siciliam Italiamque navigare constituit, ut eam insulam Neapolitanumque Regnum inviseret, et quae ad illarum gentium, quas adire per graviores occupationes ante nequiverat, optimam administrationem pertinere praesens cognovisset, constitueret; sed eo maxime consilio, ut Paulum Pontificem Maximum, cum quo idem saepe per legatos et litteras egerat, cunctantem fortassis ac dubitantem sua praesentia auctoritateque impelleret, uti Concilium Sacerdotum indiceret, ex universoque orbe Christiano convocaret, cupiens pro singulari sua pietate ad multiplicem Lutheranorum haeresim exstirpandam, et rebus Ecclesiasticis multifariam exulceratis medendum id remedium adhibere, quo prudenter utiliterque veteres Sanctos Patres, ad haereticorum detegendas fraudes, et

er-

errores convincendos, usos fuisse constaret.

II. Ex Africa igitur Goletaque solvens Carolus tertio die in Siciliam appulit, tempestate prohibitus, ne Aphrodisium urbem navigaret: hanc enim ex itinere cum praetoria cohorte, nauticisque militibus tentare decreverat, cumque magna omnium gratulatione a Siculis exceptus, rebus ipsorum cupiditate ac injustitia nonnullorum praefectorum afflictis diligenter prospexit, quibusdam gravi judicio damnatis, et Prorege viro singulari virtute atque justitia Fernando Gonzaga constituto. Ex Sicilia digresso, ut Neapolim atque inde Romam procederet, de obitu Francisci Sfortiae Mediolanensium Ducis nuntiatur. Huic Carolus in foedere, quod Bononiae cum Principibus Populisque Italiae fecerat, Mediolani Principatum ex lege volenti et adstipulanti permiserat, ut si Franciscus idem absque liberis decessisset, Mediolanum in jus Caroli potestatemque rediret; cui legi cum orbitas Ducis locum fecisset, Franciscus Rex Gallorum, partim suspectas habens in dies augescentes opes Caroli, partim caecus Mediolani cupiditate, quae multas ipsi et magnas calamitates invexerat saepe fortuna belli ob eam rem infeliciter tentata, nihil inexpertum relinquere statuit, siqua ratione posset aditum sibi ad Mediolanensem Ducatum aperire. Itaque simul precibus agere, et pecuniarum vim magnam offerre, simul periculum armis ostentare Carolo instituit, qui sine exercitu in Italiam trajecerat.

III. Conquisitoribus igitur quoquoversus dimissis, Vasconum, Italorum, Germanorumque copiae celeriter convenerunt, quibus delectos e suis Gallis milites, quos

legionarios voluit appellari, et equitatum adjunxit; ita confectus est exercitus millium circiter triginta. His copiis *Almiralium* suum, sic enim Gallico nomine dicitur, quem nostri *Almirantum* vocant, praeposuit, et cum eis in Allobroges et ejus regionis, quam nunc Sabaudiam dicunt, fines per speciem jus, quod in Sabaudiam sese habere praedicabat, persequendi properare jubet, et Carolum quidem Sabaudiae Ducem insectari bello; sed ab Insubribus, et quaecumque civitas Carolo Caesari pareret, diligenter abstinere; hoc videlicet consilio, ne palam Carolum Caesarem bello contra foedera lacessere videretur, neve quem precibus et muneribus aggredi cogitabat, ejus animum aperta contumelia incenderet.

IV. His rebus cognitis Carolus Caesar vehementer est pro rei magnitudine commotus; non quod suis rebus magnopere metuendum putaret ab eo, quem tam saepe devicisset, sed quoniam Gallico bello impendente, magno cum dolore prospiciebat impediri posse consilia sua piosque conatus non solum de Concilio convocando, sed etiam de bello Saracenis inferendo. Quippe ineunte vere, classe comparata, exercitum in Mauritaniam trajicere constituerat ad oppugnandum Argeliam, Charadini sedem, praedonumque perfugium et receptaculum; deinde ad reliquam Povinciam et omnem Africae maritimam oram debellandam, ut Christianum orbem a repentinis navalibus incursionibus piraticisque redderet tutiorem, exagitante ejus animum miserandae calamitatis recordatione, quam Magonensibus Charadinus paucis illis diebus invexerat: Charadinus enim cum ad Tunentem fuso exercitu superatus Hipponem Regium,

gium, ut demonstratum est, fugiens pedibus venisset, inde Argeliam cum duodecim triremibus navigavit; nactusque praeterea quatuordecim longas naves, quibus filius Argeliam eamque oram asservabat, in has non modo pecuniam, sed etiam supellectilem atque vestem imposuit, quo longius esset a periculo, si bellum Carolus, ut exspectabatur, in eam regionem transtulisset; ac cum Turcis militibus, qui eum assectabantur, Byzantium proficisci hoc animo parat, ut occasionem arripere, siqua rei benegerendae in itinere sese ostendisset; primumque cursum in Baleares minores direxit, Magonisque portum post solis occasum, luce dubia, nec opinantibus oppidanis ingreditur, dispositis per naves signis militaribus in hoc ipsum comparatis, ut falsa specie vexilla Imperatoria mentirentur; sed a Monachis Franciscanis ex suburbano coenobio, qui forte cymba ad portum gestabantur, qui mortales essent, primum, deinde qua navi Carolus veheretur, rogati, ipsa oratione sonoque vocis dolum prodiderunt.

V. Monachis igitur in oppidum confugientibus, et periculum nuntiantibus portae occlusae, et ad arma concursum. Charadinus militum duobus circiter millibus et quingentis tormentisque expositis oppidum magna vi oppugnare aggreditur et muri partem demolitur; ad quam oppidani facto concursu acriter, ut in extremo discrimine, propugnabant. Hoc *Cibdadellam* majus oppidum nuntiato, Oliverius praefectus inde cum trecentis circiter armatis hominibus, et paucis equitibus subsidio Magonensibus venit, in hostiumque conspectu loco edito et natura munito substitit, cui primoribus adhibitis de

de ratione, qua Magonenses de suo adventu certiores faceret, et cum eis consilia communicaret, anxie deliberanti homo quidam impiger et animosus, qui capite damnatus fuga se poenae subtraxerat, suam operam detulit, ac impunitate veniaque proposita negotium eundi et redeundi suscepit. Is per partem ab hostibus aversam sese mari committens in oppidum adnatavit, per quem eadem via redeuntem oppidani Oliverio pro maximo beneficio immortales gratias agunt; quam in angusto res sit, docent; partem muri ab hostibus stratam esse, nec posse tantae multitudini tam paucos, nisi mature subveniatur, obsistere; orare et per Deum immortalem obtestari, ut coeptum beneficium absolvat, factaque in hostes impressione in oppidum irrumpere conetur; aliter impetum hostium diutius a se sustineri non posse.

VI. Oliverius officio et humanitate ductus, ne se inspectante et quiescente, expugnato oppido suae fidei commisso, et bello melioribus concissis, reliquus pius populus miserabiliter ab impiis in servitutem abstraheretur, statuit vel cum suo auxiliarisque manus maximo periculo fortunam belli tentare. Hortatur igitur suos, ne in extremo periculo vicinis, et amicis, denique religione quasi fratribus deessent, seque ducem ad opem miserabiliter laborantibus ferendam sequerentur; viam esse per medios hostes non sine periculo aperiendam; sed fortibus viris, et piam causam foventibus nihil esse difficile, qui re expedita, laudem immortalem et gratiam ab hominibus essent inituri, sin autem secus accidisset, ipsam quoque mortem gloriosam fore, et gradum

dum ad vitam alteram longe optabiliorem cum beatis aevo sempiterno degendam. Ac talibus quidem verbis suos hortatus Oliverius in hostes procurrit, omnesque magnis animis, magnoque impetu in medias hostiles copias pugnantes penetrarunt: sed undique facto concursu pauci a multis circumventi, omnes fere vel caesi sunt, vel in hostium potestatem vivi pervenerunt.

VII. Hac spe oppidani dejecti, tamen in quartum diem vim hostilem sustinuerunt. Ubi quintus illuxit, misso caduceatore Charadinus incolumitatem statim deditis pollicetur; si moram interpossuerint, jam eosdem vim iratorum militum, quos adhuc aegre ab invasione et caede continuerit, experturos denuntiat. Erat forte in oppido Avila homo militaris ex continente Hispania, cujus consilio atque etiam ductu Magonenses obsidionis initio propter singularem virtutis ac rei militaris opinionem libenter utebantur, tunc autem aegrotabat igne ambustus, quem cadus tormentarii pulveris, dum ipse inter tormenta versaretur, conceperat. Hic audita Charadini denuntiatione bono fortique animo esse ac perstare ex lecto jubet oppidanos, quippe id magnum esse indicium discessionem moliri ac urgere Charadinum, Imperatoriam classem metuentem, cui hac iter esset ex Tunete in Hispaniam redeunti. At illi magno timore correpti et desperata defensione oppidi, si hostes summa ope per interrupta muri niterentur, quinque popularium, qui opibus et auctoritate pollebant, unoque Sacerdote auctoribus et internuntiis, qui ceteris incolumitatem, sibi vero suisque etiam libertatem cum bonis pepigere, sese et oppidum in hostium potestatem permi-

miserunt. Ita oppidum direptum, mortalesque omnes numero ad mille ducenti in servitutem abstracti, et in naves impositi, praeter sex illos miserandae, et calamitosae deditionis impios et nefarios interpretes, quibus ipsis hostes, praeter miseram et infamem animam, nihil, quod auferre possent, reliqui fecere, non uxoribus, non liberis, non suppellectili pepercerunt, solam vitam, quae paulo post damnatis cum supplicio et ignominia erepta est, relinquentes.

VIII. Hoc igitur dolore stimulante Carolus, et tollere cupiens omnes hujusmodi malorum occasiones, bellum Africum primo quoque tempore renovare cogitabat, et jam huic rei officioque praefecerat, qui commeatus et reliqua, quae usui bello navigationibusque sunt, in Sicilia potissimum atque Baetica per hyemem compararent, ut cum primum per anni tempus navigare exercitumque trajicere liceret, nihil esset, quod profectionem moraretur. Talibus igitur tantisque malis primo quoque tempore Carolus obviam ire cum statuisset, suum pium institutum injustis Regis Gallorum motibus impediri molestissime ferebat, cujus copiae cum Alpibus jam appropinquare nuntiarentur, ad eas reprimendas, ne post Allobroges, et Taurinos, Insubres, Mediolanensesque fines invaderent, in Belgium Germaniamque scribit, ut dimissis conquisitoribus, auxilia celeriter in Cisalpinam Galliam Antonio Leivae mitterentur. Huic enim summa belli administrandi permissa erat communi Foederatorum nomine et voluntate, qui amicitiam Bononiae societatemque cum Carolo coïerant, ad Italiam tutandam communibus armis, et inju-

ju-

jurias, siquis publicam ejus pacem perturbaret, repellendas.

IX. Rex autem Gallus post exercitus in Allobroges profectionem missa legatione sic egit cum Carolo Caesare: „Existimare sese Caroli in Italiam adventum non „casu quodam, sed Dei singulari providentia tam op„portune in id tempus incidisse, cum ille posset citra „suarum rerum jacturam perpetuae Christianorum paci „et Italiae tranquillitati prospicere. Quando igitur for„tuna, sive Deus potius ita tulisset, ut Franciscus „Sfortia sine liberis defunctus jus liberamque facultatem „Carolo tribuendi, cui vellet, Mediolani Principatum „reliquisset; ab eo petere et pro vetere amicitia et af„finitatis necessitudine orare, ut Henricum filium Du„cem Mediolani faceret; quem Principatum sibi aequis „conditionibus aliquando petenti non aliam negandi „causam Carolus attulisset, quam quod facta Francisco „Sfortiae promissione impediretur; adderet igitur hoc „firmissimum vinculum amicitiae sempiternae, qua so„la ratione videret pacem Regni sui et filiorum con„cordiam sanciri posse. Nam quod ingenium Henrici „filii ambitiosum et audax perspexisset, vereri sese, „ne cum ipse migrasset a vita, hic humilitatem fortu„nae vitamque privatam pertaesus novis rebus atque im„periis studeret, et in Franciscum maximum natu fra„trem, cujus esset Regni jus hereditarium, mitioris in„genii adolescentem, aliquid moveret, quod in mu„tuam ipsorum perniciem et Regni maximum malum „recideret. Qua solicitudine et periculo si se Galliam„que Carolus sua liberalitate ac humanitate liberasset,

„memoriam tanti beneficii apud se et liberos fore sem-
„piternam; nec id ab ipso, sine magno emolumento ut
„faciat, postulare, sed accepta magna pecunia ad sti-
„pendia militaria, ut commodius bellum gerere posset,
„quo Carolus diceretur persequi Saracenos cogitare.“

X. Ad haec Regis postulata Carolus in hunc maxime modum respondit: „Cupere quidem sese Regi pro
„mutua amicitia et necessitudine morem gerere, et
„ipsius Regni atque liberorum tranquillitati et concor-
„diae prospicere, ita tamen ut commodo id fiat Rei-
„publicae Christianae, nec abhorreat a publica pace et
„quiete, cujus rationem primum omnium sibi haben-
„dam statuisset; ac proinde se vicissim a Rege postu-
„lare, precarique, ut de pace confirmanda tractaturus
„ab armis ante discedat, neve causis excogitatis velit
„Carolum Sabaudiae Ducem bello vexare, et simul pu-
„blicam Italiae pacem praeter foedera inter ipsos inita
„et saepe renovata solicitare. Haec si Rex fecisset, per-
„petuam sibi gratiam cum ipso fore, seque vicissim
„tum amicitiae et necessitudini, tum publicae quieti
„hoc esse daturum, ut Carolum, qui ex tribus ipsius
„Regis filiis natu minimus esset, Mediolani Principatui
„praeficeret eis conditionibus, quae multum haberent
„aequitatis, et tollerent omnes rerum novarum occa-
„siones, et majoribus vinculis per novae affinitatis ne-
„cessitudinem mutuam amicitiam constringerent. Nam
„Henrico non se putare Mediolanum recte committi pos-
„se; primum, ne si Francisco stirpis maximo quidquam
„humanitus accidisset, Henrico succedente Mediola-
„num accessio Regiae ditioni fieret; quae res cunctis Italiae
„Prin-

„ Principibus, ac liberis Civitatibus, quibus ipse con-
„ sultum in primis vellet, ingrata futura esset ac pe-
„ riculosa. Deinde cum tale nihil accidisset, tamen ve-
„ rendum esse, ne opibus ille Mediolanensibus auctus
„ propinquitatem loci et matrimonium Catherinae, quam
„ ex Medicum familia in Clementis Pontificis Maximi
„ gratiam patris voluntate duxisset, suam occasionem
„ putaret ad Florentiam aut Urbinum armis per speciem
„ juris hereditarii repetendum. Nam quid aliud exspe-
„ ctandum esse, cum Galli novam nuptam titulo Du-
„ catus Urbini palam salutassent? Sin autem Rex earum
„ conditionum aequitate neglecta bellum Christianae Rei-
„ publicae id temporis, si unquam alias, perniciosum
„ salutiferae paci praeferendum putaret, se Carolo Duci
„ Sabaudiae non esse defuturum, cujus dignitas et for-
„ tunae sibi essent jure non modo foederis et clientelae,
„ sed etiam amicitiae ac necessitudinis carae; nec ejus
„ injurias et damna neglecturum, ut simul publicae
„ Christianorum quieti, cui cunctis opibus atque ratio-
„ nibus consultum vellet, etiam in posterum prospi-
„ ciatur. “

XI. Cum haec Carolus responsa dabat, jam Regis copiae Sabaudiam ingressae magnam ejus partem occupaverant, parum, ac potius nihil Duce Carolo repugnante, qui nec se, praesertim imparatum, armis parem Regi fore existimabat, et magis Caroli Caesaris amicitia et patrocinio, quam suis opibus fidebat. Cum Neapolim Carolus Caesar pervenisset, Pauli Pontificis Maximi, Venetorumque, et ceterarum Italiae liberarum Civitatum Legati tum gratulandi de Punica victoria

officiique gratia convenerunt, tum ut cum eo de re communi agerent, in primisque ab eodem peterent, ut de Principatu Mediolanensi hoc statueret, quo publicae tranquillitati Italiae, ac perpetuae paci consuleretur: nulli videlicet eorum placebat, ut Carolus sibi Mediolanum retineret, dum metuunt omnes, ne tantis ille opibus auctus, in Italia quidquam in se suamque libertatem moliretur. Carolus Legatis liberaliter pollicitus, Romam, quo paulo post venturus esset, cuncta negotia publica rejiciebat.

XII. Constitutis rebus Neapolitanis, Carolus cum equitibus cataphractis quingentis, quos eductos ex hybernis Fernando Toleto Duci Albano ducendos attribuit, et Hispanorum, de qua demonstratum est ante, veterana manu Romam progreditur. Venienti Paulus Pontifex Maximus tres Cardinales Legatos obviam officii gratia mittit, jussos ad extremos fines Ecclesiasticos more majorum procedere. Ab iis Carolus in coenobium ad Pauli fanum, quod est in Ostiensi via, deducitur, ut postero die rebus comparatis in Urbem cum majore pompa reciperetur. Postridie Cardinalium Collegio, et reliquo Clero Senatuque Romano ad fanum Pauli obviam progressis, in Urbem per portam Capenam ingreditur, equitatu et magna parte militum procedente (pars enim subsequebatur) et nova via deducitur, ad quam superioribus diebus honoris ejus causa aperiendam et dirigendam multa aedificia diruta fuerant, vineaeque vastatae. Tum per Constantini arcum, qui est ad Amphitheatrum, et Arcum Titi, et eum, qui Severo Pertinaci ad radices Montis Capitolini dicatus est, qua olim

erat

erat Via Sacra, contendit. Deinde Pontificias aedes, *Sancti Marci* cognominatas, praetergreditur, quas ad Montem Quirinalem Paulus Secundus Pontifex Maximus aedificaverat. Hic arcus Carolo ipsi dicatus, ligneus quidem, sed diu duratura firmitate erectus erat, multis fictis pictisque imaginibus exornantibus. Hinc per Florae campum et pontem, quo Tiberis ad Mausolaeum Adriani arcemque committitur, in Vaticanum montem et Petri fanum pervenit, ante cujus fani extimam portam Paulus majestate Pontificia in suggesto regaliter strato Pontificalibus vestibus indutus sedebat, et triplo diademate, quod *Regnum* consuetudo Romana vocat, aurum multis cujusque generis pretiosissimis lapillis distinguentibus coronatus ipsum opperiebatur. Accedentem porro ac venerabundum hilari quidem vultu, sed Pontificia cum gravitate recepit; cumque in templum ambo pariter progressi Deum adorassent, Pontifex in suum conclave discessit, Carolus ad alteram palatii partem divertit.

XIII. Hic cum singulis fere diebus, utentes loci opportunitate, de rebus summis colloquerentur; Pontifex lenire animum Caroli, et in Galli Regis gratiam pacemque traducere conabatur; sed Carolus nec precibus ejus nec cohortationibus locum relinquebat, confirmans sibi nihil magis esse cordi, quam pacem; et facile sibi posse cum Rege de compositione convenire, si modo ille ab armis discedere animum induceret, et iis pacis conditionibus esset contentus, quibus uterque in officio contineretur, nec eas mallet, quae semina essent graviorum discordiarum. Carolusque vicissim a Pontifice postulavit, enixeque oravit, ut commune Sacerdotum

Con-

Concilium tam necessario tempore, tamque longe et late in dies Lutheranorum haereticorum quasi peste serpente, indicere et primo quoque tempore convocare ne gravaretur. Qua de re Pontifice ad Senatum Cardinalium referente, nemo omnium fuit, quin rei honestate victus Caroli pium animum laudibus efferret, et postulata aequissima esse confirmaret. Sed non defuere, qui vel studentes rebus Gallicis, vel suis metuentes, difficultates proponerent, quae nisi fuissent sublatae, Concilium convocari non posse videretur: oportere prius Principum Christianorum sedatis discordiis pacem constitui, et tunc de cogendo Concilio deliberare.

XIV. Accidit enim praeter multorum opinionem, ut Carolus eo tempore Concilii mentionem faceret, quem plerique omnes existimaverant cura et solicitudine belli gravioris implicatum nihil minus, quam de Concilio cogitaturum, quod cum pacis proprium esse videretur, tamen multos annos quietis tranquillisque rebus neglectum fuisset. Quarum difficultatum consideratio varie Sacerdotum animos exagitabat; nam bonis omnibus et religiosis tam necessarium remedium Ecclesiae ac Religionis, improborum hominum atque haereticorum scelere et impietate laborantis, Principum dissensionibus impediri permolestum erat, et auctores tam importuni belli gravi judicio condemnabant; haereticorum autem magistris, et parum piis hominibus contra gratissimum, quippe quibus Christianorum dissidia, velut induciae suorum flagitiorum et patrocinia videbantur; sed neque iis erat ingrata temporum perturbatio morumque licentia, qui magnos honores Ecclesiasticos fuerant non

do-

doctrina et morum probitate, sed malis artibus pretioque adepti.

XV. Harum rerum non ignarus Carolus, cui erat insitum Religionis morumque causam cunctis rationibus esse praeferendam, rem acrius urgebat, nec desistebat tum per se, tum per Franciscum Covum, et Nicolaum Granvelam suos consiliarios et administros, quibus summam rerum omnium fidem habebat, Pontificem et Cardinales cohortari, ut ipsi suum officium Ecclesiae difficillimis ejus temporibus praestarent, nequis forte privatas suas rationes a bono publico abhorrentes in simulationem difficultatum videretur conferre, quominus Concilium tam necessario tempore indiceretur; nam sibi curae fore, ut ad diem constitutum omnes difficultates essent sublatae. Itaque omnibus partim honestate rei, partim auctoritate monitisque praesentis Caroli ductis placuit tandem Concilium in festum diem Pentecostem anni consequentis post mensem ab eo tempore tertium decimum indici. Locus autem huic rei peropportunus visus est Mantua cum propter regionis ubertatem, tum quod ea urbs medium fere locorum, unde conveniendum erat, tenet, et ab omni violentia tutissima fore videbatur.

XVI. Tredecim omnino dies Carolus Romae commoratus est, quibus cum ejus adventus in extremam quadragesimam incidisset, non desistebat pro singulari sua pietate religiosissima quaeque delubra adire, et Sanctorum reliquias venerari, tum antiquae Urbis vestigia ruinasque visere, animo cuncta atque oculis collustrando, idque nullo armato milite stipatus praeter admodum pau-

cos

cos praetorianos ex iis, quos in Hispania circum se habere custodiae causa consueverat: qua securitate magnitudineque animi mirum est quantopere se Romanis ac ceteris Italis commendaret, illud in primis demirantibus, quod cum arx imposita Adriani ponti firmo praesidio Pontificis teneretur, quae res alios suspicione ac timore injecto a transitu pontis penitus deterruisset, ipse tamen non desistebat singulis fere diebus per eumdem pontem commeare. Septem vero celeberrima templa, quae venerandi gratia jejuniorum temporibus adire solemne est, cum eorum aliquot extra Urbem ejusque frequentiam sita sint, tamen sine ulla militum custodia paucis Principibus comitantibus obivit.

XVII. Exspectabatur interea Legatus a Rege Gallo cum novis liberisque mandatis, et cum quo de compositione transigeretur. Hic tamen non modo nullus affuit, sed contra hostilis animi multa et clara indicia quotidie a Rege perferebantur, qui per suos administros quosdam Principes, ac populos Italiae in societatem belli solicitare nuntiabatur, et in primis Galeotum Picum Concordiae Comitem ex Caroli clientibus in suam fidem recepisse, qui Francisco Pico patruo suo singulari doctrina, religione, ac virtute viro, per scelus insidiasque sublato, Mirandulam occupaverat, jamque eidem Galeoto pecuniam submisisse, qua milite conducto se Mirandulamque adversus Carolum, a quo sui sceleris poenam metuebat, tueretur, ut per eam speciem Rex castelli locique opportunitate ad militem Italicum conducendum et incursionibus eum tractum infestandum abuteretur. Porro, ut facilius expeditiusque ex Gallia exer-

exercitum in Italiam transmitteret, hujusmodi legationem ad Carolum Ducem Sabaudiae mittit: „Sibi esse in „animo exercitum sine injuria et maleficio per Allo„broges, Sabaudiaeque fines in Italiam mittere; petere, „ut hoc sibi Ducis voluntate facere liceat, et idem si„mul Nicaeam et Vercellas, quae oppida magno usui „esse possent ad bellum, quod animo agitaret, geren„dum, suis praefectis tradat; quod si fecerit, gratiam „inter ipsos perpetuam fore, seque vicissim, quidquid „in Sabaudiae finibus ad id tempus occupasset, Duci „traditurum; et confecto bello Italico ipsas quoque „Vercellas, et Nicaeam redditurum."

XVIII. Sed hanc suspectam conditionem Dux constanter cum repudiasset, Rex suas copias Alpes circa Genevam transire jubet, quarum primae Alpibus superatis in Augustam Taurinorum, ubi Dux Carolus continebatur, incubuere; ille vero, ne loco parum vel operibus vel natura munito obsideretur, Vercellas sese recepit, relicto ibidem Gutierro Lupo Padilla Caroli Caesaris ad se legato cum militum Italicorum ad quatuor millium manu; sed Gutierrus quoque jussu Antonii Leivae Augustam relinquens eam manum Vercellas versus reduxit; quo digresso Galli ab oppidanis recipiuntur, nec inde moverunt, donec Almirallius cum parte copiarum et bellicis tormentis equitatuque pervenit. Tunc vero Almirallius conjunctis copiis Vercellas oppugnandi gratia progressus constitit ad Duriam amnem; nam transitum altitudo fluminis, quod imbribus creverat, prohibebat. Octavo die postquam flumen subsedisse videbatur, Galli vadis transire tentantes concursu et

telis militum nostrorum repulsi sunt. Sed insequente die commodioribus usi vadis, et majore impetu nitentes flumen transivere; quibus nostri, cum pares esse non possent, in castellum, quod *Sanctus Germanus* dicitur, sese receperunt. Hinc ceteris praesidii gratia in Casale et Trinum oppida, ut Antonius imperaverat, deductis, Joannes Jacobus Medices et Philippus Torniellus cum Italorum duobus millibus et quingentis, Culphus vero Dictacus cum mille Germanis Vercellas praesidii gratia missi, Gutierrus ipse ad Antonium in Candiam oppidum pervenit.

XIX. His rebus nuntiatis Carolus Caesar non amplius sperans Regem aequis conditionibus ab instituto deduci, et in mentem saniorem revocari posse, simulque praesente indignitate, sed multo etiam magis recordatione foederum saepe a Rege violatorum commotus statuit armis decernere, et Regem, qui ad se territandum alienaque invadendum in Italiam exercitum misisset, non reprimere tantum, sed etiam, ut suis ipse rebus metueret, bello in ulteriorem Galliam translato compellere. Ut vero suum animum semper ad pacem proclivem, et boni publici studiosum, apud omnes Christianos bonosque testatum relinqueret, statuit in celeberrimo loco orbis terrae apud Pontificem et Senatum Cardinalium de Regis injuriis, et violatis foederibus, deque sua constante in Rempublicam Christianam voluntate aliqua commemorare; quod eo magis faciendum sibi existimabat, quod se Fernandumque fratrem apud eosdem saepe tum per litteras, tum etiam per legatos calumniis et contumeliis a Rege vexatos fuisse

co-

cognoverat; nec enim ferendum videbatur ipsos, qui pacis ac boni publici semper fuissent auctores, in discordiarum invidiam ab eo vocari, qui cuncta dissidia atque bella inter Christianos excitasset, expetita etiam communis Christianorum hostis amicitia; sed omnium maxime recente indignitate et callidi facti Regis recordatione permotus est, qui cum simulatione Allobrogici belli ruptis foederibus exercitum in se coëgisset, tamen non dubitasset paucis illis diebus per legatum apud Pontificem expostulare, se in suo jure, quod adversus Sabaudiae Ducis injustam pertinaciam persequeretur, impediri a Carolo Caesare, qui foedere neglecto prior arma sumsisset, seque invitum ad bellum Christianis perniciosum compulisset.

XX. Convocatis igitur ipsius Regis, et Venetorum, ceterorumque Principum, et Civitatum, qui ad Urbem aderant, legatis, in curiam Pontificiam procedit, quo non modo Cardinales omnes, sed plerique alii Sacerdotes Praesulesque convenerant, ut Pontificem rei divinae gratia ad sacellum ex more deducerent: erat enim dies festus secundus eorum, quibus Christi resurrectio celebratur. Ergo, Pontifice salutato, verba se in eo loco velle facere cum dixisset, et se omnes (neminem namque excludi voluit) ad audiendum cupidissime comparassent; in hanc sententiam locutus est. „Primum „omnium gratias agit Pontifici Maximo Cardinaliumque „Senatui pro justo pioque Senatus consulto, quod se „hortante fecissent de convocando Concilio Sacerdotum „universali, quae fuisset gravissima causa sui adventus „in Italiam, Charadino debellato. Deinde Francisci Regis

„Gallorum injurias in se, multaque ab eodem violata
„foedera demonstrat, ejusdemque belli Pannonici tem-
„pore in publico et maximo Christianorum periculo
„summam incuriam et singularem in repellendis injuriis,
„quae orbi Christiano ab impiis inferebantur, negli-
„gentiam commemorat. Tum aequitatem suam pa-
„tientiamque proponit, qui omnes contumelias Chri-
„stianae Reipublicae ac Religioni condonasset, ne Ca-
„tholicorum Christianorum dissidia fierent haereticorum
„ac impiorum occasiones. Itaque se malorum omnium
„ac simultatum oblitterata memoria, multa de suo jure
„remittentem saepe cum Rege in gratiam redivisse, ad
„quam arctiore necessitudinis vinculo constringendam ei-
„dem Regi carissimam sororem Eleonoram natu majo-
„rem in matrimonium dedisset, cum interim Rex mul-
„ta in se, irrito quidem conatu, sed inimico animo
„tentasset, huc quoque progressus, ut incusatus, quod
„accepta a Carolo libertate in eo, quod convenisset,
„dataque fide non maneret, se in certamen singulare
„controversias minuendi gratia per caduceatores provo-
„casset, et quidem iis verbis, quae gregarios milites
„multo magis, quam aut suam aut Regis personam du-
„cerent; quae conditio cum a se jure ac honeste pos-
„set recusari, tamen scirent omnes, per quem tandem
„stetisset, quominus ea ratione controversiae dirime-
„rentur. Praeterea Regem docet multa bella sibi suis-
„que clientibus, ut injuste, sic infeliciter intulisse, et
„cuncta fecisse inflammatum cupiditate Mediolanensis
„Principatus, a quo juste dejectus, ejus etiam jure, si-
„quid sibi esset, renovatis foederibus saepe decesisset.
„Sed

„ Sed cum multa, *inquit*, violatis ruptisque foederibus „ a Rege fuissent facta, per injuriamque tentata proxi- „ me, ut quod jam diu parturiebat ejus animus, ali- „ quando pareret, bellum callido consilio in me dissimu- „ lanterque renovare constituit, dum mortuo Francisco „ Sfortia sine herede Mediolanensis Principatus, hanc oc- „ casionem Mediolanum occupandi sibi non praetereun- „ dam putaret. Causis igitur illatis Carolo Sabaudiae, „ Duci avunculo suo, contra foedus Cameracense, quo „ idem Dux, Princeps cliensque Imperii Romani, no- „ minatim fuerat comprehensus, bellum indixit, ut per „ eam speciem exercitu coacto suas copias Mediolano per „ Allobroges, et Taurinos nobis imparatis admoveret; „ scilicet, ut meis rebus periculum conflaret, quem vi- „ debat in Italiam sine exercitu trajecisse, cum nihil „ hostile metuerem, nec, cur mihi metuendum esset, „ commisissem; meque territando compelleret, ut sibi „ Mediolanum, quod ad me jure redierat, iniquis pacis „ conditionibus permitterem, aut ipse per occasionem „ nobis invitis occuparet. Quibus conatibus ut obsiste- „ rem, et Sabaudiae Ducis injurias, quas sine crimine „ et nota negligere nequeo, repellerem; necessaria prae- „ sidia comparanda mihi esse putavi, sed cum me con- „ silia animusque Regis ab initio non laterent, tamen „ delectum militum habendum non ante curavi, quam „ esset allatum Germanorum ab ipso conductam manum „ in Galliae fines pervenisse. Nec interim recusavi, par- „ tim tuo hortatu, Pater Sanctissime, et precibus ac „ litteris Reginae Galliae meae sororis adductus, partim „ mea natura et consuetudine, sed ne nunc quidem

„re-

„ recuso, quin aliquem filiorum ejus Mediolanensi Prin-
„ cipatui praeficiam, quae summa est ejus postulatorum,
„ modo ne ille hac in re Carolo minimo natu Henri-
„ cum liberorum secundum praeferat, cui notissimis de
„ causis nec recte, nec ex bono publico Mediolanum com-
„ mitti potest. Haud enim vereor, ne Rex putet etiam
„ nunc consiliis ejus patefactis me timore belli ductum
„ ad has pacis conditiones descendere , praesertim cum
„ ignorare nequeat , id quod saepe fuit expertus , quan-
„ tum inter suorum Gallorum, et earum gentium, quae
„ meo parent imperio, laudem virtutemque bellicam in-
„ tersit : nam si genere militum tam longe superarer a
„ Rege, quanto sciunt omnes me illo esse superiorem,
„ haud equidem turpe putarem ab ipso pacem quibus-
„ cumque conditionibus petere. Haec cum ita sint, ta-
„ men pro meo publicae tranquillitatis studio aequas pa-
„ cis conditiones non recuso. Quod si Rex tam caeca
„ belli cupiditate flagrat, ut pace et conditionum aequi-
„ tate neglecta satius pulchriusque putet armis decerne-
„ re, hoc saltem demus publicae saluti , ne Christiano
„ popularium nostrorum sanguine commissis exercitibus
„ abutamur , et vires atque opes piorum exhauriamus,
„ sed nos duo singulari certamine controversias dirima-
„ mus, honestissimo praemio proposito, ut victor a vi-
„ cto pecunia militeque juvetur ad repellendas injurias ,
„ quae Christianis ab impiis inferuntur , recipiendasque
„ res ablatas, et communem hostem communibus armis
„ persequendum. Haec apud te , Pater Sanctissime , et
„ in hoc venerando et amplissimo loco visum mihi est
„ testata relinquere, ut omnes intelligant me invitum et
„mul-

„ multis injuriis a Rege provocatum ad arma procede-„ re, idque non ulciscendi, sed repellendi contumelias „ et propulsandi causa, et me nihil magis expetivisse, „ quam pacem, ut si bello a me, quemadmodum tot „ et tantarum indignitatum ratio postulat, suscepto Re-„ gem sui consilii poenitere coeperit, ego meum fa-„ ctum consiliumque apud Deum et homines gravissimo „ vestro testimonio tueri possim, si, quod ratione ac „ benevolentia toties, ut assequerer, frustra tentavi, id „ bello et armis semel assequi conabor."

XXI. Dum haec Romae geruntur, Antonius Leiva accepto nuntio Gallos jam Duriam flumen transivisse, Vercellas ire contendit, impositoque firmiore Germanorum Italicorumque praesidio Carolum Ducem ac uxorem Beatricem Isabellae Augustae sororem, quas Portugalliae Rex Emanuel ex Maria Caroli consobrina procreaverat, inde deducit, et cum his in Candiam oppidum revertitur. Huc Germanorum decem millia cum pervenissent, et alii appropinquare nuntiarentur; Italicos milites ex Alexandriae praesidio, paucis relictis, deduci, et Candiam convenire ac custodire jubet; ipse, conjunctis copiis, in Cegiam flumen, quod Mediolani fines a Subalpinis dividit, non longe a Vercellis progreditur, unde Almirallius cum exercitu peditum viginti millium, et equitibus levioris armaturae sexcentis, et quadringentis cataphractis aberat passuum millia non amplius duo.

XXII. Per id tempus Joannes Lorena Cardinalis, magnae vir auctoritatis, qui a Rege legatus de pace ad Carolum mittebatur, in castra Gallica pervenit. Is

Al-

Almirallium, ne ulterius progrederetur, monet, quippe se non dubitare, quin Carolus cognitis, quae ipse deferat, postulatis conditionis aequitatem sit accepturus. Itaque Cardinalis hortatu suas copias Almirallius in *Sanctum Germanum* (castello id nomen est) passuum sex millia reduxit. Hinc Cardinalis idem misso caduceatore ab Antonio petit, ut sibi liceat ejus voluntate per Mediolani fines ad Carolum Caesarem, ad quem legatus de pace veniat a Gallorum Rege missus, transire. Antonius, ut spatium intercederet, dum milites, qui propediem exspectabantur, convenirent, se respondit, si per Almirallium liceat, virum gravem ad Cardinalem cum mandatis missurum, qui prospecta ipsius adventus causa, si visum utrique fuerit, eumdem colloquendi gratia in sua castra deducat. Cum per caduceatorem ultro citroque commeantem relatum esset licere, missus est Gutierrus Padilla, et ab eo Cardinalis in Antonii castra deductus. Sed postquam multa de compositione inter Principes, et sedandis discordiis fuerunt collocuti, de exercitibus sic inter ipsos convenit, ut Gallorum copias Almirallius in Augustam usque Taurinorum reduceret, Antonius citra Cegiam flumen cum suis se contineret, et decem dierum inducias paciscuntur: quod tempus satis fore visum est, ut Cardinalis mandata Regis ad Carolum jam Roma profectum perferret, et de conventis inter ipsos cognosceretur. Sed Carolo, cui ad urbem Senas Cardinalis occurrit et legationem exposuit, parum aequitatis habere postulata Regis visa sunt; quippe in eo persistebat, ut filiorum non Carolus, sed Henricus Dux Mediolani constitueretur; Cardinalis igitur re infecta discessit.

XXIII.

XXIII. Induciarum diebus exactis, Antonius cum peditum Germanorum tredecim, Italicorum sex millibus et mille quingentis Hispanis, equitibus autem levioris armaturae octingentis, et cataphractis octoginta, Cegiam trajecit, et in hostes progressus est, donec ab eis et Augusta Taurinorum, quo ex pactis induciis sese receperant, quinque millia passuum abesset. Tum vero tantae pluviae sunt consecutae, ut fluminibus interclusus exercitus vehementer cibariorum inopia premeretur: pontibus enim aquarum impetu rescissis, non erat, qua possent commeatus importari. Almirallius interea non intermittit Augustam cunctis rationibus et opibus ad oppugnationem et obsidionem perferendam diligentissime munire. Sed cum statuisset se in ulteriorem Galliam cum exercitu, antequam majores hostium copiae convenirent, recipere, Augustam eamdem peditum sex millium cum equitibus cataphractis ducentis quinquaginta praesidio firmat: ipse cum reliqua manu magnis itineribus domum redire contendit, usus pluviarum beneficio, quae nostris obstiterunt, quominus discedentem insequerentur.

XXIV. Carolus a Senis Florentiam, inde Lucam pervenit, exceptus ubique cum ingenti gratulatione; tum superatis Liguriae montibus in Insubres ad Antonium et exercitum, qui ad Astam oppidum consederat, pervenit. Multos dies Carolus ad Astam moratus est, dum milites imperati conscriptique tum ab Hispania, tum a Germania conveniunt, et de ratione belli deliberatur. Nam saepe coacto Principum praefectorumque concilio, plerique in ea sententia permanebant,

ut Carolus exercitum in Galliam ulteriorem transmitteret, praefecto duce, quem omnium praestantissimum judicaret (Antonium Leivam non obscure designantes) qui cum minore vel dignitatis, vel Reipublicae periculo fortunam belli subiret; ipse vero tutiore aliquo loco cum praesidio in Italia remaneret, unde sua praesentia posset Italos in officio continere, et siquid opus esset, undique auxilia, quae suis submitteret, evocare. Quae non tam libero, quam amico animo magna ex parte dicebantur, dum omnes tutiora suadere, nemo, siquid forte durius accidisset, periculosi consilii auctor fuisse videri vellet tanto Principi, cujus vita cunctis ordinibus propter innocentiam excellentiumque virtutum opinionem erat carissima.

XXV. Igitur multis dissuadentibus, Carolus tamen Alpes cum exercitu transire, et ipse per se bellum administrare constituit. Sed jam illorum importunis dehortationibus et tempus bello gerendo idoneum effluxerat, et ipse ad aliqua factus erat cunctantior. Inter hanc consultandi moram Fossani custodes deditionem facere a nostris compulsi adjuvante deditionis causas Francisco Salutiarum Marchione, qui Gallorum partes ipsi potissimum a discedente Almirallio commendatas deserens, dum suis rebus metueret, ad Carolum transivit. Ceterum Augusta Taurinorum, quo oppido expugnato nullus hostis a tergo relinquebatur, ne tentata quidem a Carolo est, eisdem consultoribus obtestantibus, videret etiam atque etiam, ne cum oppidum operibus et militum praesidio permunitum esse constaret, tanti exercitus fama, ipsiusque Imperatoris auctoritas minueretur, si res ab ipso prae-

praesente imperata et administrata parum processisset.

XXVI. Jam milites a Germania, Italiaque convenerant; et ex Hispania electorum, et magna ex parte veteranorum militum tria millia fuerant ab Alvaro Bazano triremibus ad oram Hispaniae maritimam asservandam ipsi attributis deportata; qui ea manu ad Savonam exposita, et Garciae Lasso militum Tribuno tradita, Astam cum pervenisset; Carolus hunc, et Doriam, qui summam Imperii universae classis obtinebat (nam et ipse aderat) Genuam contendere jubet, quo naves compulsae fuerant, et Germanorum quatuor, quos ducebat Thomas, ac totidem Italicorum millia, quibus praeerat Fernandus Sanseverinus Salerni Princeps, imponere; nam utrique eodem convenire jussi fuerant, et in Galliam navigare, et dum ipse superatis Alpibus exercitum traduceret, oram maritimam infestare. His igitur militibus ad Nicaeam et portum Herculis expositis, Antipolis oppidum, quod non longe abest, in Galliae finibus oppugnatur; nec fuit magni negotii, cum murus tum a terra, tum a mari tormentorum telis vehementer quateretur, oppidanos ad deditionem cogere. Itaque omnes facta, ut convenerat, potestate, cum suo quisque vestimento et suppellectile, quantum modo secum ipse portare posset, oppido arceque relictis discesserunt, succedentibus militibus, qui Caroli Caesaris jam iter ingressi hic adventum exspectarunt.

XXVII. Eodem ferme tempore Henricus Nassaus, ut a Carolo fuerat imperatum, per Belgium parem propemodum exercitum in fines Galli Regis populabundus inducit; et castellis nonnullis receptis, Peronnam frustra

tentatam magnis tamen incommodis affecit, et eam regionem longe lateque vastavit. Carolus ad Augustam Taurinorum cum Germanorum Italicorumque militum manu Gutierrum Padillam, qui oppidum obsidione premeret, relinquens in Galliam ulteriorem proficiscitur, et equitatu per oram maritimam commodioremque viam praemisso, ipse per Alpes angustiore ac difficiliore itinere peditatum ducit, adjuncto sibi Antonio Leiva, quem propter singularem ejus rei militaris prudentiam gloriamque bellicam, veluti legatum totius exercitus fecit ea scilicet auctoritate, ut siquid ille jussisset, vellet dicto sic omnes audientes esse, quasi ab ipso Carolo fuisset imperatum. Usque adeo non in viribus aut velocitate, sed in consilio et industria firmior spes est res maximas gerendi. Erat enim Antonius tam tenui ac nulla potius valetudine, ut manibus et pedibus articulari morbo contractis sella insidens gestaretur.

XXVIII. Ad diem octavum Kal. Augusti, qui dies festus agitur Divo Jacobo, Custodi Hispanorumque Praesidi, Carolus equitatum consecutus Nicaeam praetergreditur, nec ante consedit, quam fines Galliae Regis ingrederetur, et Sanctum Laurentium vicum perveniret. Hic paucos dies commoratus classem, quae prope in anchoris erat, cum ea Germanorum Italicorumque manu, quae Antipolim ceperat, ad Forum Julii, quod praesidio tenebatur, oppugnandum praemittit. Sed appulsa classe ac militibus expositis custodes non exspectata oppugnatione oppidum deseruerunt. Tunc Alvarus Bazanus cum viginti quinque triremibus et nauticis militibus omnia oppida vicosque maritimos Massiliam us-

usque parvo negotio in suam potestatem redegit praeter Taurentium, quod oppidum paulo post accedente tota classe in deditionem venit praeter arcem portui impositam, quae praesidio tenebatur; haec enim, licet accessum navium ad interiorem portum tormentorum telis prohiberet, non tamen oppugnata est, hic quoque censente Andrea Doria caveri oportere, ne qua fieret auctoritatis jactura, si praesidii et arcis, quae non multum obesset, firmitudo susceptam oppugnationem frustraretur. A Sancto Laurentio copias hoc ordine instructas deduxit Carolus: Fernandum Gonzagam cum equitibus levioris armaturae, qui numero erant ad duo millia, praecedere et antecurrere jubet; in agminis primo loco, ubi Marchionem Vasti curare jusserat, Hispanorum sex millia totidemque Germanos collocavit, et item cataphractos equites mille Belgas, Germanosque cum Sistano praefecto; deinde pars fere tertia peditatus procedebat; et cum vexillo Imperatorio Caroli familia, cui praeerat Antonius Beneventanus Comes; haec autem erat trecentorum fere nobilium virorum manus; et praeterea centum, quibus ad sui custodiam Carolus uti consueverat, omnium cataphractorum equitum, quibus centum item cataphracti equites ex Bavariae Ducis, et Comitis Palatini, atque Ducis Brunsvicensis familiis se conjunxerant; nam ipsi Principes Carolum ultro et citro, quae necessaria viderentur, imperandi gratia commeantem semper fere assectabantur. Extremum agmen et impedimenta Fernandus Toletus Dux Albanus cum sexcentis cataphractis equitibus et reliquo peditatu claudebat.

XXIX. Dum hoc ordine in Forum Julii proceditur,

tur, Galli, qui ex proximis vicis castellisque profugerant, propinquas silvas incenderunt, quo incendio pauca quaedam jumenta, et, qui haec agebant, calones interclusi perierunt. Ubi Forum Julii ventum est, quod jam, ut demonstravimus, erat in nostrorum potestate, secundum littus Carolus castra muniri jubet, et ex navibus onerariis huc, ut imperaverat, compulsis tormenta et commeatus exponi; tum quia jam hinc a classe et littore recedendum erat, cibaria in dies octo singulis militibus distribuit, et oppido Italicorum praesidium imponit. Ex Foro Julii cum Aquas Sextias versus movisset Carolus, Montijanum praefectum cum peditum expedita manu et equitum turma ad Brignolam castellum esse speculatores nuntiarunt, missum a Rege, ut frumenti et pabuli quidquid in agris et vicis haberetur, qua nostris esset iter, igne corrumperet. Ad hunc opprimendum Carolus Fernandum Gonzagam mittit; ab eo pars equitum, quae hostem adequitando pugnandoque moraretur, praecurrere jussa; hi paulo citra Brignolam hostem nacti praelium committunt et dum cedentes urgent, permisti cum Gallis pugnandoque castellum irrumpunt; ceterum cum se Galli ex fuga et timore recepissent, perspecta et contemta nostrorum paucitate praelium magno animo restituunt, et nostrorum nonnullos longius progressos capiunt, quosdam etiam occidunt. Sed Fernando cum reliquo equitatu superveniente rursus Galli in fugam versi, pars etiam caesi, dux ipse Montijanus captus.

XXX. Carolus Massiliam praetergressus non longe a Rhodano flumine copias cum deduxisset, ad Aquas Sextias

tias consedit, quod oppidum desertum, et ab hominibus vacuum, non tamen sine commeatibus offendit. Quamquam enim initio muniri hoc oppidum et imposito firmo praesidio custodiri Regi placuerat, tamen id vel sero imperatum, vel negligentius administratum fuerat. Itaque nostris accedentibus oppidani militum contumelias et maleficia metuentes sublatis rebus, quae primae ducebantur, quasque in ea festinatione deferre poterant, diffugere, satis frumenti et reliquorum commeatuum, qui congesti fuerant, relinquentes, nisi quod in his perpauca erant molita cibaria, et molarum, quae ruptae fuerant, occasio nulla.

XXXI. Carolus, coacto concilio, rursus de belli ratione cum praefectis deliberat, quorum aliis Avenionem, quod oppidum magno praesidio tenebatur, aliis Arelate oppugnari placebat; nam ut Massilia tentaretur, urbs tum loco, tum operibus et milite munitissima, frustra fore cunctis videbatur. Itaque in magna controversia et sententiarum varietate Carolus Taurentium ad Andream Doriam aliquem ex his, qui consultationi interfuissent, mittere statuit, ut delatis propositisque sententiis, ab eo, quid sui judicii esset, exquireret, eidemque nuntiaret, ut classem, unde commeatus erant petendi, propius admoveret, ad ostiaque Rhodani, quae aberant a castris novem circiter millia passuum, traduceret. Missus est Alfonsus Idiacus, Caroli consiliarius, a quo sententias aliorum edoctus Doria consultusque respondit: „Sibi vero optimum factu videri, ut Massilia primum omnium „terra, marique oppugnaretur, quae, si recepta fuisset, „plurimas et maximas commoditates ad bellum gerendum,

„ dum , et omnem Provinciam debellandam et retinen-
„ dam haberet ."

XXXII. Hoc responso accepto Carolus, apud quem Andreae Doriae sententia multum ponderis habebat, cum peditum expedita manu et parte equitatus, ut Massiliae situm naturamque loci certius perspiceret ac consideraret, sese in ejus conspectum dedit, et factus intra teli jactum frequentibus tormentorum telis appetitus est cum tanto suo periculo, ut ex proximis equitibus quidam glandibus juxta ipsum vulnerarentur, nonnulli etiam caderent. Ceterum ex captivis cognovit Massiliam, quae bonam partem ambitur mari, multorum praeterea dierum operibus, et delectorum mortalium ad octo millium firmissimo praesidio, et magna tormentorum vi munitissimam esse; itaque si Massiliam oppugnare aggrederetur, conatum frustra fore judicavit.

XXXIII. Interea Rex Gallus, qui trans Rhodanum recesserat, quamquam exercitum habebat, poteratque copiis majoribus coactis flumen per pontes, quos firmissimis praesidiis obtinebat, libere trajicere, tamen praeter morem Gallorum et Caroli opinionem lentis consiliis uti constituit, nihil agere ferociter, abstinere praelio, bellum omni ratione ducere, suis videlicet malis edoctus, quam esset periculosum cum hoc hoste quidquam temere conari, praesertim eo tempore cum summa rerum ageretur. Itaque, ne Regnum fortunasque suas in dubium, uniusque praelii discrimen adduceret, munitis locis trans flumen se diligenter cum suis copiis continebat, satis habens vim atque impetum hostis quacumque ratione sustinere; atque eo magis, quod ex Italia,
quae

quae paulo felicius in Taurinis gesta essent, plenius et uberius Regi a suis nuntiabantur.

XXXIV. Carolus enim in ulteriorem Galliam cum exercitu proficiscens, Germanorum quatuor, Italicorum sex millia reliquerat jusso Gutierro Lupo Padilla praefecto, Taurinorum Augustam, ut supra demonstratum est, obsidere, et rei bene gerendae occasiones non omittere. Hoc oppidum Anibus Gallus cum equitibus quingentis firmoque praesidio Vasconum et Italicorum obtinebat. Gutierrus, cum imperii summam in Caesarianas copias teneret, tamen consilia cum Joanne Jacobo Medice Melignani Marchione communicabat: is enim erat militum tribunus, et Gutierro consiliarius a Carolo Caesare propter ejus et virtutis et usus militaris opinionem datus. Igitur ex utriusque sententia sic erant copiae distributae, ut alia circumjecta et opportuna loca impositis praesidiis tenerentur: Gutierrus cum mediocri manu Monchalesium castellum, passuum ab Augusta circiter quinque millibus, obtineret: Joannes Jacobus cum maxima copiarum parte castra ad pontem, quo Padus ad Augustam committitur, haberet, qua parte parva praelia frequenter varia fortuna fiebant. Sed cum Italicorum bona pars ex castris partim majore mercede proposita, partim spe praedae ad Gallos transfugisset; brevi factum est, ut hostes essent nostris numero superiores, et auderent excursionibus vicos et castella remotiora populari. Itaque Marcus Antonius Cussanus Mediolanensis cum Italicorum tribus amplius millibus, et equitatus parte ex Augusta digreditur, ut Savianum tentaret, quo pleraque tormenta,

et quae his usui sunt, Caesariani ex Fossano contulerant.

XXXV. Gutierrus autem profectionis ejus et consilii factus per exploratores certior in castra ad Marchionem, ut consilium communicaret, venit. In qua deliberatione Marchio, ut ipsorum alter cum dimidia copiarum parte Marcum Antonium insequeretur, censebat, Gutierrus exercitum tantopere minui haud tutum esse judicabat, et in sententia permansit; Monchalesiumque regressus Schalengum praefectum, qui locorum erat peritus, cum peditum duobus millibus, et equitibus centum in Marcum Antonium proficisci jubet, et cum oppidanis Savianum defendere, hostesque rapinis et populationibus prohibere. De cujus profectione Marchio litteris et nuntio Gutierri certior factus, consilio improbato, ipse postero die Monchalesium ad Gutierrum venit, eoque in suam sententiam adducto sexcentos inde Germanos, et quadringentos Italos abducit, cumque his profectus Schalengum certiorem facit, ut primo quoque tempore copiae conjungantur, et res communi consilio administretur.

XXXVI. Schalengus postridie mane se ad Vigonum vicum affuturum, ibique ipsum exspectaturum cum respondisset, tamen postero die in eumdem vicum progressus ad Marchionem mittit, certioremque facit se fugientes hostes et de via fessos insectari. Quo ille nuntio accepto militibus corpora curare jussis Villam Francam, quo iter hostes habere nuntiabantur, contendit; nam Marcus Antonius, Faula castello expugnato, ubi Banetam praefectum cepit, et Fabiano castello frustra tentato incensisque suburbanis aedificiis ad Augu-

stam

stam Taurinorum suos reducebat. Sed ad Villam Francam conspecta et propter paucitatem contemta hostili manu, quam Schalengus in se tamquam fugientem inducebat, convertere signa suos jubet, et in hostes referri. Quo facto adversarii, qui erant et numero pauciores, et re insperata conturbati, haud diu sustentato impetu terga verterunt, ipso tamen Marco Antonio letaliter vulnerato. Marchio de suorum adverso praelio cum esset perlatum, in eam partem, qua hostibus iter, agmen convertit, praemisso equitatu, qui postremos moraretur. Quo nuntio et timore perculsi Antoniani, quos praefecti acceptum vulnus conturbaverat, per avia et montana loca flexo itinere sine imperio et ordine contendere coeperunt. Sed castellani ex Pegnarolo cum agrestium manu perturbatos adorti, quingentos amplius eorum armis et vestimentis exuerunt. Itaque dimisso in via Marco Antonio, qui ex biduo animam efflavit, dispersi et male habiti Augustam pervenerunt, indignante Joanne Jacobo Marchione, quod spreto suo consilio, magna rei bene gerendae occasio periisset.

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS GESTIS
CAROLI QUINTI
IMPERATORIS ET REGIS HISPANIAE

LIBER QUINTUS DECIMUS.

I. HIS nuntiis sublatus Rex Franciscus, speransque Carolum posse rebus Italicis, si parum ei feliciter cecidissent, a bello Gallico revocari, Genuam tentare constituit, quam eidem Carolo propter loci opportunitatem magnam facultatem praebere ad bellum gerendum animadvertebat, et hac occupata posse magnopere commeatibus exercitum illius intercludi intelligebat. Itaque conandum sibi statuit, si posset per occasionem absentis cum triremibus Andreae Doriae eam urbem, quae parvo praesidio tenebatur, occupare. Ad hoc perficiendum non parum momenti fore confidebat in Caesare Fregoso, qui princeps suarum partium habebatur; nam civitas Genuensis, quae caput est Liguriae, in duas factiones scissa erat, quarum alterius principatum Fregosi tenebant, alterius Adorni.

II. Ex his, ut rei summa paulo altius repetatur, Fregosi cum ab adversariis essent urbe depulsi, reducti sunt ab Hispanis anno Christi M. D. XIII. Sed Octavianus Fregosorum princeps relicta Hispanorum amicitia partes Gallorum, qui ad id tempus Adornis faverant, se-

secutus est; et cum esset Genuensium Dux (sic enim ipsi summum Magistratum appellant) coepit Galli Regis praefectum agere, ejusque nomine et arbitratu rem Genuensem administrare. Tunc vicissim Adorni ab adversariis pulsi ad fidem Caroli confugerunt, ab eodemque, ut ipsius armis reducerentur, impetrarunt. Itaque anno Christi M. D. XXII. Genua ab Hispanis, duce Prospero Columna et Fernando Piscariae Marchione, expugnata et ex parte direpta in patriam Adorni redierunt, tenueruntque Reipublicae gubernacula, donec eos Caesar Fregosus, quem supra nominavimus, expulit, Regis Galli, qui paulo ante fuerat a Carolo libertate donatus, et Foederatorum armis terra marique adjutus, cum tota ferme Italia, Pontifexque et Gallorum ac Britannorum Reges in Carolum conspirassent; cujus conspirationis malum usque adeo recidit in ipsius auctores, ut hinc urbis Romae direptio, captioque Clementis Pontificis: hinc Gallorum gemina in Insubribus, et ad Neapolim clades nasceretur, ipsorum duobus exercitibus fusis atque deletis. Ceterum Andreas Doria ex bello Neapolitano, quo ducibus Caroli Caesaris egregiam operam navaverat, Genuam, quae a praeside Gallo et Caesare Fregoso tenebatur, victricibus armis reversus coepit expositis militibus populares ad libertatem vocare; quo tempore Gallis cum Caesare Fregoso pulsis Genuenses suis malis edocti, quantum civitates soleant factionum studiis et dissensionibus labefactari, Andrea Doria auctore paci atque concordiae studere instituerunt, seque in libertatem a tyrannide factionum vindicare.

III. Ut autem Magistratus, et commoda ex publicis

cis muneribus, quae solis nobilibus patebant, unde studium rerum novarum ac dissensiones oriebantur, compluribus communicata omnes in officio continerent, placuit ac lege confirmatur, ut familiae quaedam populares, auctoritate ac opibus inter ceteras eminentes, nobilitate donarentur; praeterea viri singulares, qui divitiis atque prudentiae opinione praestabant, numero ad quatuor millia perinde nobiles efficerentur: hi tamen, ne multitudine familiarum nobilitas vilesceret, cognomen sibi quisque ex nobili quapiam familia sumerent. Atque ea ratione Genuae civilis administratio ex paucorum dominatu atque tyrannide in eam formam transivit, quae communi vocabulo Respublica nominatur; sed ita ut Andreas Doria, qui hujus formae ac libertatis auctor fuerat, plurimum in ea posset tum gratia, tum etiam auctoritate.

IV. Cum igitur Carolus civitatis patrocinio suscepto Genuenses suis legibus uti permitteret, et largiter faveret ipsorum libertati; omnes diligenter Caroli rebus studebant, hunc quoque honorem illi et auctoritatem in sua civitate tribuentes, ut ejus legatum publicis fere consultationibus adhiberent. Itaque per id tempus Carolo, quascumque poterant, commoditates ad bellum Gallicum suggerebant. Quod animadvertens Rex Franciscus, nequid intentatum relinqueret, magnam vim pecuniarum ad militem conducendum Guidoni Rangonio, et Cagninio Gonzagae, ac Caesari Fregoso mittit, qui dimissis quoquoversus conquisitoribus, per Venetos, Ecclesiasticosque fines occulto ac sine strepitu milites conducendos curarunt. Paulo Pontifice Maximo, ac Vene-

ne-

netis, qui Caroli potentiam nimium augescere nolebant, conniventibus, milites, ut quisque nomen dederat, Mirandulam convenire jubebantur: hujus enim castelli tyrannus Galleotus Picus, a quo per insidias Comitem Joannem Franciscum Picum virum optimum et doctissimum sublatum dixi, sui sceleris poenas a Carolo metuens Gallicis rebus studebat.

V. Haec cum Genuam fuissent perlata, cognitumque Caesarem Fregosum in ducibus esse; magnus timor Genuensium animos invasit, metuentium, id quod erat, ne copiae illae in suum malum pararentur. Quamobrem ad Carolum litteras, nuntiosque rogatum auxilium mittere maturant. Carolus nihil cunctatus milites Italici generis ad mille ducentos ex iis, quos Fori Julii praesidio reliquerat, ab Augustino Spinola Genuam deduci jubet, misso simul Antonio Doria cum octo triremibus, qui eam manum Genuam adveheret, essetque portui praesidio. Quibus advectis expositisque militibus, Germani tertio post die ad mille ducenti huc properare jussi pervenerunt, ex tribus millibus qui ex Germania paulo ante ad comprimendos Italiae motus missi fuerant, ut Carolus per litteras imperaverat. Itaque adjunctis qui pro portis urbis in stationibus esse consueverant, factum est praesidium militum amplius trium millium; et ex oppidanis fere totidem ad muros custodiendos armati.

VI. Tertio Kalendas Septembris Guido, Cagniniusque, et Caesar Fregosus, de quibus supra dictum est, cum peditum novem millibus, et equitibus quingentis in conspectum urbis progressi caduceatorem mittunt denun-

nuntiatum Genuensibus, ut nisi hostilia pati urbemque diripi vellent, sese nulla interposita mora in potestatem permitterent. Sed caduceatore in urbem non admisso, postridie nondum satis certa luce eam oppugnare aggrediuntur, cujus ipse rei spectator fui, ac periculi particeps; murisque succedentes, et scalis admotis magno impetu magnoque animo urbem ex parte, quam Italici milites asservabant, oppugnare coeperunt. Hic acriter utrinque cum pugnaretur, vox exaudita est extrinsecus clamantium: *Quid stulte propugnatis, commilitones? Praeda est in urbe, quae possit utrisque nobis, vobisque sufficere*. Quae vox oppidanis timorem vehementer auxit, jam ante metuentibus, ne Itali cum Italis cupiditate praedae urbis opulentissimae in suam perniciem conspirarent.

VII. Erat id temporis Genuae Gomezius Xuarius Figueroa legatus Caroli, cujus fidei Genuenses suam urbem in his rerum angustiis commendarunt. Is multis nobilibus comitantibus ad forum argentariorum cum oppidanorum armata manu totam noctem excubuerat, cunctis viis, nequis tumultus a Fregosae factionis civibus exsisteret, obsessis. Cum autem hostes in illam maxime partem, quam diximus, incubuisse vehementerque urgere nuntiarentur; oppidanorum manum extra ordinem vagantem laborantibus subsidio mittit, quae tempore opportunissimo subvenit, cum jam custodes remissius agerent, atque aegre sustinerent, et hostes admotis scalis conscendentes jam paene summa cepissent. Oppidanis igitur opem ferentibus et magna contentione propugnantibus hostes repulsi, et quibusdam ipsorum ab

sca-

scalis et muro deturbatis, pedem retulere, hoc minus immorati, oppugnationique urbis insistentes, quod Gutierrum Padillam cum Germanorum Italicorumque manu in Genuensium auxilium appropinquare cognoverant; quippe hoc Gallorum consilio cognito Guardinadus Charachiola Mediolani praefectus et Gutierrus Padilla, communicatis ad Papiam consiliis, optimum factu esse statuerunt, ut primum omnium ex tribus illis Germanorum millibus, qui ad *Castellum altum* non procul Mirandula consederant, mille ducenti Genuam subsidio mitterentur; deinde praesidiis deductis, et militibus in unum locum contractis cetera, prout res posceret, administrarentur.

VIII. Igitur Germanorum parte Genuensibus, ut demonstratum est, subsidio missa, copiis Felicianum convenire jussis, ipsi ex eodem castello, quid hostes molirentur, observabant, quorum numerum cum multum augescere cognoscerent, et opinio consilii de invadenda Genua in dies confirmaretur, nec suspicio domesticarum insidiarum abesset; ad Melignani Marchionem scribunt, ut omissa Augustae Taurinorum obsidione relictoque ad Monchalesium praesidio cum reliqua manu ad se venire maturaret. Is cum prope affuisset, conjunctis copiis Padilla et Marchio magnis itineribus Genuam contendunt; sed Fornarum progressis, quod castellum abest a Genua quatuordecim millia passuum, hostes oppugnatione Genuae frustra tentata repulsi discessisse nuntiantur. Tantisper igitur ibi constiterunt, dum, quid hostes consilii caperent, aut quam in partem contenderent, cognosceretur; cumque Taurinos versus iter dirige-

gere nuntiarentur, Caesariani quoque in eamdem partem, si consequi praelioque lacessere possent, proficiscuntur. Sed illi, ut erant expeditiores et minus sarcinis impediti, celerius itinere confecto Augustam pervenerunt, et cum praesidio conjuncti libere vagabantur, multaque castella in Subalpina regione receperunt.

IX. Erant Caesariani hostibus numero inferiores; tamen quia genere militum praestabant, consultari ad Monchalesium coeptum est, num ex usu esse videretur hostes praelio, cujus facultas non defore videbatur, lacessere. Marchio Germanorum potissimum virtute fretus hostium multitudinem magna ex parte collectitiam facile contemnens non esse cunctandum censebat, quin res praelio committeretur. Gutierrus Padilla contra longe disparibus praemiis vicissimque jacturis propositis stulte praelio decernere dicebat, qui de re majore periclitentur. Ut igitur uno oppido potiantur, Principatum Mediolanensem, et quidquid est in Italia Caroli et Hispanorum imperii, in unius pugnae discrimen adducere nec prudentis esse, nec sani consilii; et in hac sententia perstitit, suaque cunctatione magnam hoc quoque in loco rei bene gerendae occasionem, ut plerisque visum est, amisit. Itaque deductis inde praesidiis, suas copias in Astam oppidum reduxit, qua data libertate Galli omnem Subalpinam regionem in suam potestatem redegerunt. Atque haec quidem in Italia gerebantur.

X. Carolus ad Aquas Sextias cum exercitum induxisset, triginta ibi amplius dies consumsit, dum exspectat partim, ut classis, quae contrariis ventis ad Taurentium de-

detinebatur, propius, ut imperatum fuerat, cum commeatibus appelleretur, partim si posset Regem elicere, ut se in conspectum daret, et pugnandi copiam faceret, quae ratio expeditissima erat belli conficiendi. Nam pugnandi facultatem non defuturam sibi ex ingenio Gallorum pollicebatur, qui libentius alacri quodam ardore magnoque impetu in praelium irruere, quam longioris belli molestias et calamitates perferre solent. Accedebant Regis magnifica verba, quibus fuerat usus in litteris ad Pontificem et Cardinales missis, ut se de iis, quae ipsi in oratione Romae habita Carolus objecerat, purgaret, quippe respondens ei loco, quo Carolus affirmaverat, si pugnandum esset, libenter se, ut multitudini parceretur, singulari certamine cum Rege controversias diremturum, Rex, conditione recusata, se tamen, si cum exercitu Carolus affuisset, minime pugnam detrectaturum, sed obviam potius iturum ostenderat.

XI. Sed jam Rex mutato consilio cuncta praeter opinionem caute cunctanterque agere, et locis munitis contentus objectoque Rhodano bellum cunctis rationibus ducere; quod animadvertenti Carolo spes rei bene gerendae, quam in praelio maxime et Regis temeritate posuerat, debilitari coepit. Augebant diffidentiam nuntii, qui de rebus Italicis parum ad ipsius voluntatem fluentibus, deque hostium exercitu afferebantur, qui exercitus ex perditorum hominum latronumque colluvie conflatus in dies augescebat, rapinisque et populationibus alebatur. Accedebat, quod exercitus jam cibariorum inopia tentabatur, quae propius appulsa classe aegre et magno misso praesidio ex navibus petebantur, in agris enim atque vicis,

 pa-

parumque munitis locis nec frumentum nec pabulum reperiebatur, omnibus, quae nostris usui esse possent, a Rege in munitissima loca conferri, aut, si hoc minus liceret, igni corrumpi jussis. Praeterea Germanorum complures morbus absumserat, contractus, ut creditum est, ex nimia musti potione, quod, parce vino suppetente, ex uvis non satis maturis expressum ebibebant.

XII. His difficultatibus affectus Carolus, accedente etiam ad causas Antonii Leivae morte morbo in castris absumti, statuit exercitum in Italiam reducere; nam bellum in Galliam interiorem transferre, ubi hyemes Septentrionum propinquitate sunt maturae, tempus anni aequinoctio instante prohibebat. Castra igitur sine tumultu movet servatis ordinibus, nequid simile fugae profectio habere videretur, et agmen nemine impediente aut iter remorante ad Alpes produxit, nullo suorum nisi per morbum desiderato, exceptis iis, qui adversa valetudine aut alia causa impediti lentius longiusve castra sequentes in manus hostium inciderunt. Galli enim vicos metu deserentes, quacumque agmen transivisset, eos, qui rari ex intervallo sequebantur, ex insidiis invadebant.

XIII. Cum Nicaeam ventum est, paucos ibi dies commoratus Carolus, imperii summa in totum exercitum Vasti Marchioni tradita, ipsum jubet in Taurinos agmen deducere, ibique Germanorum atque Italicorum parte certa dimissa, cum reliquis copiis operam dare, ut Augustam et reliqua circum oppida a Gallis occupata in potestatem redigeret. Alvarum Bazanum cum

vi-

viginti triremibus in Hispaniam mittit, simul ut pecuniam in stipendium Barcinone paratam reportaret, simul ut sicubi nactus esset Gallorum Turcarumque classem ex Massiliensi portu paucis ante diebus egressam, occasione rei bene gerendae diligenter uteretur.

XIV. His rebus imperatis Carolus Hispanorum duo millia praesidii causa ad Nicaeam relinquens, ipse sine praetoria cohorte, sine milite custode, praeter ipsius familiam et comitatum, Genuam navigavit, et extra urbem quinto Idus Octobris descendens, in Andreae Doriae portu impositum praetorium divertit, eoque usus est, donec in Hispaniam proficisceretur, cunctis demirantibus intrepidum ejus animum, ac securitatem, qui ad urbem non ita pridem in factiones scissam, et bona ex parte rebus Gallicis studentem, et unde hostes non procul aberant, sine milite custode tam securus agebat, quasi esset in media Carpetanorum, aut Vaccaeorum regione. Huc Principes Italici nonnulli, partim salutandi atque officii gratia, partim suarum rerum causa convenerunt, ac in primis Alexander Medices Dux Florentiae, et Dux Mantuanus Federicus Gonzaga, cui Carolus Marchionatum Montisferrati, de quo is, et Dux Sabaudiae, Marchioque Salutiarum jure disceptabant, adjudicavit, causam a sex viris jure peritis, nam totidem Genuae cognoscendam delegaverat, edoctus, cujus muneris principem locum obtinebant Majus Aragoniae Chancelarius, qui Romae superioribus annis legatione Caroli functus fuerat apud Clementem Pontificem Maximum, et Fernandus Guevara secretiorum causarum Caroli consiliarius.

XV.

XV. Ad diem decimum septimum Kal. Decembris, Carolus, cum res Italicas constituisset, Alvari adventu non exspectato, qui ad Veneris portum adversis tempestatibus detinebatur, per urbem Genuam equo invectus in molem procedit, quae portum efficit fluctibus objecta; et vento dumtaxat subinvitante, nam coelum erat non satis serenum, quadriremem cum Andrea Doria jam sero diei conscendit, triremibus viginti septem sequentibus, quibus viri principes, et qui aliquo numero et honore erant, cum paucissimis comitibus vehebantur. Cetera turba cum impedimentis jumentisque impositis ad naves onerarias tempestatem commodiorem exspectare jussa. Proxima nocte Carolus cum tota classe in anchoris constitit ante Savonam. Postridie sub Solis occasum in portum Herculis, qui nunc *Villae Francae* nominatur, duobus a Nicaea passuum millibus advehitur. Hic Carolus Sabaudiae Dux cum uxore Beatrice in suis scilicet finibus expositus remansit.

XVI. Cum dies posterus nubilus illuxisset, et mare ventis agitaretur, incertum errore, an praecipite consilio portum classis egreditur, validaque tempestate jactata vix tenuit duas parvas insulas, quae olim, ut opinor, Lero, Lerinaque dictae, nunc *Sanctae Margaritae* cognominantur, humiles, importuosae, et inhabitatae, nisi quod in altera coenobium erat, quod Monachi aemuli Sancti Benedicti tenebant. Appulsa est autem compluribus remis confractis, quam fluctuum injuriam cum nulla non navis senserit, Imperatoria quadriremis quadraginta amplius remos amisit. Insulas igitur magno impetu praetergressa classis cum ingente remigum labo-

re,

re, in eam partem, quae a fluctibus erat aversa, deflexit, quo maris impetum longarum navium maximam pestem, objecta terra, vitaret, et naves jactis anchoris, aut etiam ad terram alligatae ventorum flatibus resisterent, quippe insulae propter ipsarum humilitatem parum ac nihil potius a ventis parte aliqua tegebant.

XVII. Hujus tam praecipitis consilii, et periculosae profectionis culpam quidam in Carolum Caesarem conferebant, existimantes eum in Hispaniam ad res paci belloque necessarias providendum properantem, taedio quoque morae et Italicis Allobrogumque molestiis periculum maris praetulisse. Sed interrogatus Andreas id a se per errorem commissum esse confirmavit, qui jussus a Carolo, ut postridie prima luce, si per tempestatem liceret, naves solveret, deceptus fuisset ab iis, qui extra portum explorandi tentandique gratia praemissi mitiora tranquillioraque vero renuntiassent. Septem diebus circum eas insulas brevi intervallo tum inter se, tum a terra Gallia disjunctas, incommodissime classis obversata est, stationes subinde pro ratione flantium ventorum commutans. Nam cum nullus esset portus, et brevitas atque humilitas objectarum insularum aegre fluctus averterent, flatibus autem, ut demonstratum est, nihil propemodum obsisterent; necesse erat, quicumque ventus paulo vehementius afflaret, valide naves agitari. Itaque ventis saevire non intermittentibus naves, quae, ut laxius consisterent, neve mutuo concursu alliderentur, in duas partes erant divisae, continenter non sine suo periculo jactabantur. Sed illa nox gravissima fuit, cum ventus corus, qui a Solis occasu vehementissime

fla-

flaverat, tandem quarta vigilia consecutus imber repressit, et fulgor in antennis apparuit, quem nostri nautae *divum Anselmum* appellant, et quasi divinitus missum atque salutarem certis verbis et incondito carmine salutantes adorant; olim Castor dicebatur, et vulgo a veteribus mortalibus colebatur pro numine, cum sit fulgor interdum cum imbre causis naturalibus editus, quippe imbris ea vis est, ut humiditate sua ventos, quorum est sicca natura, coërceat tempestatemque sedet.

XVIII. Cum tot difficultatibus ac periculis laboraretur, nec idonea tempestas ad navigandum contingeret, tamen septimo die placuit fortunam maris experiri (jam enim nonnihil altum resedisse videbatur, et ventus flabat euronotus nostrae navigationi non alienus) et ad Staechadas insulas, quae nunc ab *areis* cognominantur, procedere, quae ut in montes editiores exsurgunt, commodiores habent stationes, et tum aquationi, tum lignationi sunt opportunae, quae res ad illas alteras insulas anguste suppetebant; perventumque est eodem die vesperi satis incommoda navigatione, quo tempore Turcarum sex biremes, quae ad eas insulas locis videlicet opportunis dispositae, faventibus Gallis, ceterorum Christianorum navigationibus insidiabantur, prospecta nostra classe, in proximum portum atque inde Massiliam confugerunt, ut eis erat tutus, quocumque libuisset, in oram Galliae receptus, propter amicitiam et societatem jam non occultam, quam Rex Gallus inierat cum ipsorum Principe Solymano.

XIX. Ad has insulas dies aliquot non sine multorum timore et solicitudine consumti sunt, dum tem-

pe-

pestas paulo commodior ad sinum Narbonensem proximo trajectu in Hispaniam transeundum exspectatur; nam oram legere, cum omnia essent hostilia, temeritatis esse videbatur; timoris nec una erat, nec parva causa; nam in portu Massiliensi triremes erant duo de triginta, et Turcarum sex biremes, de quibus ante dictum est, viris et armis munitissimae, praeterea multae naves onerariae, et circum ea loca multi milites hybernabant. Metuebatur igitur, nec id sine magna ratione, ne Rex despecta nostrorum non modo navigiorum, sed militum etiam paucitate in omnes naves, quae portu Massiliensi continebantur, imposito frequente milite, eas cum praefecto ad nostram classem oppugnandam mitteret; quam occasionem, etiamsi foret pari pugnandi conditione dimicandum, tamen, cum tam disparia et praemia victoribus, et damna victis proponerentur, non esse a Rege praetereundam omnes judicabant, ac in primis ipse Carolus, quem paucis diebus ante discessum, cum, facta re divina, in corona principum adstantium sermo incidisset de Gallicae classis apparatu, in hanc vocem prorumpentem ego audivi: *Si viri*, inquit, *sunt isti, huc venient ad nos praelio lacessendum*.

XX. Haec igitur gravis exspectatio multos angebat; tum maris periculum animis omnium obversabatur reputantium, cum cetera mala vitarentur, tamen alienissimo tempore anni, instante die brumae, saevientibus ventis sibi esse navigandum, et quo tempore mercatores etiam cupidissimi et desperati nautae deterreri soleant, et naves etiam onerariae in portubus contineri, hoc sibi esse vastum sinum extra terrae prospectum conti-

nente navigatione transmittendum, idque navibus longis, quae nullo anni tempore a littore paulo longius sine periculo in altum provehantur. In harum rerum consideratione timorem nonnullis addebat Judaei cujusdam, qui fuerat in castris Caroli, praedictionis recordatio, qui se vatem esse profitebatur, idque nonnullis persuaserat, propterea quod ex multis pauca quaedam ab eo praedicta, casu scilicet, ut solet, evenerant. Is enim solvente Carolo Genuae praedicaverat, naufragium classi, quo naves quatuordecim deperirent, portendi; fecerat quoque nonnullam istius vanitati fidem jactus fulminis, quo ab ea parte, quae maris est, aquis etiam anfractu quodam propemodum perstrictis, demisso, praetorium, ubi Carolus diversabatur, ictum fuerat paulo ante discessum. Nec enim deficere, qui hoc ostentum Carolo ipsiusque classi periculum portendere, inani scilicet superstitione, interpretarentur.

XXI. Tertio Nonas Decembris, cum jam biduum euronotus continenter flaret, et passim per omnes naves voces non modo vectorum, sed etiam nautarum audirentur, non oportere diutius exspectare, quin relictis insulis in Hispaniam navigaretur; Carolus Andream compellat jubetque, ne navigandi eam occasionem interlabi patiatur. Andreas, quamvis certum haberet mare apertum extra insulas fluctibus propter vehementes flatus saevire, tamen, ne temere tam multorum sententiam damnare videretur, nihil contradicens pariturum se ostendit, signumque profectionis dat, facta re divina, cujus gratia Carolus singulis fere diebus in terram descendebat, propter legem Pontificiam, qua res divina,

quae

quae *Missa* dicitur, in navibus patrari vetatur, nequid videlicet sinistrum in *Sacramentum* ipsarum mobilitate accidat.

XXII. Sublatis igitur anchoris, naves solvit, et Imperatoriam, quam ceterae sequebantur, contractis velis jubet in eam partem remis impelli, quae inter austrum et euronotum spectat; hoc consilio, ut si tumor patentis maris, quod fore non dubitabatur, a navigando deterreret, facilis esset vento non impediente ad easdem insulas receptus. Superatis insulis cum nihilo tranquilliora opinione sua reperisset, et periculum Carolo atque ceteris ostentasset, classem coepit explicato velorum minimo retorquere, et unde fuerat profecta, reduxit. Quod factum Carolus, qui in tanta temporis iniquitate aliquid audendum, et opi divinae committendum censebat, parum aequo animo ferens jubet omnes navium praefectos, atque magistros in Imperatoriam convenire, et coram de tempestatis navigationisque ratione cum Andrea disserere ac deliberare. Coacto concilio, plerique discedendum esse censebant, utendumque euronoti secundo flatu, non quod tempestas concitato mari esset ad navigandum peridonea, sed quia commodiorem multis diebus per anni tempus adversissimum sperare non liceret. Itaque boni consulendum esse, si mari non concitatissimo ventum nacti essent institutae navigationi accommodatum, praesertim commeatibus jam anguste suppetentibus.

XXIII. Contra haec Andreas mare, quod prope insulas paulo concitatius esse videretur, fore, confirmabat, ut interiorem sinum penetrantibus concitatissimum reperi-

riretur. Quae tandem igitur temeritas esset, fluctibus saevienti mari naves longas committere, in altumque provehere ad vastum pelagus continenti diurno nocturnoque cursu transmittendum? Errare porro, qui putarent euronotum esse huic navigationi accommodatum, quem observatum esset fere ad medium sinum Narbonensem in africum mutari, qui africus ipsis esset cunctis rationibus vitandus, ne, cum vim fluctuum, quos ille ingentes ad orbem nostrum evolvat, effugissent, in terram Galliam adacti in manus hostium inciderent, qui, nisi essent prorsus vecordes, ad omnes non solum portus, sed etiam navium stationes praesidiis ac tormentis dispositis, siquid tale accideret, observarent: temeraria et periculosa consilia rebus etiam difficillimis, nedum tamen desperatis, quoad fieri possit, esse vitanda: proinde censere, ut flatus aquilonis exspectetur, quo serenitas induci, et mare ad eas regiones sedari solent; hunc enim anni tempore non magis, quam ceteros ventos excludi, cujus obliquo flatu commode possit in Hispaniam navigari; quod si vehementius hic quoque ventus instituta navigatione saevisset, tamen levius esse malum in oram Africae depelli, cujus bona pars in clientela, vel potestate Caroli sit, et certe, quae minus possit officere, praesertim imparata, quam in Galliam, quae recentibus damnis et contumeliis ardens intento animo nostrorum malorum occasiones observat, siqua forte ex ea temporis iniquitate detur.

XXIV. Haec cum dixisset Andreas, Berenguellus Sicularum navium praefectus, vir in periculis animo praesente et vigilante, idemque nauticae rei peritissimus,

ro-

rogatus sententiam plane assensus est Andreae. Quod vero pertineret ad commeatus, se confirmavit in suis navibus habere molita cibaria, quae ad alendam classem in mensem amplius sufficerent. His in utramque partem disputatis, Carolus, licet sua sponte et animo magis in eorum sententiam inclinaret, quibus profectionem differri non placebat, tamen Andreae Berenguellique auctoritati et sententiae concedendum putavit, quae tutior esse, et providentiae plus habere videbatur; concilioque dimisso, denuntiatum per singulas naves mittit, ut commeatibus, quoad fieri posset, parceretur, qui hoc negligentius fuerant Genuae a plerisque provisi, quod persuasum habebant, Carolum ad Nicaeam Alvarum Bazanum cum triremibus opperiendi, aut certe milites imponendi gratia nonnihil commoraturum, ut spatium foret recentiora cibaria conferendi. Ceterum Andreas, fluctuans animo, invidiamque metuens, si ex diuturna mora quidquam durius accidisset, euronoto non intermittente, eodem die vesperi extra insulas, qui maris statum considerarent, mittit; cumque renuntiatum esset fluctus mitiores evolvi, iterum post Solis occasum dat signum profectionis; et sublatis anchoris Imperatoriam navem, qua proximus erat exitus, educit; sed non ita longe progressa classe, fluctuum magnitudine deterrente, cursum deflectit contractis velis, magnoque remigum labore in eamdem stationem revertitur.

XXV. Postridie prima luce cum idem ventus continenter flaret, classis ad imperium Caroli, nec Andrea jam invito, eadem parte insulis egreditur, et sic paulatim provehitur in altum, ut non recta regione tende-

deret in Hispaniam, sed in sinistram, Africamque bene conversa, ut si forte, cum longius esset processum, africus ventus successisset, liceret eodem parum obliquo, si non etiam secundo, cursum ex intimo mari in Hispaniam dirigere. Sed cum totum illum diem laetum omnes traduxissemus, usi ut vento, item mari peridoneo, tamen post Solis occasum ventus increbescere, et fluctus invalescere coeperunt. Secunda vigilia euronotus in africum se vertit tam vehementem, ut omnes naves validissime concuteret, duarum etiam antennas confringeret, quarum altera Comes Fontanus, altera Petrus Cueva equitum militaris Religionis Alcantarae praefectus vehebatur.

XXVI. Sed profuit initum consilium, quippe classis eousque processerat in altum, ut jam quominus in terram Hispanam cursum teneret, impedire africus ventus non posset. Itaque ante peractam tertiam vigiliam confectis millibus passuum plus ducentis, hora circiter decima octava, quam fuerat ex Staechadibus insulis discessum, naves omnes incolumes in portum, qui *Ligatus* dicitur, pervenerunt, praeter duas illas, quarum antennas ventorum vi fractas fuisse demonstravimus, quae cum laborantes, dato signo, ut solet, tormentorum bombis auxilium implorassent, tamdiu remulco sunt a proximis deductae, donec transmisso sinu in Hispaniae conspectum ventum est, cum jam per se posse portum capere viderentur, tunc vero relictae, cursum quidem cum aliis tenere nequiverunt, tamen paulo citra, nec sine periculo dejectae, portum Veneris ceperunt, qui primus est Hispanae ditionis, quamvis in Gallia situs ad

ra-

radices saltus Pyrenaei, et promontorii, quod item *Veneris* cognominatur, ubi Alvarus Bazanus etiam tunc detinebatur, tempus idoneum exspectans ad sinum Narbonensem trajiciendum, unde ter fuerat adversa tempestate rejectus, ut ipse praedicabat; quamquam non defuerunt, quibus Alvarus Bazanus Carolo, dum ad Staechadas insulas flatibus detineretur, non satis suum officium praestitisse videretur. Nam Regis et Imperatoris periculo etiam cum suo, triremiumque mediocri discrimine consulendum fuisse, et aliquid fortunae committendum, praesertim cum eodem tempore naves quaedam onerariae ab Hispania profectae Staechadas nobis prospicientibus praeterlaberentur; quamobrem non multo post tempore cum idem Bazanus se sua sponte praefectura triremium abdicasset, quam sibi detrimento esse, nisi meliores conditiones ferrentur, praedicabat, id eum Carolo minime invito fecisse plerique putaverunt.

XXVII. Igitur Alvarus Bazanus, cum nuntio Caroli de ipsius et classis appulsu celeriter cognovisset (abest enim portus Veneris a *Ligato* passuum millia circiter triginta) ante Solis exortum cum triremibus adest, et conjuncta eductaque classe in Palamosi portum eodem die perventum. Hic naves onerariae, quae jumenta ad Genuam impedimentaque sustulerant, repertae. Nam post Caroli discessum cum frustra idonea tempestate dies aliquot exspectata sese dubiae commisissent, pergravi usae et periculosa navigatione, omnes tamen incolumes in eam oram Hispaniae sunt appulsae, praeter duas, quarum altera in ipso conspectu portus Genuensis vi ventorum ad scopulum allisa cum jumentis et homini-

ni-

nibus fere omnibus naufragio perierat; altera circa Savonam in terram dejecta, cum ad brevia et vadosa loca haerens afflictaretur, et fluctibus paulatim impleretur, spatium dedit mortalibus descendendi, quos Savonenses officiosa diligentia cum scaphis accurrentes excipiebant.

XXVIII. Unam modo noctem Carolus ad Palamosum commoratus, Valdolitum, ubi uxor et liberi morabantur, ad Concilium Castellanorum indicendum agendumque per equos dispositos paucis comitantibus proficiscitur, Francisco Covo, et Nicolao Perenoto Granvela pro sua consuetudine ad ea, quae fieri velle docuerat, expedienda et pro sua prudentia administranda remanere jussis, ut sine horum consilio, quod saepe demonstratum est, nihil fere paulo modo gravius secreto constituere solebat, propter singularem utriusque industriam, et in consiliis ineundis prudentiam. Hic de societate et foedere, quod Rex Gallus cum Principe Turcarum inierat, certiora ex captivis Turcis cognita sunt, quippe Bazanus, quem ab Herculis portu in Hispaniam missum fuisse demonstravimus, sinu Narbonensi transmisso, non procul Veneris portu in sexdecim triremium et septem biremium classem incidit. Harum navium duodecim triremes erant Gallicae, et his praeerat Samblancardus, ceterae Turcicae, quas Aduramahellus ducebat; utrique conspicati modo Hispanicam classem sese fugae in altum dedere. Alvarus fugientes parumper insecutus, consequi posse propter remigum lassitudinem, qui sinum Narbonensem remigando transmiserant, diffidens, capta Turcica una bireme, quae

clas-

classem ex intervallo sequebatur, eo conatu destitit. Hac bireme legatus a Solymano ad Regem Franciscum missus vehebatur; ex quo legato cognitum est foedere inter illos percusso convenisse, ut anno proximo Franciscus exercitum in Insubres, et reliquam Citeriorem Galliam induceret; Solymanus eadem aestate Turcarum manum in Apuliam transmitteret, et classe oram Italiae maritimam infestaret; ea lege, ut quidquid Italiae fuisset in ipsorum potestatem redactum, Regi Gallo traderetur; porro Italia devicta, bellum communibus armis in Africam transferretur; eaque debellata, in ditionem Turcarum cederet.

XXIX. Rebus nauticis ad Palamosum constitutis, et stipendio ac ceteris navibus longis Andreae Doriae in Italiam revertenti traditis, Alvarus cum duodecim triremibus, ut ad Calpem, quae nunc Hispanica consuetudine *Gibraltare* dicitur, hybernaret, proficiscitur; et Barcinone, propter quinqueremem, quam illic suo sumtu aedificatam armamentis instrui, et cum primum liceret, deduci volebat, paulisper commoratus, sex ibi triremibus relictis, ac paulo post se sequi jussis, cum totidem domum ire pergit, si posset Calpem ante Christi Natale pervenire. Sed ostium Iberi amnis praetergressus, ad locum e regione Paniscolae prima vigilia cum processisset, et anchoris jactis parumper constitisset, tanta tempestas subito exorta est euronoto saeviente, ut naves omnes partim anchoris perfractis, partim ipsarum funibus abruptis ad littus et scopulos adactas perfringeret, excepta praetoria, quae, ut erat a littore paulo remotior, summo studio ac diligentia gubernatoris et

nautarum Alvaro cohortante sublatis anchoris in altum magna remigum contentione, fluctibus ex obliquo renitentibus, compulsa est. Tunc vero cum nullus esset in propinquo portus (est enim tota illa ora Dianium usque importuosa) vento et fortunae relinqui navem Alvarus jubet, sperans fore, id quod evenit, ut dum navis haerens vado paulatim afflicta frangeretur, aut impleretur mari, homines desilientes servarentur. Itaque celeriter magnoque impetu delata, dum fixa vado fluctibus compleretur, omnes ad unum partim adnatantes, partim per loca vadosa ingredientes in terram evaserunt. In ipsa enim tempestate rebus desperatis vincula tum captivis, tum ceteris remigio damnatis hominibus ademta fuerant, quod quoniam aliis in navibus per temporis brevitatem fieri non licuerat, complures remiges illarum naufragio perierunt, nam ceterorum non ita multi ob terrae propinquitatem desiderati.

XXX. Huic ego, meique naufragio Dei numine erepti sumus. Constitueram enim cum Alvaro Bazano ex Barcinone Valentiam compendii minuendique laboris gratia navigare, ut inde quemadmodum instituti mei ratio poscebat, itinere flexo Valdolitum contenderem. Jamque sarcinulas libellosque meos, oneraria navi ad id locorum advectos, in triremem imponendos curabam, cum me ipse Bazanus admonuit triremes non ante Dianium quadraginta octo passuum millibus ultra Valentiam appellendas esse. Igitur mutato consilio, comparatisque jumentis per terram proficiscimur; Iberoque amne ad Dertosam transmisso, nauticam naufragamque turbam, quae viam compleverat, antecedentem con-

conspeximus, a qua de naufragio edocti in alienae calamitatis dolore nobis gratulati sumus.

XXXI. Hoc anno mense Julio Desiderius Erasmus Roterodamus Basileae decessit, cum vixisset annos circiter septuaginta, vir eloquentia et multarum rerum cognitione clarus, acri ingenio, et copioso, arguto, et supra quam credi potest, festivo, cujus nomen diu, dum viveret, adeo fuit multorum vocibus celebratum, ut homines nihil nisi de Erasmo loquerentur, utique trans Alpes; nam Itali non tantopere ejus vel doctrinam, vel eloquentiam demirabantur. Plurimos libros edidit, partim suos, suoque Marte lucubratos, partim alienos Sacrorum Auctorum, Sanctorumque Patrum a se diligentissime correctos, ac prudenter emmendatos, non nullos etiam doctissimis scholiis enarratos. Quibus rebus id erat assecutus, ut de litteris non modo profanis, sed etiam sacris ac litterarum studiosis optime meritus esse videretur, si de rebus Sacris, ac eorum Ministris majore adhibita reverentia, temperatusque disseruisset, nec rebus Sacrosanctis jocos, et ludos miscuisset; postremo, si periculosis suspicionibus serendis abstinuisset; quae mala multi viri graves, eruditi, et religiosi non dubitaverunt seminaria Lutheranarum insaniarum fuisse confirmare. De qua hominum opinione Erasmum in *Antapologia pro Alberto Pio* ipse certiorem feci, et amice etiam per litteras monui, ut suorum scriptorum ancipitia loca definiret, dubia et obscura declararet, omnique ratione sibi, suisque libris consuleret, et posteritatis rationem duceret, quasi divinans fore, id quod accidit, ut eo mortuo librorum ejus lectio Catholicae fi-

fidei cultoribus interdiceretur. Nam viventi Pontifices Maximi parcebant, non quod ejus mentem, et scripta probarent, sed ne exagitatus ab ipsis palam descisceret ab Ecclesia Catholica, et in castra Lutherana conjectus apertius Ecclesiae rationibus officeret, ut mihi Clemens Septimus indicavit, cum *Antapologia*, quam dixi, perlecta modestiam, qua usus in Erasmum fuissem, commendaret.



